N12<522606081 021

ubTÜBINGEN

WERNER STICKEL
Buchbinderei
ÖSCHINGEN

1960 g 1866

Capitula Provincialia Provinciae Bohemiae, Moraviae, Austriae ac Silesiae

O. Praem.

(1641-1727)

ed.: J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Analecta Praemonstratensia, XXXVI, 1960, sq.
[Beiheft 21]

ABBATIA AVERBODIENSIS
[1960/1966]

Gh 5334

Gh 5334



Introductio

Capitula Provincialia non ab initio in Ordine Praemonstratensi extiterunt. Aegre de coetero celebrari potuissent, eo quod a Legislatoribus Ordinis singulis annis praescriberetur Capitulum Generale pro toto Ordine. Capitula Provincialia non permittebantur, ita statuentibus Statutis anni 1505 : « Praeterea ne unitati Ordinis deformitatem pariat capitum multitudo, inhibitum est districte, ne Patres-Abbates provincialium Abbatum suorum alicubi sub aliquo praetextu praesumant vel audeant privata vel generalia Capitula convocare. Alioquin tam ille qui convocaverit quam illi qui convenerint sint suspensi, donec de huiusmodi satisfacturi excessu, Domino Praemonstratensi vel Generali Capitulo personaliter se praesentent » [1]).

Ordinationes istas diu in praxi observatas fuisse concludimus ex eo quod cum saeculo decimo sexto comperuisset Abbas generalis Despruets talia capitula locum habuisse in Hispania ac in regionibus Belgicis (et quidem haec conventicula ortum habuerunt ex defectu celebrationis Capitulorum Generalium ; quae haberi non poterant modo convenienti quando Cardinales Pisani et d'Este abbatiam Praemonstratensem in commendam habebant), Despruetius abbas vigilantissimus talia Capitula energica ratione proscripsit [2]).

In illis adiunctis, Capitulum Generale anni 1574 haec edixit : « Audita relatione Reverendissimi Domini Praemonstratensis et triennalium Abbatum in Circaria Hispaniae et annuo Provinciali Capitulo : Capitulum dictam electionem triennalium Abbatum et triennalem Provincialem et annuum Capitulum Provinciale omnino reprobat tanquam contrarias dictas electiones triennales consuetudini et Statutis et privilegiis Ordinis... Item, praeceptum factum per dictum Reverendissimum (Despruets, Dominum Praemonstratensem) Patri Abbati Floreffiae et Brabantiae et Flandriae, ut Generali Capitulo Praemonstrati celebrando hoc anno adessent, et prohibens sub poe-

[1]) *Statuta* 1505, ms. Laon, 538, p. 400.

[2]) E. VALVEKENS, O. Praem., *Les Prémontrés et le Concile de Trente : La Congrégation d'Espagne : An. Praem.*, VIII, 1932, 16-24; ID., *Le Chapitre national néerlandais de 1572 : ib.*, VI, 1930, 74-101.

na excommunicationis ne Provinciale Capitulum vel Generale in Belgio celebrarent : Capitulum approbat dictum mandatum. Et quia nullam excusationem de suo defectu et non comparitione miserunt, eos contumaces iudicat cum Capitulo Generali annuo iuxta Statuta interesse deberent. Quoad vero prohibitionem ne celebrarent Provinciale sub poena excommunicationis, Capitulum Generale prohibet sub eadem poena ne celebrent dictum Capitulum Provinciale in posterum quod ipsi Generale vocant, sed adsint proximo Capitulo nostro Generali Praemonsirati celebrando » [3]).

Conditiones temporum vero effecerunt ut mox illud statutum mutandum esse videretur ; et quidem ad maximam utilitatem Ordinis. Ex variis quippe Europae regionibus non amplius dabatur possibilitas adeundi Praemonstratum, ut in hoc coenobio interessent Capitulis Generalibus qua Patres capitulares convocati. Accedebat Capitula ista Generalia, varias ob rationes, non amplius regulariter, ne dicamus omnino irregulariter, celebrata esse saeculo decimo sexto finiente ac saeculo decimo septimo ineunte. Pro servanda salutari disciplina Ordinis ergo utile, immo et necessarium visum est, congregationes Abbatum unius Circariae vel Circariarum eiusdem regionis instituere, in quibus varia congregatim statui atque ordinari possent in bonum Ordinis commune. Congregationes tales, seu, quod practice ad idem redit, Capitula Provincialia celebrari posse, conceditur in Capitulo Generali anni 1605. Fatendum tamen videtur institutum Capitulorum Provincialium in hoc Capitulo Generali potius tolerari quam positive laudari ; sermo est enim de Capitulis Provincialibus in quodam inciso secundario statuti cuiusdam. Ita in hoc statuto Actorum Capituli Generalis anni 1605 edicitur : « Imprimis instituatur in posterum Capitulum generale de triennio in triennium ; cui tenebuntur omnes interesse, iuxta antiquam Capitulorum ordinationem, Provinciale vero ad nutum Reverendissimi Generalis » [4]).

In Statutis Ordinis anni 1630 editis et « ad stricte observandum impositis », integrum caput (et quidem Cap. IX Dist. quartae) agit de Capitulo Provinciali. Statuiturque in num. 1 huius capitis : « Ut sacer noster Ordo, per totum terrarum orbem longe lateque diffusus, in maiori disciplina contineri, et oborientes difficultates maiori valeant auctoritate resolvi atque componi, firmiter est constitutum, ut

[3]) P. E. Valvekens, O. Praem., *Les Chapitres-généraux de l'Abbé-Général Jean Despruets*, in *An. Praem.*, XVI, 1940, 6-7.

[4]) Ms. Laon 538, p. 546.

UNIV. BIBL. TUBINGEN

in singulis Circariis quando Capitulum Generale non celebratur, Vicarii annue Capitulum Provinciale instituant, nisi ex iustis causis ipsi iudicant ad secundum vel tertium annum differendum ».

Analecta Praemonstratensia hucusque publicarunt Acta plurium Capitulorum provincialium ; et quidem *Circariae Sueviae* (1578-1688) (*An. Praem.*, I-VI, 1925-1930), cura E. Valvekens et V. Van Genechten, O. Praem. ; *Circariae Westphaliae* (1665-1717) (*An. Praem.*, VI-VIII, 1930-1932), curante T. Paas ; *Circariae Brabantiae* (1620-1643) (*An. Praem.*, XVII-XVIII, 1941-1942), curante J. E. Steynen, O. Praem.

Huic editionum seriei in praesenti addimus editionem Actorum Capitulorum Provincialium Circariarum Bohemiae, Poloniae, Hungariae, Moraviae, Austriae, Silesiae, currentibus annis 1641-1727. Edimus acta horum Capitulorum iuxta Codicem veterem manuscriptum asservatum in Curia Generalitia Ordinis in Urbe Roma. In hoc codice, seu potius collectario, simul iuncta habentur Acta, saltem partialia, nonnullorum Capitulorum Generalium saeculi decimi septimi et octavi, et plurium Capitulorum Provincialium Circariarum Bohemiae et Circariarum adiacentium, quae sitae erant in provinciis tunc « haereditariis » dictis Caesareae Maiestatis.

Acta et relicta Capitulorum in hoc collectario asservata non ab uno quodam scriba conscripta fuerunt, sed variis temporibus confecta dicenda sunt.

In specie :

1. Acta Capituli Generalis annis 1657 transmissa dicuntur a R. D. P. Gregorio du Crocq, Capituli huius Secretario. Comparando autem Acta ista, prouti in hoc collectario leguntur, cum iis quae ab ipso du Crocq propria manu exscripta leguntur in cod. ms. Laon 538, 703-773, statim apparet in nostro collectario, asservato in Curia Generalitia Ordinis, solummodo extracta quaedam Actorum dicti Capituli contineri. Extracta ista hac ratione in collectario nostro subsignata fuerunt : F. Matthaeus, Abbas, Vicarius Generalis. Additurque sigillum in quo exhibetur S. Norbertus, mitram ac pedum gerens, et in manu dextera ostensorium SS. Sacramenti tenens ; et circa hanc imaginem leguntur haec verba : Sigill(um) Vicar(ii) G(e)n(era)lis Canon(icorum) Praemons. per Bohemiam, Austr. Morav. Siles.

Abbas Matthaeus Paul personaliter dicto Capitulo Generali interfuit ; et hac ratione subsignavit Acta huius Capituli : « f. Matthaeus

Paul, Abbas Lucensis, Circariarum Boëmiae, Poloniae, Ungariae, Vicarius Generalis, sacrae Theologiae doctor » [5]).

Acta huius Capituli Generalis anni 1657 — de coetero permulta continentia — non complete a Vicario Generali in hoc manuscripto referuntur. Hac ratione agendo, Vicarius Generalis se gerit uti solebant facere Vicarii Generales in similibus casibus. Constat enim Vicarios Generales aut Visitatores Capituli Generalis, quibus tunc incumbebat Acta Capitulorum Generalium variis Coenobiis suae Circariae authentice communicare, saepe non communicasse integra Acta illa, sed solummodo compendiose, continentia scilicet solummodo omnia et singula illa quae pro determinata illa Circaria observanda erant, omissis particularibus quae pro aliarum regionum emergentibus statuendis edicta fuerant a Capitulo.

Praeterea Acta ista in praesenti collectario ita subscripta reperiuntur : « Gregorius du Crocq, eiusdem Capituli (1657) secretarius ». Hoc incisum vero non ita est intelligendum quasi agatur de scripto autographo du Crocq ; huius enim ratio scribendi sufficientissime nota est e cod. Laon 538. Cum autem ex altera parte huic transscripto addatur, manu propria abbatis Matthaei Paul, Vicarii Generalis : *Concordat cum exemplari authentico mihi Praemonstrato transmisso,* iure asseri potest referri hic textum authenticum — etsi non completum — Actorum Capituli Generalis anni 1657.

2. Legitur deinde, alia manu conscripta, transscriptio summaria, 8 paginis constans, ex Actis Capituli Generalis anni 1660 ; transsumptum istud confectum est iuxta textum transmissum a Philippo Babeur, Abbate Domnimartinensi, Definitore et Secretario Capituli Generalis anni 1660 [6]).

3. Sequuntur Acta (summaria) Capituli Generalis anni 1666 (6 paginis constantia) ; ex nominibus appositis, patet agi de transscriptione transsumpti quod Vicarius Generalis, Matthaeus Paul, tunc iam Abbas S. Vincentii Wratislaviensis, monasteriis suae Circariae misit.

4. Inveniuntur hic tandem Acta et Decreta Capituli Generalis anni 1686, cum subsignatione abbatis Norberti Zieletzky, abbatis

[5]) Ms. Laon 538, p. 772.

[6]) C. L. Hugo, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis.* I., Nancy, 1784, p. 629; L. Goovaerts, O. Praem., *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, Bruxelles, 1899, p. 28. Abbas fuit Babeur annis 1657-1675.

Gradicensis et tunc Circariae Visitatoris ; sigillatur sigillo parvo abbatis Visitatoris.

5. Tandem inveniuntur in hoc collectario Acta Capituli Generalis anni 1721, impressa typis anno eodem Parisiis, typis J. D. Christophori Ballard, 20 paginas habentia.

6. Deinde — et potissimum — referuntur in hoc collectario Acta Capitulorum Provincialium supra indicatorum ; quae edere intendimus in nostris *An. Praem.* Simul iuncta habemus in hoc collectario Acta Capitulorum dictorum, quorum ordinationes, iuxta *Statuta* Ordinis anni 1630, Dist. IV, capit. IX, « quando sunt confirmatae, Vicarii eas publicent, et omnes istius Provinciae Religiosi, tam Praelati quam Subditi, eas accipere et observare teneantur ».

In specie referuntur hic Acta Capitulorum Provincialium Provinciae Bohemiae, Moraviae, Austriae ac Silesiae, annorum 1641, 1644, 1651, 1656, 1659, 1670, 1677, 1681, 1687, 1691, 1700, 1710, 1719, 1727.

His Actis additur Index seu *Extractus alphabeticus Capitulorum Generalium et Provincialium*, ad observandum compilatus et in Capitulo Provinciali anni 1719 authentice approbatus a Patribus Capitularibus.

In fine adiunguntur formularia quaedam quae usuveniunt in electione canonica Praelatorum. Acta haec Capitularia, uti ab hoc ms. referuntur, constituunt Acta prouti a Vicario Generali, Capitulo ad finem deducto et approbato, variis coenobiis Provinciae communicabantur, subsignata a Vicario Generali et Secretario Capituli, et quidem manu propria ; atque sigillo Capituli Provincialis munita.

Quod autem attinet ad Acta Capitulorum Provincialium simul collecta in hoc Collectario, quaestio poni potest ac debet : Habeturne hic collectio completa Capitulorum Provincialium saeculi decimi septimi et octavi (usque ad annum 1727 inclusive) Circariarum in titulo expressarum ?

Huic quaesito respondendum est hanc collectionem *non* continere seriem completam Capitulorum dictorum. Etenim :

1) in conclusione 6a Capituli provincialis anni 1641, edicitur anno 1630 Iglaviae celebratum esse Capitulum Provinciale, cum Gaspar a Questenberg esset abbas Strahoviensis et insimul Visitator et Vicarius Generalis. Qui abbas Questenberg mortuus est anno 1640.

2) in Indice seu extracto alphabetico... ad observandum compilato, in hoc collectario apposito et confecto tali ratione ut in Capi-

tulo Provinciali anni 1719 a Capituli Patribus approbari potuerit, immo et promulgari, iteratis vicibus sermo est de Capitule Provinciali anni 1665 ; cuius Acta et decreta desunt in hoc collectario.

3) Tandem manifestum est Acta Capituli Provincialis anni 1644, prouti hic referuntur, non esse completa, sed tantummodo extracta communia pro omnibus et singulis Canoniis Provinciae referre.

Praesens Collectarium Archivio Curiae Generalitiae Ordinis collatum est, paucis elapsis annis, a Reverendissimo Abbate Geruseno.

Quandonam haec omnia et singula Acta in unum collectorium iuncta fuerint non indicatur ; proinde dici nequit. Obvium tamen est, hanc coniunctionem confectam fuisse, addita legatura coreacea ordinaria non ornata, ut servarentur Acta ista et etiam in hoc casu verificaretur dictum celebre : Colligite fragmenta, ne pereant.

His indicationibus praemissis, restat ut textum Actorum Capitulorum istorum Provincialium edamus, paucis notis hinc inde adiectis.

Speramus fore ut haec publicatio afferat novum fontem iuridicum e quo clarius — sub respectu iuridico-historico — pateat quaenam observantiae regulares omnino retinendae et servandae in Circariis regionum « orientalium » Europae censebantur ab iis ad quos ante omnia — qua Patres Capitulares — spectabat et leges ferre et observationes harum legum promovere et sancire.

J. B. Valvekens, O. Praem.

1

Capitulum Provinciale Pragae celebratum anno 1641 [1])

URBANUS PAPA VIII [2])

Ad futuram rei memoriam

Prospero, felicique statui et gubernio dilectorum filiorum Canonicorum Regularium Praemonstratensis Ordinis Abbate Generali ad praesens ut accepimus, destituti pro pastorali nostra sollicitudine quantum cum Domino possumus consulere volentes, de consilio particularis Congregationis negotiis ejusdem Ordinis pro bono illius Re-

[1]) Capitulum istud Provinciale locum habuit anno 1641. Eo tempore conditiones, in quibus Archicoenobium Praemonstratense vivebat, tristissimae erant. Mortuo siquidem Abbate Generali, Petro Gossetio, die 12 Augusti 1635, Cardinalis Richelieu Abbatiam Praemonstratensem sibi in commendam attribui summopere adlaboravit. — Petrus Desbans, abbas Mussipontanus et Vicarius Generalis Congregationis Reformatae quidem ab Electoribus Ordinis in Abbatem Praemonstratensem electus fuerat. Cardinalis vero Richelieu sese huic electioni maxime opposuit. Usque ad obitum Richelieu status rerum ita erat ut Richelieu sese, ex favore regis Galliae, qua Abbatem Praemonstratensem consideraverit; nunquam tamen approbationem Summi Pontificis ad hoc obtinere potuerit. Ex altera parte neque electio Desbans a Summo Pontifice approbata fuit. — Mortuo Richelieu (4 Decembris 1642), ad munus Abbatis Praemonstratensis, ineunte anno 1643, electus est Abbas Praemonstratensis, Petrus Raguet, canonicus ex Congregatione Reformata. Ne haec electio a Summo Pontifice Innocentio X confirmaretur, plures Praemonstratenses valide adlaboraverunt. Tandem Raguet proclamavit se non amplius in electionem factam consentire. Ita ut anno 1647 novus Abbas Praemonstratensis tandem canonice eligi potuerit: Augustinus le Scellier. Cfr. C. L. HUGO. *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, I, Nanceii, 1734, col. 43-53; Ch. TAILEE, *Prémontré*, II, Paris 1873, 100-109; B. GRASSL, *Die Prämonstratenserorden, seine Geschichte, und seine Ausbreitung bis zur Gegenwart*, in *An. Praem.*, X, 1934, *Suppl.*, p. 80 s.

[2]) Urbanus VIII, Summus Pontifex ann. 1623-1644. Sub hoc Pontificatu maximae obortae sunt difficultates potissimum relate ad personam qui abbatiam Praemonstratensem et integrum Ordinem regeret. (vide n. 1). — Ex hoc documento pontificio patet Romae a Summo Pontifice particulare quoddam comitium erectum fuisse, ad quaestionem motam considerandam et dirimendam.

gimine a Nobis praepositae, quae rem hanc mature discussit, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus singulis tam in ultimo Generali Capitulo [3]), quam postmodum a solo Abbate Generali [4]) defuncto Ordinis huiusmodi constitutis Vicariis seu Visitatoribus permanentibus Circariarum seu Provinciarum facultatem indicendi et celebrandi annuatim Capitulum Provinciale, in loco sibi bene viso, cui interim et donec non fuerit de Abbate Generali huic Ordini provisum sive per Electionem iuxta Constitutiones Ordinis, sive per deputationem a Sede Apostolica faciendam, competat potestas secundum contingentiam casuum suae provinciae faciendi ea quae facere posset Capitulum Generale et ipsi Vicario, seu Visitatori permanenti cuiuslibet Provinciae etiam faciendi ea tam intus quam extra Capitulum Provinciale quae facere posset Pater Generalis eiusdem Ordinis.

In illis vero Provinciis in quibus huiusmodi Vicarii seu Visitatores non extant supradictam facultatem indicendi et celebrandi Capitulum Provinciale concedimus Abbati antiquioris Monasterii, de et cum consilio duorum Abbatum eiusdem Provinciae, et in defectum Abbatum Priori antiquioris Monasterii, de et cum consilio duorum aliorum Priorum, in quo canonice eligatur Vicarius seu Visitator permanens. Cui, et Capitulo Provinciali competat omnis potestas supra expressa, ita tamen, ut omnia et singula superius concessa ad Nostrum et Sedis praedictae beneplacitum dumtaxat durent. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos iudicari et definiri debere ac irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentati. Non obstantibus et ordinationibus Apostolicis ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alias roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium, praemissorum eidem Ordini, illiusque Superioribus, et Canonicis forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus (p. 2), coeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod praesentium trans-

[3]) Capitulum Generale ultimum celebratum fuerat anno 1633.

[4]) Petrus Gossetius obiit 12 Augusti 1635.

sumptis etiam impressis manu alicuius Notarii Publici subscriptis ac sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constituta munitis eidem prorsus fides adhibeatur, quo adhiberetur praesentibus si forent exhibita vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII Marti M.D.CXLI. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Romae ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae 1641 Superiorum permissu.

M. A. Maraldus.

Ego Petrus Cotvenninus Clericus Namurcensis Dioecesis Publicus, Authoritate Apostolica Sacrique Palatii Apostolici Causarum Rotae Notarius, praesens transsumptum subscripsi et hoc transmittatur Rmo Vicario Ordinis Praemonstratensis per Bohemiam et vicinas Provincias diginssimo [5]).

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Amen.

Capitulum Provinciale

Pro Circariis Bohemiae, Poloniae, Ungariae, Moraviae, Austriae, Silesiae, coeterisque Caesareis adiacentibus Canonicorum Regularium Ordinis Praemonstratensis.

Anno Verbi Incarnati Millesimo Sexcentesimo quadragesimo primo, Pragae in Sionaeo vulgo Strahoviensi [6]) Monasterio celebratum.

Cum Anno salutis M.D.C.XL.IV Kal. Julii Reverendissimus in Christo [7]) Pater et D. Dominus Casparus Questenberg Monaste-

[5]) Vicarius iste Generalis erat Crispinus Fuck. Ita legimus in Actis Capituli Generalis anni 1633: « Circariae Bohemiae, Hungariae, Poloniae, Moraviae et Saxoniae: Rdus D. Montis Sion, Pragensis, cum potestate substituendi ». Ita cod. *Laon* 538, p. 698.

[6]) Strahovia, etiam Mons Sion dicta, est abbatia celeberrima, sita in ipsa civitate Pragensi. Fundata, ut fertur, a H. Zdik, episcopo Olomucensi. Cfr. C. L. Hugo, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, II, Nanceii, 1736, col. 921-923; N. Backmund, *Monasticon Praemonstratense*, I, Straubing, 1949, p. 310 s.

[7]) Caspar de Questenberg, abbas 1612-1640, abbas celeberrimus; vir fuit omni exceptione maior. Ipsius curis, exuviae S. Patris Norberti Strahoviam translatae fuerunt. Cfr. L. Goovaerts, *Artistes, Ecrivains, et Savants de l'Ordre de Prémontré*, II, Bruxelles, 1902, pp. 71-73.

riio Strahoviensis et Siloensis Abbas, Canonicorum Regularium Ord. nostri Praemon. per Bohemiae, Ungariae, Regna vicinasque caesareas Provincias Vicarius Generalis, Visitator et Syndicus, cursu suo fidelissime ac laudabiliter consummato, ad coronam Justitiae in coelestibus sibi repositam capessendam emigrarit, Ac per tanti viri obitum, praememorati Ord. Nri Praemonstratensis dignitas Vicariatus in hisce Provinciis vacarit, neque posset surrogari alter, eo quod Candidissimus hic Ordo noster Patre Generali pro tempore careret, et Capitulum Generale celebrari nequiret.

Sanctissimus Dominus noster Urbanus Papa VIII. Ordini et Provinciae sic capite destitutis paterne volens providere, universalem dedit licentiam Ordini Praemonstratensi et in eo Abbati antiquioris Monasterii cuiuslibet Provinciae sic vacantis, de et cum consilio duorum Abbatum eiusdem (p. 3) Provinciae celebrandi Capitulum Provinciale, in quo canonice queat eligi Vicarius seu Visitator permanens, cui competat potestas secundum contingentiam casuum suae Provinciae, faciendi ea, quae facere potest Capitulum Generale, et ipsi Vicario seu Visitatori permanenti cuiuslibet Provinciae, etiam faciendi ea tam intus quam extra Capitulum Provinciale, quae facere posset Pater Generalis eiusdem Ordinis. Prout plenius loquitur praefixum Apostolicum Indultum.

Qua Sanctae Sedis habita licentia, Rsmus in Christo Pater ac D. Dominus Crispinus a Hradsstiae antiquissimi Monasterii Strahoviensis Abbas [8]), et per hoc complurium Monasteriorum in regno Bohemiae incorporatis Provinciis Pater ; evocatis quibusdam Abbatibus Ordinis Iglaviam, Reverendissimo Domino Abbate Lucensi, Benedicto Abbate Zabrdovicensi, Petro Abbate Geracensi, collatisque 1ª et 2ª Junii consiliis de loco et tempore Capituli Provincialis authoritate Apostolica supradicta celebrandi concluserunt. Et locum quidem nominaverunt monasterium Strahoviense Pragae. Tempus vero

[8]) De ipso haec habet C. L. Hugo, *Sacri et... Annales*, II, col. 930 s.: « Crispinus Fuk ab Hradisthie, Praepositus Plagensis anno 1609 electus. Inde ad Doxanensem Praeposituram provectus anno 1621, Abbate Questembergio agente, Cardinale ab Harrach adnitente, infulis Pontificalibus ipse et successores ejus ab Urbano VIII insigniuntur, ut comitiis Regni, quibus soli infulati Praesules jus habent assidendi, possent assistere. Translationem D. Norberti exuviarum fidelis coadjutor Questembergii, ejusdem postea in dignitate Abbatiali successor renunciatus, deinde Archiepiscopus Trapezuntinus et Suffraganeus Pragensis consecratus. ... 23 Augusti, anno 1653 consumptus est, Vicariatum Ordinis cum Episcopatu iungens ».

XI Julii ipsam solemnitatem Sanctissimi Patris et Patriarchae nostri Norberti. Atque ut id per impressas patentes a praefato Reverendissimo Crispino publicaretur ac singulis intimaretur Regnorum et Provinciarum Monasteriis decreverunt quae per mortem Reverendissimi Caspari a Questenberg [9]) Vicario Generali seu Visitatore sunt destituta. Quod et factum est.

Quamobrem anno Verbi Incarnati M.D.CXLI Rrmi Domini Praelati Canonicorum Regularium Ordinis nostri Praemonstratensis, e tribus diversis Provinciis Bohemiae, videlicet Moraviae et Austriae (e regno Poloniae, Ungariae et Silesiae ducatu ob itinerum difficultates nemine adhuc comparente) cum nonnullis Venerabilibus Prioribus et Canonicis Parochis cum pietate in Sanctissimum Patrem Norbertum, quem amore ac zelo in candidissimum Ordinem, Deo auxiliante et Angelo bono concomitante Pragae in Monasterio Montis Sion alias Strahovio pridie festi eiusdem Sancti Patriarchae nostri hoc est X Julii ad Capitulum Provinciale feliciter concurrerunt. Festum ipsum altero die devotissimo animi gaudio et consolatione repleti solennizantes.

Subsequenti XII, initia Capitulo Provinciali data sunt, praefatique Rssmi D. Domini Praelati cum suis Religiosis Canonicis ad valvas Ecclesiae, id est in templo S. Rochi, ad priorem monasterii Strahoviensis portam convenerunt, praestolantes, donec a Rsmo Domino Crispino Abbate eiusdem medio inter RRsmos Praepositos Plagensem [10]) et Doxanensem [11]) cum toto Venerabili Conventu religiose et amanter excepti, ad locum Capituli in pleno candido habitu cum hymno et cantu: Norberte Pater insignis [12]), etc. processionaliter introducerentur. Ubi quoque ex mandato, Rssmi Domini loci Praelati ab uno Ordinis Canonico Sacerdote humaniter cum adgratulatione de felici et incolumi ad Capitulum Provinciale adventu sunt salutati.

[9]) Cfr. nota 7.

[10]) Plaga, seu Schlägl, in Austria superiori. Vide C. L. Hugo, *Sacri et ... Annales*, II, Nanceii, 1736, col. 559-570; N. Backmund, O. Praem., *Monasticon Praemonstratense*, I, Straubing, 1949, pp. 308-310.

[11]) Doxan. Vide C. L. Hugo, *Annales*, I, 1734, col. 633-642; N. Backmund, *Monasticon...*, I, pp. 287-289.

[12]) *Norberte, Pater insignis*, est hymnus qui adhuc nostris diebus cantari seu recitari solet in Laudibus festi S. Norberti. Cfr. C. Van Liempd, O. Praem., *De lotgevallen van het St. Norbertus-officie*, in *An. Praem.*, X, 1934, pp. 56-60.

Sessio Prima.

Invocata Spiritus S. gratia tam in Missae Sacrificio quod Rssmus Dominus Crispinus Abbas Strahoviensis sub infula celebrabat, quam in loco Capitulo Provinciali deputato Reverendissimos inter Praelatos, Canonicis in Capitulo dimissis praeambula quaedam et interlocutoria divini honoris augmentum, Sanctissimi Patris nostri Norberti gloriam, et eiusdem filiorum Canonicorum Praemonstratensium decus, ac immunitatis Juriumque Ordinis concernentia, sunt praemissa (p. 4).

Sessio Secunda.

Die XIII Julii sacrum de Spiritu Sancto solenniter cantabat Rsmus Dominus Benedictus Abbas Zabrdovicensis [13]), eoque finito, ac omnibus locum Capituli ingressis, praemissisque praemittendis, praelectum est Apostolicum Indultum, cuius auctoritate Capitulum Provinciale fuit indictum et nunc sit celebrandum.

Absoluta Brevis huius Apostolici praelectione [14]), produxit Rsmus Dominus Crispinus Abbas Strahoviensis litteras quasdam sibi Roma missas ab Admodum Reverendo Domino Joanne Coomans [15]) Collegii Norbertini ibidem Praeside et Ordinis Procuratore, quibus ex mente Sanctissimi declarabatur per datum et praelectum Breve Apostolicum nullam fieri Provinciarum divisionem. Sed eam esse intentionem Sanctissimi ut omnia Regnorum et Provinciarum Monasteria Ordinis, quae sub unius Vicarii Generalis seu Visitatoris gubernio et inspectione hactenus laudabiliter vixerunt, ac per huius obitum nunc tali Superiore carent, lisdem universis et singulis per unius Vicarii seu Visitatoris permanentis canonicam Electionem iterum provideatur.

Eligendum itaque in hoc Capitulo Provinciali secundum Breve Apostolicum Vicarium seu Visitatorem permanentem qui praesit cum authoritate inibi data per Bohemiam, Poloniam, Ungariam, Mo-

[13]) Abbas Zabrdovicensis seu canoniae Zabrdovice (in hodierna Tchecho-Slovakia) erat tunc Benedictus Waltenberger, inde ab anno 1623. Vide C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1180 s.

[14]) Breve istud apostolicum praemittitur Actis hujus Capituli. Vide p. 9-11.

[15]) J. Coomans, canonicus Tongerloensis. Vide L. Goovaerts, O. Praem., *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, Bruxelles 1899, p. 139 s.

raviam, Austriam, Silesiam coeterasque Provincias per mortem Rsmi Caspari a Questenberg vacantes.

Quibus rite perceptis visum est Rrsmis Praelatis in Spiritu Sancto congregatiis, Capitulo Provinciali huic providere de Praeside ; qui libere et canonice omnium votis electus et declaratus est Rsmus in Christo Pater ac Dominus Dominus Crispinus Abbas Strahoviensis [16]).

Hic electus mox in manibus Rsmi Domini Abbatis Teplensis [17]) ad hoc a Capituli Patribus deputati, obedientiam ipsi Provinciali Capitulo flexis genibus promisit. Quam obedientiam deinceps omnes tum Praelati, tum Priores et Canonici in Capitulo vocem habentes reciproce eidem Rsmo Domino Praesidi cum genu flexione praestiterunt.

Actum hunc subsecuta est definitorum Capituli Electio, et ceciderunt vota in subsequentes :

E Circaria Bohemiae in Rsmum Dnum Joannem Abbatem monasterii Teplensis [17]).

E Circaria Moraviae in Rsmum Dnum Benedictum Abbatem monasterii Lucensis [18]).

E Circaria Austria in Rsmum Dnum Martinum Praepositum monasterii Plagensis [19]).

Ex tunc nominatus est Capituli Provincialis Notarius Rsmus Dominus Norbertus [20]) Doxanensis Praepositus. Secretarius vero Rndus Pater Franciscus Decanus Zatacensis [21]).

His ita praemissis actum est de Visitatore seu Vicario Ordinis permanente, qui authoritate Apostolica secundum praesens praelectum Breve habeat in et extra Capitulum Provinciale potestatem Abbatis Generalis Praemonstratensis et Capituli Generalis eiusdem.

[16]) Vide n. 8.

[17]) Joannes Pecker, abbas Teplensis annis 1629-1647. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 946 s.

[18]) Benedictus Lachen, abbas Lucensis seu de Klosterbruck (in hodierna Tchecho-Slovakia) annis 1629-1653. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 299.

[19]) Martinus Greysing, praepositus Plagensis inde ab anno 1626; deinde primus Abbas Plagensis inde ab anno 1657. Cfr. L. Schuster, O. Praem., *Martin Greysing, der zweite Gründer Schlägls*, in *An. Praem.*, XXXIII, 1957, pp. 217-258.

[20]) Norbertus ab Amelunssen, Praepositus annis 1637-1649; deinde abbas Siloensis. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 640.

[21]) Zatec (Saaz) erat parochia administrata a Strahoviensibus. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 311.

Deliberatumque in primis de modo Electionis, deinde de nomine, demum de tempore promulgationis eiusdem.

Quod ad primum animadvertendum est, modum scrutinii in hisce haereditariis Regnis ac Provinciis fuisse hactenus in omnibus Electionibus Praelatorum Ordinis usitatum, pacificum et in Ecclesia approbatum (p. 5) ; ac proinde in praesenti Electione unanimi omnium consensu, qua talis est acceptatus. Conclusumque ut quilibet iuxta hunc modum supra mensam in medio Capituli cum Imagine Crucifixi, et cereis ardentibus stratam, votum suum scriberet complicatumque deponeret. Ad secundum decretum est : ut talis Electus Vicarius Ordinis per eadem Regna et Provincias quibus Rsmus, pie defunctus Casparus a Questenberg praefuit ab omnibus Canonicis Ordinis et Praelatis nuncupetur donec non fuerit de Abbate Generali Ordini nostro provisum.

Ad tertium placuit Rsmis P. P. Capituli Provincialis, ut vota in unum fasciculum collecta Rsmi Domini Praesidis sigillo clauderentur, et in arcula Definitorum diversis clavibus custodienda traderentur, scrutanda in fine Capituli, tum quoque Electum Vicarium esse promulgandum.

Quibus determinatis, descendit primus ad praetactam mensam Rsmus Capituli Praeses Dominus Crispinus Abbas Strahoviensis, et scriptum ibidem votum suum deposuit. Hunc secundum ordinem sessionis subsecuti Praelati reliqui, sed et Rsmi Domini Praepositi Pernecensis [22]) absentis votum sigillo eiusdem clausum admissum est. Prioribus et Canonicis coeteris in Praelatos suos compromittentibus. Atque hoc modo data vota per manum Rsmi Domini Praesidis in unum composita, sigilloque munita custodiae Definitorum sub clavibus, quarum unam habuit Rsmus Dominus Martinus Praepositus Plagensis, alteram R. P. Franciscus Decanus Zatacensis Capituli Secretarius, sunt concredita [23]).

Sessio Tertia.

XV Julii Sacrum de Spiritu Sancto cantabat Rsmus Dominus Jacobus Abbas Gradicensis [24]). Quo peracto, itum ad locum Capi-

[22]) Pernegg, seu Pernetium (in Austria). Praepositus tunc erat V. Springel. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

[23]) Cfr. nota 19 et 21.

[24]) Abbas Gradicensis (Hradisch, juxta civitatem Olomucensem) erat tunc Jacobus Gedinus, abbas annis 1641-1647. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 756.

tuli, ubi variae praelegebantur litterae diversaeque difficultates enodandae proponebantur. Quae omnia per huius nostri Capituli Notarium et Secretarium excepta, D. D. Definitorum examini iudicioque et subsequentibus continuis diebus matura deliberatione discussa sunt ac ponderata. Quibus etiam, sicut praecedentibus Praelatorum unus Sacrum de Spiritu Sancto cantavit.

XVI. Julii Rsmus Dominus Praepositus Plagensis [25]) cum ob debilitatem aliquam Rsmi Domini Teplensis [26]) nequiret.

XVII. Anniversarius Rsmi Patris in Christo defuncti Caspari a Questenberg [27]) ab omnibus in Capitulo Provinciali congregatis celebrabatur, commendationem autem cum Sacro habuit Rsmus Dominus Benedictus Abbas Lucensis.

XVIII. Sacrum de Spiritu Sancto cantabat Rsmus Abbas Geracensis [28]).

XIX. Rsmus Dominus Praepositus Novareusschensis [29]).

Eodem quoque die Rsmi Domini Definitores commissa sibi negotia (meliore iudicio salvo) definita et conclusa cum R. Rsmis D. Dominus Praelatis contulerunt. Publicatio vero acceptorum certis quibusdam de causis in alterum diem est protracta.

Sessio Ultima.

XX Julii omnes tum Rssmi Domini Domini Praelati quam Priores et Canonici vocem habentes in Capitulo convenerunt, et invocata more solito Spiritus Sancti gratia conclusiones huius Provincialis nostri Capituli per R. P. Franciscum Secretarium [30]) alta voce legi et promulgari demandarunt. (p. 6).

Conclusio Prima.

Electus, ut vices Rsmi Patris Generalis Ordinis nostri Praemon-

[25]) Martinus Greysing. Vide n. 19.

[26]) Joannes Pecker. Vide n. 17.

[27]) Vide n. 7.

[28]) Abbas Gerusensis seu Gerusanus (Geras in Austria Inferiori) erat tunc Petrus Herkardt; qui abbas fuit annis 1632-1650. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.

[29]) Praepositus Neuricensis (Neureisch; nunc in Tchecho-Slovakia) erat tunc Laurentius Roczar. Ita C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 338. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 303, nomen huius Praepositi ita scribit: Laurentius Plocar.

[30]) Franciscus, decanus Zatacensis. Vide n. 21.

stratensis iuxta praemissum Apostolicum indultum in Regnis Bohemiae ; Poloniae, Ungariae, caeterisque Caesareis Provinciis tam in quam extra Capitulum Provinciale in posterum agat, Vicarius Ordinis ab omnibus Praelatis et Canonicis Praemonstratensibus nuncupetur velut legitimus Superior agnoscatur et observetur.

Conclusio secunda.

Sanctissimi Patriarchae nostri Norberti Filii Canonici Regulares Ordinis Praemonstratensis Regni Bohemiae et adiacentium Provinciarum incolae. Etsi sanctae sedis gratiam summa cum animi demissione sint amplexati, rogandos tamen humiliter et modeste monendos Rsmos Dominos tres primos Abbates Ordinis [31]) et venerabilem Conventum Monasterii Praemonstratensis necessarium iudicarunt, ut Electionem Patris Abbatis Generalis (quando reduxerit orbi turbato pacem misericordiarum Dominus) circumspectius instituere, et virum secundum cor Dei, Privilegiorum Ordinis, ac immunitatis vindicem satagant eligere, ne recrudescat mundo scandalum, et Ordo distractus tanto consummetur celerius, quanto recidivus periculosius laborat.

Conclusio tertia.

Apostolicum Breve licet Vicario Ordinis canonice Electo concedat facultatem indicendi et celebrandi annuatim Provinciale Capitulum in loco sibi bene viso, attamen ob iniuriam temporum et viarum difficultates (ni gravis suboriatur necessitas) placuit hisce in Provinciis saltem de triennio in triennium Capitulum Provinciale celebrari. Visitationes vero Monasteriorum ab Electo Ordinis Vicario sive Patre Abbate secundum formam Statutorum facienda intra Triennium tunc fient quando et quoties iidem in Domino judicaverint expedire.

Conclusio quarta.

In animi grati significationem, Admodum Reverendo Domino Joanni Coomans [32]) Praesidi Collegii Norbertini Romae quod in Ordinis gloriam hactenus viriliter decertarit, et in posterum opera sua plurimum prodesse possit, Capitulum praesens per manum Rsmi

[31]) Agitur de Abbatibus Laudunensi, Floreffiensi, Cuissiacensi, quibus, vacante Praelatura Praemonstratensi, incumbebat invigilare Ordinis necessitatibus.

[32]) Vide n. 15.

Domini Praesidis Crispini [33]) nunc mittit honorarium aliquod, et ut quotannis non tantum, in laborem, refrigerium, sed in emergentium quoque negotiorum taxa mitti queat Talliae seu Collectae cuilibet Monasterio proportionaliter indicta, ad Rsmum Dominum Vicarium Ordinis destinabuntur, qui easdem in communi Circariae cista pro Ordinis commodo distribuet, quibus iudicaverit deberi.

Conclusio quinta.

Laudaverunt plurimum collectantes Rsmi P. P. Capituli praesentis in B. Gerlacum primum Abbatem Monasterii Milovicensis pietatem Rsmi Domini Crispini Praesidis Abbatis (p. 7) itidem monasterii praefati, quod circa hunc monumenta maiorum studiose perscrutatus, eadem opere satis pulchro fecerit delineari, hortati sunt eundem fraterne, ut porro pergat investigare tanti viri virtutum insignia et a Bohemica turba sanctitatis celebrata gloriosa documenta, spe firmus neque se neque Patronos olim defuturos qui pro canonizatione in Ordinis gloriam contribuat et in Curia Romana sedulo collaborent [34]).

[33]) Vicarius Generalis Bohemiae, etc., et Praeses hujus Capituli Provincialis. Vide n. 8.

[34]) Monasterium Milovicense (Milevsko, in hodierna Tchecho-Slovakia) fundatum fuit anno 1186, extinctum vero anno 1596. Anno 1623, Ferdinandus Imperator monasterium Ordini reddidit; instauratio monasterii in Capitulo Provinciali anni 1659 abbatiae Strahoviensi concreditur. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, 300 s Primus abbas hujus monasterii fuit B. Gerlacus (1187-1227). Eminuit iste Gerlacus vitae sanctitate. Testatur de ipso C. L. Hugo, *Annales*, II, 283: « Laudabilis et sanctae conversationis, qui in vita sua multis claruit miraculis et futura plurima praesertim sui Conventus fratribus praedixit, quorum veritatem rei comprobavit eventus. Post obitum ad tumulum illius, pariter multa contigerunt miracula. Aegroti quivis, in fide et devotione, sepulchrum visitantes, sanitati pristinae restituti sunt. Perennata ad nostram aetatem prodigia, sanctitatem Gerlaci cunctis aetatibus venerandam transmiserunt Beatorum Bohemiae fastis consignatam ». Idem Gerlacus eminuit eruditione. De Gerlaco isto scribit L. Goovaerts, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, pp. 303-304; III, pp. 56-58. Ita legimus apud Goovaerts, III, 56: « Les Annales de Gerlac, premier abbé de Mühlhausen (Milevsko) sont une source historique du plus grand intérêt pour le dernier quart du douzième siècle, dans l'histoire de la Bohême. Elles sont même, en certains endroits, et surtout de l'an 1173 à 1197, une source unique. C'est la raison pour laquelle les savants de ce pays les estiment extraordinairement. L'autographe original se trouve aux archives de l'abbaye de Strahow, depuis 70 ans environ. Le très précieux codex, sur parchemin et encore dans sa reliure primitive, a pour signes: D. K. 123, et se compose de 112 feuillets petit in-folio... En Bohême, les historiographes citent ce ms. sous les titres: Chronographus Bohemiae — Chro-

Conclusio Sexta.

Quandoquidem in Capitulo Provinciali Anno MDCXXX Iglaviae celebrato [35]) unanimi voto consentiente ipsomet beatae memoriae Domino Casparo a Questenberg [36]) Abbate Strahoviensi et tunc possessore Monasterii Siloensis [37]), Visitatore et Vicario Generali conclusum est, ut hic Monasterium praefatum Siloense cuius proventus hactenus in refusionem expensarum monasterio Strahoviensi applicarat, Ordini Praemonstratensi, per installationem novi proprii Abbatis, cum omnibus illis bonis, et appertinentiis, quae Imperatore Ferdinando 2° gloriosae memoriae, imo et cooperante, e manibus iniquorum detentorum redemit restitueret [38]).

Atque ut gaudium huius resuscitati et restituti Monasterii toti Provinciae esset commune, visum est in Spiritu Sancto tunc congregatis, situ loci bene considerato, ut aedificia in formam Monasterii sic disponerentur, quo Novitiatus communis totius Circariae ibidem institui posset, victui necessaria de ipsius Monasterii Siloensis proventibus Novitiis subministrarentur, de vestimentis vero quilibet Praelatorum suis provideret. Haec conclusio cum ob crebriores hostiles incursus in Regnum Bohemiae et exulcerata tempora in optatum deduci effectum hactenus non potuerit, oblivione tamen deleri

nographus Siloënsis — ou Codex Strahoviensis ». — Addi tamen debet, talia non ab omnibus probari; pluresque censere nullo modo probatum esse Gerlacum, primum abbatem Milovicensem identificari posse cum Gerlaco, celebri annalista.

[35]) Acta huius Capituli Provincialis hucusque pervia nobis non sunt.

[36]) Vide n. 7.

[37]) Siloë, seu Selau, aut Zeliv (in hodierna Tchecho-Slovakia). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 809-818; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323.

[38]) Juxta C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 816, iterum de hac quaestione actum est in quodam Capitulo Provinciali, celebrato in Neureisch, anno 1643 (de quo Capitulo in Actis Capitularibus, hic editis, nullibi sermo fit). Ita scribit Hugo, *l. c.*: « Stephanus, fidelis primum sub Questembergio administrator Siloë, super Familiam constitutus Abbas parentes Sioneos (Strahovienses) sensit ab initio sibi et filiis suis adversantes. Ne ingrati nomen incurreret, generositatis caracterem assumens, confidenter remisit iudicio Capituli Provincialis Neo-Reichem congregati anno 1643, amicabilis compositionis sortem. Concordiam resarcivit Capitulum sub pactis conventionalibus, quorum primum fuit, ut Siloë relueret Monti Sion (Strahow) tredecim millia florenorum; ut tertiam partem pecorum et medietatem frumentorum ab annis praeteritis in horrea congregatorum distribuerent Siloënses Strahoviensibus; ut Paternitatis jura, Abbati Strahoviae justo titulo acquisita, nullo umquam tempore impetrentur; ut collatio Parochialis Ecclesiae Inglaviensis, et bona Moravica Strahoviae incorporata permanerent ».

R. Rmi P. Patres Capituli non passi, eandem reassumpserunt et Reverendo Domino Stephano Administratori monasterii praefati Siloensis designato Abbati eiusdem intimari demandarunt ; futurum Rsmum Dominum Vicarium Ordinis requirentes, ut omni studio tam salutare statutum promoveat, et quanto potest fieri citius in opus deduci adlaboret.

Conclusio Septima.

Monasterium Milovicense quamvis parimodo per installationem proprii Abbatis et tot Canonicorum, quot pro cultu divino diu noctuque peragendo sufficiunt introductionem, Ordini nostro restituendum esset, ob temporum difficultates, et Oeconomiam Strahoviensem ab hoste Svedico toties disiectam enervatamque ad proximum usque Capitulum Provinciale usui Monasterii Strahoviensis relinquendum decretum est. Quo et tractatus de Domino Neuschloss (?) quod ab Illsmo Domino Comite Altringen Ordini harum Provinciarum et non in specie Monasterio Strahoviensi fundatum dicitur, dilatus est.

Conclusio Octava.

Monasterium S. Vincentii Wratislaviae cum filiabus Ecclesiis in Silesia ne ad alienas manus devolvatur, periclitari agnovit Capitulum Provinciale. Ut vero huic malo (p. 8) maturius occurratur, Rsmo Domino Crispino Abbati Strahoviensi et Visitatori qui sibi ad praecavendum offerri media Capitulo insinuabat, commissum est, ut a Nuntio Apostolico, cum hoc Monasterium Sanctae Sedi immediate subiaceat, licentiam formaliter visitandi, errata corrigendi, et ad Ordinis observantiam reducendi, festinet impetrare [39]). Deinde quoque a S. C. Majestate credentiales ad Gubernatorem Silesiae Oberamb titulatum pro assistentia brachii, sicut ad Ordinarium loci, seu eiusdem

[39]) Abbas S. Vincentii tunc erat Christophorus Faber. Cfr. L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte der Breslauer St. Vincenzstiftes*, in *An. Praem.*, XXVII, 1951, pag spec., p. 146: « Anno domini 1633, Electus est in abbatem Christophorus Faber, parochus Kostemplocensis ; hic designatus est a nuncio apostolico administrator monasterii sancti Vincentii ». C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1114, scribit Patres Societatis Jesu versus finem regiminis Faber petiisse a Ferdinando III, ut monasterium S. Vincentii in aerumnoso statu suo vix subsistens, sibi conferreretur. Abbas Lucensis, Luchenius, hos conatus irritos reddere potuit.

in spiritualibus Vicarium, si forte consilio auxiliove indiguerit, petere non tardet, quo tam sanctum negotium felicem sortiatur effectum.

Conclusio Nona.

Postquam eminentissimus bonae memoriae Cardinalis et Princeps a Dietrichstein Episcopus Olomucensis monasterium Caunicense Canonissarum Ordinis nostri Praemonstratensis per iniqui detentoris debellionem ad fiscum redactum acquisivit, et haereditariis suis bonis Niclosburgensibus adscripsit, tractatum esse scitur, ab Eodem Eminentissimo cum Rsmo Casparo a Questenberg pie defuncto Vicario Generali, ut in aliqualem refusionem Ordo (ne se hoc Monasterio totaliter spoliatum lamentaretur) annualem aliquam pensionem acceptaret. Sed cum morte praeventus Eminentissimus, et nihil inter ipsos certi determinatumque inveniatur, RRsmi P. P. Capituli commiserunt Abbati Lucensi ut cum Illsmo Principe Maximiliano a Dietrichstein Haerede Eminentissimi quanta potest agat dexteritate ; quo si non plena restitutio, satisfactio saltem Ordini quoquo modo aequivalens fiat [40]). Idem quoque Rsmus Dominus Lucensis Abbas laudabili zelo in se recepit actionem Monasterii Portae Coeli Canonissarum Ordinis in Civitate Viennensi, quo perurgente Cardinale Glesselio defuncto non ita pridem Ordini ablatum est [41]). De utroque relaturus in proximo Capitulo. Dummodo acta et privilegia utriusque Monasterii praefati, quae in Archivio Monasterii Strahoviensis observari dicuntur, sibi consignentur.

Conclusio Decima.

Ius Ordinis in Monasterium Montis Oliveti [42]) in Regno Bohemiae sibi propter transactionem Imperatoris gloriosae memoriae Ferdi-

[40]) Restitutio Ordini monasterii Kaunicensis (Kaunitz; Kounice: in hodierna Tchecho-Slovakia) ad felicem exitum tantum reduci potuit anno 1698. Tunc enim Abbati Strahoviensi commissum fuit. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 4; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, 295.

[41]) Monasterium Monialium Ordinis nostri Portae Coeli (Himmelspforten) in civitate Vindobonensi, post multas aerumnas anno 1586 canonicis O. S. Augustini traditum fuit. Postea, perurgente abbate Gerusano, Cardinalis Klesel, archiepiscopus Vindobonensis, monasterium illud sui iuris constituit. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 318.

[42]) Mons Oliveti = Litomysl, seu Limovicium (in hodierna Tchecho-Slovakia). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 296 s.

nandi 2di cum antiquis Ordinibus de licentia Summi Pontificis factam, videtur expirasse, cuius transactionis beneficio singulis Ordinibus ex proventibus satis certa pecuniae quota enumeretur.

Conclusio Decima Prima.

Rsmus Dominus Crispinus Capituli Praeses et Praelatus Monasterii Strahoviensis tamquam Pater Abbas et Visitator Monasterii Canonissarum Doxanensis, cuius et ipse quondam Praepositus fuit, ob specialem quo in illud fertur amorem, promisit Capitulo, eidem se Monasterio nunc ob perpessas tot expoliationes ab hostibus factas, in egestate constituto prae caeteris auxilio futurum et inopiam liberali manu sublevaturum (p. 9) [43]).

Conclusio Decima Secunda.

Ut uniformitas in omnibus Ordinis nostri Monasteriis servetur, Statuta recentiora [44]) cum novo Ordinario in ultimo Capitulo Generali approbata ubique a Monasteriorum Superioribus coemantur et acceptentur, ac per omnia secundum locorum dispositionem et Religiosorum numerum pro virili observentur [45]).

Conclusio Decima Tertia.

Cum Exemplaria novorum Breviorum (sic !) Ordinis in hasce terras delata numerum fratrum non adaequent, neque in editionem horum Breviariorum, Processionnalium, et aliorum librorum ad chori usum pertinentium, hoc exulceratissimo belli tempore Rsmi D. Domini Praelati sumptus praestare nequeant ; monentur ii, qui in his defectum patiuntur, ut quando terraemarique passus fuerint recuperati, et spes meliorum affulserit, ad illa mittant loca, unde commodius et precio tolerabiliori possunt haberi.

[43]) Crispinus Fuck praepositus fuit monasterii Doxanensis annin 1621-1637. Cfr. HUGO, *Annales*, I, col. 640.

[44]) Agitur de Statutis anno 1630 a Capitulo Generali approbatis.

[45]) Anno 1628 editus fuit *Ordinarius seu liber caeremoniarum ad usum candidissimi et canonici ordinis Praemonstratensis renovatus*. Lovanii, B. Masius, 1628. Textus iste impressus iterum editus fuit annis 1635, 1739 et 1789. Cfr. Pl. LEFÈVRE. *La Liturgie de Prémontré*, Louvain, 1957, p. IX, 27-29.

Conclusio Decima Quarta.

Pietas in Sanctissimum Patrem nostrum Norbertum, quamvis postulare videatur, ut translatio eiusdem proprio horarum officio condecoretur, quia vero huius compositioni authoritas obstat Ecclesiae, Canonici Ordinis ad officium festi solemne remittuntur.

Conclusio Decima Quinta.

In Solemnitatibus festorum Triplicium ubique Matutinae (quibus etiam Concionatores interesse teneantur) hora septima vespertina (Paschalibus et Natalitiis exceptis) inchoentur, et cum debitis caeremoniis peragantur, quo fratres ad officio diei subsequentis exurgant alacriores, et spiritus hilaritate confluentis populi devotionem vigilantius queant promovere.

Conclusio Decima Sexta.

Declaratum est ut officium seu Vigiliae Defunctorum more Ordinis infra Octavas quarumcumque Solemnitatum in Rubricis Ordinarii vel Breviarii non exceptas, etiamsi quinque Antiphonae ad earum laudes legantur, semper in Choro persolvatur et cuncta quae Statuta vel Ordinarius pro defunctis persolvenda praescribunt, diligenter observabunt.

Conclusio Decima Septima.

Si quis fratrum aut Sororum nostri Ordinis in Domino obdormierit illico per proprium tabellarium proximiori Monasterio innotescat, ac inde sine ulla procrastinatione ad aliud, et ex illo ad reliqua Monasteria per expressos nuncios sive cursores Breve transmittatur. Sed et Reverendi Priores obligantur allatum Breve mox Parochis extra Monasterium degentibus intimare, quo citius et certiores ab omnibus (p. 10). Circariarum Patribus Sororibusque in defunctorum et fidelium animarum refrigerium succurratur ac iusta solvantur. Quantum vero audita morte fratrum seu Sororum Ordinis et Parentum nostrorum facere oporteat ; licet in Ordinario novo per unam Collectam ad minus a singulis Sacerdotibus absolvantur ; nihil ominus id quoque ponderata Charitatis regula : Quaecunque vultis ut faciant homines et vos facite illis ; remittitur ad discretionem Prioris

seu Praesidis Conventus. Quod et quantum in loco defuncti describit Ordinarius.

Conclusio Decima Octava.

Quandoquidem statutum est in Ordinario cap. 95, n. 5, ut quando Abbates a Praemonstrato post Generale Capitulum ad sua loca redierint duo generalia servitia in omnibus Monasteriis nostri Ordinis celebrentur : Primum, pro omnibus Abbatibus et fundatoribus, Secundum pro fratribus et sororibus : Placuit RRsmis P. P. Capituli Provincialis, ut eadem et post Capitula Provincialia modo in Ordinario praescripto diligenter observentur ; et caveant religiosi fratres, ne pensum hebdomadarium pro iisdem absque evidenti necessitate intermittant.

Conclusio Decima Nona.

Seminarium Norbertinum Pragae a Rsmo pie defuncto Casparo a Questenberg Abbate Monasterii Strahoviensis iuxta tenorem Confirmationis Pontificiae fundatum [46]), etsi salutaribus sufficientes fuerit instructum : quia tamen ob crebriores hostium accursus et periculosas Pragensis Civitatis oppugnationes eadem iniuria quadam elapsa seu deperdita ; submonitum voluit Capitulum Rsmum Dominum Crispinum Praesidem Capituli, Abbatem Strahoviensem, ut praedecessoris sui inhaerens vestigiis sollicitus in Religiosos et alumnos ibidem commorantes advertat, eorundem aetatem lubricam bonis regulis sapiat, quo Sanctae devotionis spiritus per studia exaltetur, et hausta doctrina simplici pietate stabiliatur.

Conclusio Vigesima.

Ut charitatis et pacis vincula in praefato Seminario serventur illaesa, omnibus Matricis Ecclesiae Canonicis Professis districtius inhibetur, ne Canonicos in filiabus Ecclesiis Professos probrosis irrideant nominibus, vel quovis modo contemnant, se Patres eorum praesumptuose iactitando (hic enim titulus solis debetur Abbatibus) sed invicem honore praevenientes in Domino confratres se profiteantur.

[46]) Fundatum fuit hoc Collegium anno 1628. Cfr. HUGO, *Annales*, I, col. 533-537; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

Conclusio Vigesima Prima.

Nec vocentur adventitii seu alienigenae Canonici Ordinis nostri qui ex obedientia Rsmi sui Abbatis ad filiale Monasterium pro augmento, et conservatione cultus divini, pro restitutione disciplinae regularis, pro decore et Ordinis gloria (aliis in loco deficientibus Professis) transierunt. Etenim licite potest, imo tenetur quisque Pater Abbas universa quae in filiali Ecclesia contra Ordinis (p. 11) instituta et approbatas consuetudines fieri compererit, in pristinum debitum statum sive per se sive per canonicos suos Professos reformare, quos humiliter audire, et in illis Patres Abbates suos honorare doceant Filii Praelati in quorum solatium sunt transmissi.

Conclusio Vigesima Secunda.

Si Filius Abbas se contra Matricem Ecclesiam erexerit, vel lis inter Ordinis Monasteria fuerit exorta, res instrumentis partium productis, ad legitimos Superiores Ordinis devolvatur, qui servata Statutorum norma, ex equo et bono sine strepitu fori decernat.

Conclusio Vigesima Tertia.

Ordinis nostri canonici et sacerdotes qui extra domum Professionis suae vel Circariarum ex obedientia suorum Praelatorum, pro honore Dei, et Ordinis bono laborant, ab Electionibus excludi non debent. Atque ideo quando contigerit Praelatum alicuius Monasterii mori, ad novi Electionem huiusmodi, licet extra Provinciam (nisi ob culpas suas voce careant) vocentur.

Conclusio Vigesima Quarta.

Canonici nostri, Lectores in Monasteriis et Seminariis Ordinis si ex Provincia Circariis nostris minime incorporata advenerint, et operam suam fratribus fructuose impenderint, habeantur pro domesticis, voce gaudeant activa et passiva, in omnibus Circariae nostrae Capitulis, reputenturque habiles ad quasvis Ordinis dignitates seu obedientias Regulares et meritorum ratio habeatur specialis.

Conclusio Vigesima Quinta.

Quantum pro victu fratris unius vel Alumni ad studia in Seminarium Norbertinum Pragae mittendi quisque D. D. Praelatorum annue persolvere debeat, ipsimet cum Rsmo Domino Crispino Abbate Strahoviensi, utpote fundatore conveniant et iuxta temporum varietatem componant.

Conclusio Vigesima Sexta.

Religiosi nulli casui reservato implicati Praelatis suis confiteri non teneantur, nec ad id ab iisdem nisi semel in Anno idque circa festum Paschae constringi queant. Statutum hoc placuit Capitulo Provinciali extendere quoque ad Priores seu Conventuum et Seminariorum Praesides, quibus etiam confiteri nulli teneantur, sed id mere dependeat ab electione fratris poenitentis (p. 12). Praelatorum autem munus est (his exceptis) alios in suis Ecclesiis Confessarios instituere discretos et doctos qui pro casuum varietate solvere sciant et ligare.

Conclusio Vigesima Septima.

Pastores aliique extra Monasterium habitantes, sicut et Conventuales in itinere constituti, Confessariis approbatis sive Regularibus sive Secularibus confiteri queant, nisi Praelati ex iusta et gravi causa aliud circa suos iudicent ordinandum. Verba sunt Statutorum [47]). Ubi vero plures cohabitant, eligatur quidem ex his unus Confessarius domesticus et tamen alteri approbato externo confiteri non prohibeantur ; id solum Parochus seu Senior eorum attendat, ne sub specie reconciliationis evagandi detur occasio.

Conclusio Vigesima Octava.

Ordinariis Concionatoribus, qui in Civitatibus hoc munus obeunt, totum tempus feriae sextae (excepto Capitulo) et Sabbati, cuius Vesperis etiam intersint, pro studio assignatur ; attamen Sacrum his diebus legere aut audire teneantur.

Conceditur quoque, iisdem, ut illa nocte ad matutinas surgere non obligentur, quae diem praecedit qua concionandum eis erit. Et

[47]) Ita in Statutis anni 1630: Dist. I, Cap. VI, n. 18.

si Superiores suos rogaverint, ut et sequenti nocte quiescant, licentia facile non negetur. A lectione mensae singulari quoque praerogativa sint exempti.

Conclusio Vigesima Nona.

Contingit nonnunquam in Conventibus, quod Fratres professione Seniores, aetate autem iuniores, ob solum tunc aetatis defectum, in promotione ad Presbyteratum Professione iunioribus post, sed aetate maturis postponantur ac per hoc stallum chori cedere cogantur. Ne vero similis aetatis defectus coeteroquin bonis Religiosis praeiudicet et imbecillium animos conturbet, statutum est per Capitulum Provinciale ut si tales, cum aetatem assecuti et sacerdotio fuerint insigniti, stallum Professionis recipiant, et aetate maturiores iterum cedere (nisi sint in officio et obedientia praecellenti) teneantur.

Conclusio Trigesima.

Cum pariter inter Fratres Religiosos, praesertim extra claustra degentes interdum fiat contentio, quis eorum videatur maior, ad tollendum omnis dissidii occasionem declaratur : Eundem qui intra claustrum senior erat, et foris (nisi Regularis officii dignitas aliud postulet) tanquam seniorem audiendum et honorandum.

Conclusio Trigesima Prima.

Pastores seu Parochi quamvis degendae vitae normam in Statutis nostris (p. 13) habeant sibi praescriptam, monentur nihilominus serio per Capitulum Provinciale, ut dierum Mercurii et Septuagesimae abstinentiam a carnibus, tempore vero Adventus regulare Ordinis ieiunium non infringant, poenis alias in Statutis designatis acrius et sine remissione subiiciendi.

Conclusio Trigesima Secunda.

Parochi ut saeculari pagorum suorum Regimini se non immisceant, nisi petito desuper et impetrato consensu Praelati, in Statutis Ordinis cautum est. Adicitur autem pro decentia Status et more Patriae, ut ubi Fratres Laici temporalium sunt Provisores consilio Parochi utantur, et si quando honorabiliores Status Personas admi-

nistrationis munere sic perurgente sit scribendum, Parochus informetur et scribat.

Claves quoque ianuae domus Parochialis singulis vespertinis temporibus certa hora ad Parochum deferantur, matutino easdem relaturi. Neque quisquam Religiosorum e domo Parochiali sine ipsius Parochi licentia praesumat exire, vel ultra tempus sibi assignatum emanere. Conceditur etiam Parochis habentibus administratores temporalium a Praelatis ordinatos, iuribus stolae suae seu accidentiis pro suis et suorum Cappellanorum necessitatibus, uti et frui ; quotannis R. Rsmis Dominis Praelatis rationes accepti et expensi fideliter reddituri. Salutare quoque visum est ut lectorem ad mensam (ubi plures sunt) habeant, quo vaniloquium aliorumve excessuum tallatur occasio. Habeant quoque Parochi sigillum iuxta placitum suorum Praelatorum, quo litterae singulorum cohabitantium Religiosorum occludantur. Neque praesumat quisquam sine scitu Parochi litteras emittere vel recipere. Ac demum in omnibus Regularis observantiae sint studiosi sectatores.

Conclusio Trigesima Tertia.

Juxta morem Ordinis decretum est, ut omnes illi sacerdotes qui cum Parochis extra Monasterium vivunt, ac in animarum cura concionando, confessiones excipiendo, et alia Sacramenta administrando cooperantur, Parochorum Capellani nominentur ; tuizationes et alia debitum respectum diminuentia, interdicuntur.

Conclusio Trigesima Quarta.

Litteras correctorias, si quando Religiosis Canonicis extra Monasteria in obedientia degentibus scibere necessitas postulet, eas scribat Praelatus manu propria, vel Pater Prior ejus mandato, et in secreto serventur, ne si per manum aliorum Conventualium exarentur, diffamandi fomes subministratur, oboriantur scandala, fraternae charitatis iura dissolvantur, et Capituli de secretis Ordinis non revelandis violatores proclamentur.

Conclusio Trigesima Quinta.

Paraenesis ad Praelatos Rsmi a Questenberg pie defuncti [48]), aliave scripta seu litterae ad sinistram unius partis, vel malevolorum informationem, inauditis aliis, subinde transmissae, et protocollis insertae, per quas tam Praelatorum (p. 14) quam Canonicorum Conventuumque Circariae Ordinis bonum nomen laesum, et denigratum est, et apud Posteros laedi posset ac denigrari ; in Archiviis Strahoviensis Monasterii Protocollis, Bibliothecis, cubiculis, et quibuscunque aliis locis diligentissime conquirantur, et manui fratrum distracta restitui demandentur. Quae omnia Capitulum Provinciale revisioni et examini Rsmi Domini Crispini [49]) Abbatis ibidem, ac Rsmi Domini Norberti [50]) Praepositi Doxanensis subiecta voluit, ut universa quovis modo bonum Christi odorem, in Religiosis Ordinis viris inficientia, intra sex Mensium spacium oblitarentur, et salutari spongia deleantur. Atque sic factum esse referatur ex conscientia, ne Capituli conclusio effectu carens evanescat. Quod si vero in posterum aliquis Canonicorum nostrorum de his locutus, vel similium litterarum originalia sive transsumpta in parte, vel in toto suppressisse ac detinuisse deprehensus fuerit, in quacunque regulari existat obedientia, ipso facto sit depositus, et a Rmo Vicario omnibus paenis quae revelatoribus secretorum Ordinis et gravissimis diffamatoribus debentur, subiiciantur, neque ulli Superiorum liceat quovis quaesito colore, in his quisquam remittere seu dispensare, sub poena in Statutis contenta. Hic enim casus soli Rsmo Vicario sit reservatus.

Conclusio Trigesima Sexta.

Sicut olim laudabiliter et utiliter Praelatorum unus in Provincia nostri Ordinis constitutus erat, qui in Apostatas, et fugitivos ex alienis circariis sine legitima suorum Superiorem licentia accurrentes et Parochias sollicitantes diligenter advertebat, sic porro continuandum esse conclusum est. Atque in hunc finem, cum Illsmis et Rsmis Loci ordinariis eorundemque officialibus correspondendum, ut nulli Ordi-

[48]) Agi videtur de libello edito ab Abbate de Questenberg, anno 1638, cui titulus: *Paranesis ad Successores suos in Abbatia Strahoviensi*. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, IV (1911), p. 275.

[49]) Crispinus Fuck. Vide n. 5.

[50]) Norbertus ab Amelunxen seu ab Amelunssen. Vide n. 20.

nis Canonico externo, sine scitu Praelati, ad hoc specialiter deputati, curam conferant, ne per similium discolarum exorbitantias candor Ordinis obfuscetur.

Conclusio Trigesima Septima.

Incorrigibiles qualescunque, et iis qui maliciose in suos Praelatos insurgere, Conventus Religiosos graviter turbare, ac inquietudine sua praesumunt adgravare ex eo, ut foras emissi uberius in scandalum Ordinis disponant, Monasteriorum et genio suo indulgeant. Si de hoc saepius moniti, non destiterint et sufficienter coram Ordinis Vicario convicti, carceribus puniantur ; illisque detineantur, quousque errorem agnoscentes, condignam egerint poenitentiam, et misericordiam per suorum Confratrum vel sanioris partis Conventus intercessionem a praedicto Rsmo Domino Vicario Ordinis consequi mereantur. Habitu autem eosdem privare et ex Ordine proiicere nemini Praelatorum licebit, cum hoc ipsum sibi soli Summus Pontifex reservarit.

Conclusio Trigesima Octava.

Demum commonendos eos et corrigendos esse decretum est qui religiosae modestiae et debiti respectus obliti, acriores ad Capitulum Provinciale dederunt litteras, infirmitates Superiorum ab universo Ordine ac illismet optime (p. 15) meritorum exaggerando, quibus sanctarum precum suffragiis, quo haeredes fierent benedictionum Sem et Japhet, aeterna lux et requies potius erat vovenda.

Conclusionibus hisce perlectis et omnium Rsmorum Praelatorum assensu conprobatis, et Capitulo Generali (quando Deo meliora disponente celebrari poterit) cum omni reverentia, humilitate et modestia submissis, item in Electionem trium Praelatorum, qui occlusa vota de Vicario Ordinis Rsmo Domino Crispino Abbati Strahoviensi Capituli Provincialis Praesidi offerrent reservanda. Deinde scrutarentur in quem maiora concurrissent et Electum per Capituli Secretarium promulgarent.

Deputati sunt ad hoc exequendum :

Rsmus Dominus Benedictus Zabrdovicensis [51]).

[51]) Benedictus Waltenberger. Vide n. 13.

Rsmus Dominus Petrus Abbas Geracensis [52]).

Rsmus Dominus Zacharias Praepositus Chotieschoviensis [53]).

Qui votis omnium praesentium et absentis Rsmi Domini Praepositi Pernecensis rite lustratis. Tria in Rsmum Dominum Praelatum Strahoviensem Capituli Praesidem. Duo in Rsmum Dominum Praelatum Teplensem. In Rsmum Dominum Praelatum Lucensem sex concurrisse deprehenderunt.

Eapropter authoritate Indulti Sanctae Sedis Apostolicae Vicarius Ordinis harum partium canonice est electus et per Capituli praesentis Secretarium per votorum in loco Capituli combustionem promulgatus.

Rmsus Dominus Benedictus Lachenius Abbas Monasterii Lucensis [54]), et ab omnibus R. Rsmis D. Dominis Praelatis, Prioribus, et Canonicis praesentibus est acceptatus.

Qui munere hoc modeste acceptato brevibus pro tanta in suam personam confidentia dictis gratiis omnium sibi gratulantium, precibus sese humiliter et fraterne commendavit.

His ita in charitate peractis, confessione generali flexis genibus recitata et absolutione data, Rsmus Dominus Crispinus [55]) Capituli Praeses surrexit, et impertita solemni benedictione Capitulum hoc Provinciale in Domino conclusit ac eadem die XX Julii omnes in osculo sancto pacis et sanctitatis ad propria dimisit.

Nomina R. Rsmorum D. Dominorum Praelatorum, Priorum, et aliorum Canonicorum Regularium Ordinis Praemonstratensium Nostri, qui Capitulo Provinciali Pragae A. 1641. 5 Julii in Sionaeo celebrato interfuerunt :

Reverendissimus Dominus Crispinus Abbas Strahoviensis et Milocensis ac Visitator Capituli Provincialis Praeses [56]).

Rsmus Dominus Jacobus Abbas Gradicensis [57]).

Rsmus Dominus Joannes Abbas Teplensis, Definitor Ius [58]).

[52]) Petrus Herkardt. Vide n. 28.

[53]) Praepositus in Cotischovio (Chotosvov, in hodierna Tchecho-Slovakia) tunc erat Zacharias Bandhauer (annis 1639-1657). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 559 s.; Backmund, *Monasticon*, I, p. 287.

[54]) Vide n. 18.

[55]) Crispinus Fuck, abbas Strahoviensis. Vide n. 5.

[56]) *Ib.*

[57]) Vide n. 24.

[58]) Vide n. 17.

[= Sect. 21] Gb 5334

[Valvekens, J. B., Capitula Provincialia Provinciae Bohemiae ...

(p. 16) Rsmus Dominus Benedictus Abbas Lucensis, Definitor [59]). idem electus Vicarius Ordinis.

Rsmus Dominus Benedictus Abbas Zabrdovicensis, Scrutator votorum 1us [60]).

Rsmus Dominus Petrus Abbas Geracensis, Scrutator votorum 2dus [61]).

Rsmus Dominus Martinus, Praepositus Plagensis, Definitor [62]).

Rsmus Dominus Norbertus Praepositus Doxanensis, Capituli Notarius [63]).

Rsmus Dominus Zacharias Praepositus Chotieschoviensis, scrutator votorum [64]).

Rsmus Dominus Laurentius Praepositus Novareuschensis [65]).

Rsmus Dominus Valentinus Praepositus Pernecensis qui ob corporis infirmitatem absens, voto tamen in Electione Vicarii Ordinis fuit praesens [66]).

Reverendi ac Venerabiles Priores et Canonici.

Reverendus Pater Nicolaus Prior Monasterii Strahoviensis.

Reverendus Pater Fredericus Prior Monasterii Teplensis [67]).

Reverendus Pater Hugo Prior Monasterii Lucensis.

Reverendus Pater Petrus Monasterii Zabrdovicensis.

Reverendus Pater Nicolaus Prior Monasterii Geracensis.

Reverendus Pater Joannes Supprior Strahoviensis.

Reverendus Pater Alexius Seminarii Norbertini Praeses Pragae [68]).

Reverendus Pater Franciscus Decanus Zatacensis, Capituli Secretarius [69]).

Venerabilis Pater Tobias parochus Iglaviensis [70]).

[59]) Benedictus Lachen. Vide n. 18.

[60]) Benedictus Waltenberger. Vide n. 13.

[61]) Petrus Herkardt. Vide n. 28.

[62]) Martinus Greysing. Vide n. 19.

[63]) Norbertus ab Amelunssen. Vide n. 20.

[64]) Zacharias Bandhauer. Vide n. 53.

[65]) Laurentius Roczar. Vide n. 29.

[66]) Valentinus Springel. Vide n. 22.

[67]) Iste, Fredericus Füssl, fit postea abbas Teplensis, annis 1648-1654. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 317.

[68]) Alexius Perlerius. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 533.

[69]) Vide n. 21.

[70]) Paroecia incorporata abbatiae Strahoviensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 311.

Venerabilis Pater Franciscus Parochus Pernhartcensis.
Venerabilis Pater Franciscus (sic !).
Venerabilis Pater Joannes Parochus Naclensis [71]).
Venerabilis Pater Matthias Parochus Chotieschoviensis [72]).
Venerabilis Pater Joannes Parochus in Drosendorf [73]).
Venerabilis Pater Clemens Parochus in Butz.

Quod ab his omnia sic acta, definita, promulgata et acceptata sint in hoc praesenti Capitulo Provinciali, prout supra relatum et expressum est, manus propria subscriptione, sigilli quoque nostri appressione testamur.

[71]) Naklo erat paroecia administrata a canonicis Gradicensibus. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 292.

[72]) Haec paroecia incorporata erat canoniae Gerusenae. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, 316.

[73]) Haec paroecia incorporata erat canoniae Strahoviensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 289.

2

Capitulum Provinciale Plagae celebratum anno 1644

In Nomine Sacrosanctae et Individuae Trinitatis. Amen.

CAPITULUM PROVINCIALE ANNO reparatae salutis Millesimo sexcentesimo Quadragesima Quarto, Vigesima prima die Septembris, quae Divo Matthaeo Apostolo et Evangelistae sacra fuit, inchoatum, celebratum in Monasterio Plagensi [1]) Austriae superioris pro Circariis Bohemiae, Poloniae, Ungariae, Moraviae, Austriae, Silesiae, coeterisque adiacentibus Canonicorum regularium sacri nostri Ordinis Praemonstratensis.

Sessio 3.

23ª Septembris.

Missam solemnem habuit de Spiritu Sancto Rmus D. Norbertus [2]) Praepositus Doxanensis [3]). Post invocationem Spiritus Sancti in Capitulo itum est ad

Conclusionem 10.

Ut uniformitas in omnibus Ordinis nostri Monasteriis servetur, Statuta recentiora [4]) cum novo Ordinario [5]) ultimo (p. 2) Capitulo

[1]) Plaga seu Schlägl. Vide C. L. HUGO, *Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, II, Nanceii, 1736, col. 559-570; N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, I, Straubing, 1949, pp. 308-310.

[2]) Norbertus ab Amelunxen seu ab Amelunssen, praepositus erat annis 1637-1642; deinde abbas Siloensis. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, Nanceii, 1734, col. 640.

[3]) Doxan, seu Doksan, vel Doksany, in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. HUGO, *Annales*, I, col. 633-642; BACKMUND, *Monasticon*, I, 287 s.

[4]) Agitur de Statutis approbatis a Capitulo Generali Ordinis anni 1630.

[5]) Ordinarius seu Liber Coeremoniarum iste editus fuit anno 1628. Cfr. Pl. LEFÈVRE, *La Liturgie de Prémontré*, Louvain, 1957, p. IX, 27-29.

Generali approbata ubique a Superioribus Monasteriorum coemantur et acceptentur, ac per omnia secundum locorum dispositionem et Religiosorum numerum pro virili observentur.

Ad hujus uniformitatis praxim faciliorem inducendam conclusum est ut manicae in sacro habitu sint strictae sine plica, abque nodulis sed cum fibulis, scapulare sit latum decem polices. Habitus ut habeat fimbrias humerales latas uno medio police Ordinis, sit sine suturdis, sed simpliciter factus, longus usque ad talos, aequale quoque sit scapulare, caputium proportionatum, secundum statuta non nimis strictum nec latum, ad distinctionem Monachorum ; cingulum sit semper ex eadem materia cuius est habitus, nec praesumant qualescunque Canonici, Officiales, Parochi, ex alia materia habitum sibi procurare, quam ex panno vel quinetto ; nunquam ex camelina seu alia pretiosiore materia. Caveant a pruriente vanitate in Tibialiis, calceis oculatis, vel nimium elevatis, ocreis et calcaribus profanis, ad ostentationem, ut differentia sit inter Religiosos et mundanum. Absit ut candidi incedant alto cothurno, quibus condecet humilitatis et virtutis viam omnibus praemonstrare. Curiosa in zonis spiris pileorum, chirothecis aversentur ; colaria nec strophiola sint fimbriis ornata, quae se extendant ultra colare habitus uno police tantum. In itineribus pallio griseo utantur. Pallia alba, sint longa tam Praelatorum quam fratrum ubicumque his incedant. Interdicitur similiter fratribus tam in quam extra habitantibus uti mitrellis nigris his iam valde assuetis. Rasura fiat in corona aequalis, dependens ad superiorem partem auriculae, et ascendat per tres digitos ubique absque rasura. Barba per pectinem tondeatur, sine mustacibus, et sic quantum per mensem crescere potest. Tunica brevis seu pectoralis itinerantium protendat se usque ad thibiam, et habitus semper sint clausi, tam talares quam pectorales. Victus et potus iuxta Ecclesiarum (p. 3) et Praelatorum discretionem fratribus tribuantur ; et singuli ex singulis scutellis comedant. Horae canonicae cum cursu B. V. Mariae quando persolvendus est, juxta morem Ordinis sub peccato mortali in Choro autem conventualiter persolvantur, ut expresse loquuntur Statuta Dist. 1ª, cap. 3°.

Conclusio 11.

Cum exemplaria novorum Breviariorum Ordinis in hasce terras delata, numerum fratrum non adaequent, neque in editionem horum Breviariorum, Processionalium et aliorum librorum ad Chori usum

pertinentium hoc exulceratissimo belli tempore, R. Rmi DD. Praelati sumptus praestare queant, monentur ii qui in his defectum patiuntur, ut quando terra marique passus fuerint recuperati, et spe meliorum affulserit, ad illa mittant loca, unde commodius et pretio tolerabiliori possunt haberi. Supponitur provisum esse, ubi autem non, quantocius provideatur. Ad instantiam vero scripto porrectam Venerabilis Conventus Canonissarum Doxanensium [6]), et varias rationabiles propositas causas, conceditur iisdem usus antiqui Breviarii in Lucensi [7]) impressi.

Conclusio 12.

Pietas in Sanctissimum Patrem nostrum Norbertum, quamvis postulare videatur ut translatio ejusdem proprio horarum officio condecoretur ; quia vero huius compositioni Authoritas obstat Ecclesiae Canonici Ordinis ad officium festi solemne remittuntur.

Conclusio 13.

In solemnitatibus festorum Triplicium ubique Matutinae (quibus omnes etiam Concionatores interesse teneantur ; hora septima (p. 4) vespertina Paschalibus et Natalitiis Christi exceptis) inchoentur et cum debitis caeremoniis peragantur. Quo fratres ad officia subsequentis exurgant alacriores, et spiritus hilaritate confluentia populi devotionem vigilantius queant promovere.

Conclusio 14.

Declaratum est, ut officium seu vigilia Defunctorum more Ordinis infra octavam quarumcunque solemnitatum in Rubricis Ordinarii vel Breviarii non exceptis, etiamsi quinque Antiphonae ad earum Laudes legantur ; semper in Choro persolvatur, et cuncta quae

[6]) Vide n. 3.

[7]) Lucensis abbatia, sive Louka vel Klosterbruck fuit diu monasterium celeberrimum (in hodierna Tchecho-Slovakia). Abbas Sebastianus v. Gziepisch seu von Cepirohy (1576-1585), inter alia quae meritissime egit, officinam typographicam instituit, quae optima edere potuit pro necessitatibus Ordinis et fidelium. Cfr. HUGO, *Annales*, II, col. 87-94; BACKMUND, *Monasticon*, pp. 297-299; M. GROELIG, *Die Klosterdrückerei im Prämonstratenser-Stift Brück...* 1955-1606, Wien, 1908; vide M. RIESENHUBER, *Klosterbruck* in *Lexikon für Theologie und Kirche*, VI (1934) col. 52 s.

Statuta vel Ordinarius pro defunctis persolvenda praescribunt diligenter observentur.

Conclusio 15.

Si quis fratrum aut sororum nostri Ordinis in Domino obdormierit, illico per proprium Tabellarium proximiori Monasterio innotescat, ac inde sine ulla procrestinatione ad aliud et ex illo ad reliqua Monasteria per expressos nuncios sive cursores Breve transmittatur. Sed et Reverendi P. Priores obligantur, allatum Breve mox Parochis extra Monasterium degentibus intimare quo citius et certius ab omnibus Circariarum fratribus Sororibusque in defunctorum et fidelium animarum refrigerium succurratur ac juste solvatur. Quantum audita morte alicuius Praelati Ordinis non domestici fieri debeat conclusum est, vigiliae cum 9. Lectionibus, cantatum sacrum cum media commendatione et una disciplina. A singulis sacerdotibus duae Missae, a fratribus et sororibus bis septem Psalmi poenitentiales, a Convensis 100. Pater et Ave ; item trigesimum cum media commendatione. Pro Fratre et Sorore autem externis Vigiliae cum 9. Lectionibus, et media commendatione, solemne Sacrum (p. 5) cum una disciplina ; et omnes sacerdotes unam Missam, fratres autem et sorores Ordinis nostri septem Palmos poenitentiales, Conversi 50 Pater et Ave dicere teneantur. Et si plures supervenerint obitus, in officio uno includi posse, conclusum est. Neque obligantur Ordinis nostri Religiosi pro anima defuncti Fratris vel defunctae Sororis debitum persolvere, etsi eis aliunde de obitu innotescat, donec ad eos Breve perferatur.

Quod et quantum in loco defuncti describit Ordinarius.

Conclusio 16.

Quandoquidem statutum est in Ordinario cap. 95, n° 5, ut quando Abbates a Praemonstrato post Generale Capitulum ad sua loca redierint, duo generalia servitia in omnibus Monasteriis nostri Ordinis celebrentur ; primum pro omnibus Abbatibus et Fundatoribus ; secundum pro Fratribus et Sororibus. Placuit Rmis PP. Capituli Provincialis, ut eadem et post Capitula Provincialia modo in Ordinario praescripto diligenter observentur, et caveant Religiosi Fratres ne pensum hebdomadarium pro iisdem absque evidenti necessitate intermittant.

Conclusio 17.

Canonicis nostris et Juventuti in Seminario Norbertino Pragae [8]) studentibus, salutares et Ordini nostro Candidissimo conformes Regulas praescriptas esse Capitulum Provinciale praesens libenter intellexit, desideratque eas a Rmo D. Vicario Generali [9]) revideri et confirmari. Ad quaestionem vero a Rdo Patre Alexio Priore (p. 6) Monasterii Stahoviensis motam [10]) : Utrum Canonici Ordinis ibidem studentes beneficio a Rmo piae memoriae Gaspare a Questenberg [11]) illis impenso, videlicet quod cursum B. V. Mariae, Officium defunctorum, Psalmos poenitentiales certis temporibus alias orandos [12]) omittere possint nec ad eorum orationem obligentur ulterius frui queant et gaudere. Resolutum est Capitulum praesens obstantibus Ordinis Statutis, circa cursus B. Mariae V. totalem omissionem dispensare non posse. Relinquendam tamen eam dispensationem a Rmo D. Caspare piae memoriae Fundatore Seminarii et Vicario Generali factam, donec haec studentium Fratrum difficultas, inter reliquas Capitulo Generali futuro possit proponi.

Conclusio 18.

Ut Charitatis et pacis vincula in praefato Seminario serventur illaesa, omnibus Matricis Ecclesiae Canonicis Professis districtius inhibetur, ne Canonicos in filiabus Ecclesiis Professos irrideant nominibus, vel quovis modo contemnant, se Patres eorum praesumptuose jactando (hic enim titulus solis debetur Abbatibus) sed invicem honore praevenientes, in Domino Confratres se profiteantur.

[8]) Collegium istud erectum fuit anno 1628. Vide C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 533-557; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 275.

[9]) Vicarius Generalis erat Benedictus Lachen, abbas Lucensis annis 1629-1653. In fine Capituli Provincialis anni 1641 ad hoc munus electus fuerat a coabbatibus in Capitulo dicto anno 1641 congregato. Vide p. 32.

[10]) Alexius Perlerius, qui nunc dicitur Prior abbatiae Strahoviensis, qua rector Collegii Pragensis, Capitulo Provincialis anni 1641 intererat.

[11]) Abbas Caspar de Questenberg, abbas 1612-1640, vir fuit omni exceptione maior. Vide L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes, Savants de l'Ordre de Prémontré*, II, Bruxelles, 1902; pp. 71-73.

[12]) Officia ista ac preces juxta Statuta et Ordinarium statis diebus ac temporibus recitari debebant.

Conclusio 19.

Nec vocentur Adventitii seu Alienigenae Canonici Ordinis qui ex obedientia Rmi sui Abbatis ad filiale Monasterium, pro augmento et conservatione cultus divini, pro restitutione disciplinae regularis, pro decore et Ordinis gloria (aliis in loco deficientibus professis) transierunt. Etenim licite potest imo tenetur quisque Pater Abbas universa quae in filiali Ecclesia contra Ordinis instituta et approbatas consuetudines fieri compererit, in pristinum et debitum statum sive per se sive per Canonicos suos Professos reformare (p. 7), quod humiliter audire, et in illis Patres Abbates [13]) suos honorare doceant Filii Praelati, in quorum solatium sunt transmissi.

Conclusio 20.

Si filius Abbas se contra Matricem Ecclesiam erexerit, aut Pater Abbas filialem Ecclesiam praegravarit, vel lis inter Ordinis Monasteria fuerit exorta, res, instrumentis partium productis, ad legitimos Superiores Ordinis devolvatur, qui servata Statutorum norma ex aequo et bono sine strepitu fori decernat.

Conclusio 21.

Ordinis nostri Canonici et Sacerdotes qui extra domum Professionis suae vel Circariarum ex obedientia suorum Praelatorum pro honore Dei et Ordinis bono laborant, ab electionibus Praelatorum excludi non debent. Atque ideo quando contigerit Praelatum alicuius monasterii mori, ad novi electionem huiusmodi licet sint extra Provinciam (nisi ob culpas suas voce careant) vocentur.

Conclusio 22.

Canonici nostri lectores in Monasteriis et Seminariis Ordinis si ex Provincia Circariis nostris minime incorporata advenerint et operam suam fratribus fructuose impenderint, habeantur pro domesticis, voce gaudeant activa et passiva in omnibus Circariis nostrae Capitulis, reputenturque habiles ad quasvis Ordinis dignitates seu obedientias Regulares, et meritorum ratio habeatur specialis.

[13]) Patres Abbates dicebantur Abbates monasteriorum quae alia aut aliud

Conclusio 23.

Quantum pro victu Fratris unius vel Alumni ad studia in (p. 8) Seminarium Norbertinum Pragae mittendi quisque DD. Praelatorum persolvere debeat, ipsimet cum Rmo D. Crispino [14]) Abbate Strahoviensi utpote fundatore conveniant, et iuxta temporum varietatem componant.

Conclusio 24.

Religiosi nulli casui reservato implicati Praelatis suis confiteri non teneantur inviti, nec ad id ab iisdem etiam in Paschate contringi queant [15]). Statutum hoc placuit Capitulo Provinciali extendere ad Priores seu Conventuum et Seminariorum Praesides, quibus etiam confiteri nulli teneantur, sed id mere dependeat ab electione fratris poenitentis. Praelatorum autem munus est (his exceptis) alios in suis Ecclesiis constituere confessarios discretos et doctos, qui pro casuum varietate solvere sciant et ligare.

Conclusio 25.

Pastores aliique extra Monasterium habitantes, sicut et Conventuales in itinere constituti, Confessariis approbatis sive Regularibus sive Saecularibus confiteri queant, nisi Praelati ex justa et gravi causa aliter circa suos iudicent ordinandum. Verba sunt statuto-

monasterium Ordinis fundaverant; horum monasteriorum fundatorum vel monasterii fundati Abbates dicebantur Filii-Abbates. Patribus-Abbatibus in antiquis Statutis magna tribuebatur potestas atque jugis vigilantiae obligatio. Integrum caput IX Distinctionis IV Statutorum anni 1630 de hac re agit: Quae sit lex inter matrices Ecclesias et filiales ac inter alias, et de Patrum-Abbatum auctoritate.

[14]) Crispinus Fuck, mortuo abbate de Questenberg anno 1640, abbas Strahoviensis constituitur; postea insimul archiepiscopus Trapezuntinus et suffraganeus Pragensis consecratur. Moritur die 13 Augusti 1653. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 930 s.

[15]) In Statutis anni 1630 haec de hac materia edicuntur: « Religiosi nulli casui reservato implicati, Praelatis suis confiteri non teneantur inviti, nec ad id ab iisdem constringi queant, nisi semel in anno, idque circa festum Paschae, circa quod tam intranei quam extranei, Pastores et Beneficiati, Praelatis suis, aut aliis (quos Praelati ad hoc specialiter deputare obligantur) confiteri teneantur ». In conclusione 24a huius Capituli Provincialis ordinatio Statutorum anni 1630 non parum mitigatur. Cfr. de hac materia J. B. Valvekens, *Notulae quaedam de usu Sacramenti Poenitentiae* in *An. Praem.*, XXXIV, 1958, pp. 96-106.

rum [16]). Ubi vero plures cohabitant, eligatur quidem ex his unus confessarius domesticus et tamen alteri approbato externo confiteri non prohibeantur ; sed solus Parochus seu senior eorum attendat, ne sub specie reconciliationis evagandi detur occasio.

Conclusio 26.

Ordinariis concionatoribus, qui in Civitatibus et Monasteriis hoc munus obeunt (non autem alii qui egrediuntur foras ad pagos seu oppida totum tempus feriae sextae) excepto Capitulo et nisi festum Duplex sit ; Sabbatisque cuius vesperis etiam intersint, pro studio assignatur, attamen (p. 9 Sacrum his diebus legere vel audire teneantur. Conceditur quoque iisdem ut illa nocte ad matutinas surgere non obligentur, quae diem praecedit qua concionandum eis erit. Et si Superiores suos rogaverint, ut et sequenti nocte quiescant, licentia facile non denegetur. A lectione mensae regulari quoque praerogativa sint exempti. Ubi autem paucitas fratrum est, hac libertate gaudere non possunt.

Conclusio 27.

Contingit nonnunquam in Conventibus, quod fratres professione seniores, aetate autem iuniores, ob solum hunc aetatis defectum, in promotione ad Presbyteratum professione Junioribus, sed aetate maturis postponantur, ac per hoc stallum chori cedere cogantur. Ne vero similis aetatis defectus coeteroquin bonis Religiosis praejudicet, et imbecillium animos conturbet, statutum est per Capitulum Provinciale, ut hi tales cum aetatem assecuti, et sacerdotio fuerint insigniti, stallum Professionis recipiant, et aetate anteriores iterum cedere, (nisi sint in officio praecellenti) teneantur.

Conclusio 28.

Cum pariter intra fratres Religiosos praesertim extra claustra degentes interdum fiat contentio, quis eorum videatur esse major, ad tollendam omnis dissidii occasionem declaratur. Eundem qui intra claustrum senior erat (nisi regularis officii dignitas aliud postulet) tanquam seniorem audiendum et honorandum.

[16]) Ita in Statutis anni 1630, Dist. I, cap. VI, nr. 18.

Conclusio 29.

Parochi seu Pastores, quamvis degendae vitae normam in Statutis nostris [17]) habeant sibi praesciptam, monentur nihilominus (p. 8) serio per Capitulum Provinciale, ut dierum Mercurii et Septuagesimae abstinentiam a carnibus, tempore vero Adventus Regulare Ordinis ieiunium non infrigant, poenis alias in Statutis assignatis acrius sine remissione subiicendi.

Conclusio 30.

Parochi ut seculari Pagorum suorum Regimini se non immisceant, nisi petito desuper et impetrato consensu Praelati, in Statutis Ordinis cautum est [18]). Adiicitur autem pro decentia status et more Patriae, ut ubi fratres Laici temporalium sunt Provisores, consilio Parochi utantur ; et si quando ad honorabiliores status personas administrationis munere sic perurgente sit scribendum, Parochus informetur et scribat. Claves quoque ianuae domus Parochialis singulis vespertinis temporibus certa hora ad Parochum deferantur, matutino easdem relaturi. Neque quisquam Religiosorum e Domo Parochiali sine ipsius Parochi licentia praesumat exire, vel ultra tempus sibi assignatum emanere.

Conceditur etiam Parochis habentibus administratores temporalium a Praelatis ordinatos, iuribus stolae suae, seu accidentiis pro suis et suorum Cappellanorum necessitatibus uti et frui ; quotannis Rmis DD. Praelatis rationes accepti et expensi fideliter reddituri. Salutare quoque visum est, ut lectionem ad mensam (ubi plures sunt) habeant, quo vaniloquiorum aliorumve excessum tollatur occasio. Habeant quoque Parochi sigillum iuxta placitum suorum Praelatorum, quo litterae singulorum cohabitantium Religiosorum occludantur, neque praesumat quisque sine scitu Parochi litteras emittere vel recipere. Ac demum in omnibus regularis observantiae sint studiosi sectatores.

(p. 11) Huic Conclusioni ut per omnia satisfiat RRmi Praelati sedulo attendant, eritque in eorum potestate si ex concesso Accidentiarum seu Jurium stolae usu emergant excessus, eum immutare vel omnino tollere et revocare.

[17]) De hac materia agunt Statuta anni 1630 in cap. XXIII, Dist. II.

[18]) Vide n. 21, cap. XXIII, Dist. II. Statutorum anni 1630.

Conclusio 31.

Juxta morem Ordinis decretum est, ut omnes illi sacerdotes, qui cum Parochis extra Monasterium vivunt, ac in animarum cura, concionando, confessiones excipientes et alia Sacramenta administrando cooperantur, Parochorum Capellani nominantur. Tuizationes debitum respectum diminuentes, fraternitatem cum saecularibus contractiones, Novalium indagationes, et in Conventibus relationes prohibentur, et poena triduani ieiunii in pane et aqua puniantur. In qua nullus Prior habet potestatem dispensandi, sed sit in dispensatione Praelatorum.

Conclusio 32.

Litteras correctorias si quando Religiosis Canonicis extra Monasteria in obedientia degentibus scribere necessitas postulet, eas scribat Praelatus manu propria vel Pater Prior eius mandato, et in secreto serventur ne si per manus aliorum Conventualium exarentur, diffamandi formes subministratur, oboriantur scandala, fraternae charitatis iura dissolvantur, et Capituli de secretis Ordinis non revelandis, violatores proclamentur.

Conclusio 33.

Quandoquidem circa correctionem Paraenesis, varia consideratione digna occurrerunt. Ideo in tantum condescendit Capitulum Provinciale ut ad minus Reverendissimus D. Praelatus ibidem (p. 12) Protocolla et similia scripta diligentius custodiat, nec permittat ea communi fratrum manu teri.

Conclusio 34.

Sicut olim laudabiliter et utiliter Praelatorum unus in quavis Provincia nostri Ordinis constitutus erat, qui in Apostatas, fugitivos ex alienis Circariis sine legitima suorum Superiorum licentia accurrentes et Parochias sollicitantes diligenter advertebat ; sic porro continuandum esse conclusum est. Atque in hunc finem cum Illmis et Rmis loci Ordinariis eorundemque officialibus correspondendum, ut nulli nostri Ordinis Canonici externi, sine scitu Praelati ad hoc specialiter deputati, curam conferant, ne per similem discolorum exorbitantias candor Ordinis obfuscet. Quamobrem deputatus est in Regni

Bohemiae superiori parte Rmus D. Teplensis [19]) ; in inferiore parte Rmus Strahoviensis, Suffraganeus Pragensis et Visitator [20]), in superiore Austriae Rmus D. Plagensis [21]), in inferiori vero Austria Rmus D. Pernecensis [22]). In Moravia cum ipsemet Rmus D. Vicarius Generalis praesensit [23]) alius constitutus non est. Tales autem nullatenus quaecumque beneficia accipere posse nisi cum illius Praelati praescitu et consensu, in cuius districtu intercepti fuerint.

Conclusio 35.

Incorrigibiles qualescumque et ii qui malitiose in suos Praelatos insurgere, Conventus Religiosos graviter turbare, ac inquietudine sua praesumunt adgravare ex eo, ut foras emissi liberius in scandalum Ordinis dedecusque disponant Monasteriorum, et genio suo indulgeant, si de hoc saepius moniti non destiterint, et sufficienter fuerint coram Generali Vicario convicti, carceribus puniantur, illisque detineantur, (p. 13) quousque errorem agnoscentes, condignam egerint poenitentiam, et misericordiam per suorum confratrum vel sanioris partis conventus intercessionem, a praedictis Reverendissimo Domino Vicario Generali consequi mereantur. Extremo vero incorrigibiles, scandalose et enormiter excessivos, conclusit Capitulum Provinciale mittendos esse ad triremes ad quas facilis via inventa est.

Sessio 4.

24 Septembris.

Sacrificium Missae de Spiritu Sancto celebravit Reverendissimus D. Zacharias Praepositus Chotischoviensis [24]). Et rursus in praefato Capitulo invocata gratia Spiritus Sancti subsecuta.

[19]) Teplensis abbas tunc erat Joannes Pecker (abbas annis 1629-1647). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 946 s.

[20]) Strahoviensis abbas erat Crispinus Fuck; insimul suffraganeus Pragensis et archiepiscopus Trapezuntinus. Cfr. n. 14.

[21]) Martinus Greysing, praepositus Plagensis inde ab anno 1626; deinde primus abbas Plagensis inde ab anno 1657. Cfr. L. SCHUSTER, O. Praem., *Martin Greysing, der zweite Gründer Schlägls: An. Praem.*, XXXIII, 1957, pp. 217-258.

[22]) Praepositus Pernecensis (Pernegg) tunc erat N. Bratitz. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

[23]) Benedictus Lachen. Vide n. 9.

[24]) Zacharias Bandhauer, praepositus tunc erat (a. 1639-1657) in Cotischovio.

Conclusio 36.

In qua propositum est de Indulgentiis pro Dominica infra Octavam SS. Patris nostri Norberti. Resolutum est, ut recurratur ad Sedem Apostolicam, ad impetrandas plenarias indulgentias, etiam pro Dominica infra Octavam SS. Patris nostri Norberti, ne populus qui ex devotione hunc diem celebrare consuevit, huius effectu frustretur.

Conclusio 37.

Propositum est pro studiis in Provinciis Moraviae et Austriae erigendis. Quo in puncto Capitulum ob nunc gravem temporis injuriam aliasque molestias et difficultates, quid certi se resolvere non potuit. Attamen faventibus melioribus temporibus, (p. 14) hoc punctum sedulo prosequetur.

Conclusio 38.

Ad instantiam Rmi D. Pernecensis Praepositi Translatio Sororum ex eodem Monasterio Pernecensi, et introductio fratrum Canonicorum ante sexaginta circiter annos non contradicentibus tunc nostri Ordinis superioribus facta, confirmata est a Rmo Dno Vicario Generali, et hoc ipso Capitulo Provinciali assensum Capitularem Rmi D. Petri Abbatis Geracensis, tamquam suae domus Patris [25]). Cujus confirmationis erexerunt et praedicto Dno Praeposito desuper instrumentum publicum dederunt [26]). Ex qua Confirmatione inibi Fratres Professi, in electionibus Praelatorum vigore Professionis emissae voce activa et passiva gaudeant, salvo iure Paternitatis praememoratae Geracensis.

Conclusio 39.

Ad instantiam Rmi Domini Praepositi Doxanensis [27]), cum Vir-

[25]) Monasterium Pernecense (Pernegg; in Austria Inferiori) primitus erat coenobium religiosarum; postea, anno 1582, mutatum est in monasterium canonicorum, eo quod practice deficerent candidatae ad vitam religiosam (cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 535). Inde a praesenti Capitulo Provinciali agnoscitur juridice uti domus sui juris, cum assensu Vicarii Generalis, Benedicti Lachen, et Patris-Abbatis Pernecii, abbatis nempe Gerusani, Petri Herkardt.

[26]) Nomen huius praepositi erat Norbertus Bratitz. (annis 1643-1653).

[27]) Doxan (seu Doksany, in hodierna Tchecho-Slovakia): cfr. C. L. Hugo, *An-*

ginibus Doxanensibus ratione cantus Gregoriani horarum dispensatum est, ut exceptis Prima, Missa maiori, et Vesperis, nisi festa Triplicia occurrant, coeteras horas uni sono graviter et distincte persolvant. Eadem dispensatione gaudeant Sorores Chotischovienses [28]), pro quibus earum Rmus D. Praepositus rogavit.

Conclusio 40.

Serio monentur Rmi D. Praelati et Conventuum Priores ut sacrae Regulae et Statutorum praesumptuosos violatores, (p. 15) Secretorum Ordinis revelatores, Chori et exercitiorum spiritualium contemptores, ob Lantzmanneitatem. Item qui propriis sigillis ac expraticandas litteras et eas recipiendas utuntur, violatores quietis et silentii et similium in aliorum exemplum, si se non emendent durius castigent, et si necessum fuerit, tales ad tempus stallo, voce activa et passiva privent.

Conclusio 41.

Quandoquidem in diversis Monasteriis irrepit abusus Tabaci inter fratres, unde varias contrahunt aegritudines, et aetas florida destruitur, quod usui amplius non sint, et petulanter sese ad omnes Religiosas obedientias inhabiles faciunt, et quasi semetipsos occidunt. Ideo Capitulum Provinciale tanto malo in tempore occurrendum esse iudicavit, statuitque ut imposterum si quis contra hanc prohibitionem Tabaci fecisse deprehenditur, solatium medicorum omnino ipsi subtrahatur, et si sic mortuus fuerit, careat sepultura fratrum. Interim autem in choro et ubicumque Conventus simul convenerit, ultimum locum obtineat, ne alius suo foetore Tabaci inficiatur.

Sessio 5.

25 Septembris.

Sacrum de Spiritu Sancto solenniter cantabat Rmus D. Benedic-

nales, I, col. 633-642; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 287-289. Praepositus tunc erat Norbertus von Amelunssen seu ab Amelunxen.

[28]) Cotischovium (seu Chotesvov, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat coenobium religiosarum. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 533-560; N. BACKMUND, *Mo-*

tus Abbas Zabrdovicensis [29]). Eo percantato iterum (p. 16 hymno Veni Creator Spiritus in Capitulo tractata.

Conclusio 42.

Ut debita Ordinis servetur uniformitas in omnibus Monasteriis nostris Matutinae media nocte persolvantur minori canti unisono, cum caeremoniis in Ordinario et modo in Statutis nobis praescriptis. Exceptis illis diebus de quibus loquitur Conclusio 13. praecedentis Capituli Provincialis [30]). Ubi festivitates Triplicis Classis excipiuntur ; Ut in his Matutinae hora septima cantu Gregoriano perficiantur ; hac tamen distinctione, ut in Festo Triplici primae classis cantentur totae, secundae classis Invitatoria cum hymno, Te Deum laudamus cum Laudibus, et tertiae classis Te Deum laudamus cum Laudibus tantum cantu perficiatur. In quo autem Monasterio numerus 12. Fratrum non reperitur, quid cantandum aut legendum erit, manet in dispositione et dispensatione DD. Praelatorum.

Conclusio 43.

Resolutum quoque est, ut tantum in maioribus Festivitatibus, diebus festivis et Dominicis Missa maior cantu figurali a Fratribus celebrari possit, etiam Instrumentis musicalibus ; Ita tamen ut Fratres Musicam figuralem ignorantes, sub divino officio Missae Sacrificio in suis stallis perseverent, et subsequenter concionem omnes, etiam Musici in stallis suis devote audiant. Musicalia vero instrumenta, ne iisdem abutantur, aut semper maneant in Ecclesia, aut in dispositione Praelati certa custodia observentur.

(p. 17) *Conclusio 44.*

In hac quoque sessione propositae sunt difficultates a Patribus et aliis Canonicis nomine Conventuum et Parochorum et Statutis et

nasticon, I, pp. 285-287. Praepositus tunc erat Zacharias Bandhauer (annis 1639-1657).

[29]) Inde ab anno 1623, abbas canoniae Zabrdovicensis (seu Zabrdovice, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat Benedictus Waltenberger. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1180 s.

[30]) De hoc puncto statuebatur in Capitulo Provinciali anni 1641 ; non autem in conclusione decima tertia, sed decima quinta. Cfr. supra, p. ...

Ordinario. Quarum resolutiones quia commissae Rmis Dominis Defiitoribus ad referendum ad subsequentem sessionem sunt dilatae.

Sessio 6.

26 Septembris.

Missae Sacrificium de Spiritu Sancto solenniter celebravit Rmus D. Stephanus Abbas Siloensis [31]). Invocataque in Capitulo ante dicto gratia Spiritus Sancti secuta

Conclusio 45.

Anne Confessariis Extraordinariis Parochorum seu itenerantium Fratrum concedenda sit potestas a casibus reservatis ? Judicatum est, minime dandam esse ob conscientiarum relaxationem et distinctionem potestatis Praelatorum ad conformitatem Statutorum.

Conclusio 46.

Licet Statuta permittant colloquium post coenam, quia tamen pro Regionum varietate et necessitate Vicariis seu Visitatoribus aliud disponendum relinquunt [32]). Ideo Capitulum decrevit ob varias praegnantes causas, et ad redimendum tempus antecedens pro studiis, ut totaliter hoc ipsum colloquium abrogetur. Coena vero post medium Sextae inchoetur, qua absoluta et gratiis dictis, (p. 18) Completorium, dein examen conscientiae peragetur. Demum se quilibet Fratrum ad cellae quietem conferat componatque. Ne vero lectores et ministri ab examine conscientiae impediantur, statutum est, ut immediate ante coenam in loco a P. Priore illis specialiter deputando, simul Completorium orent.

[31]) Siloë, seu Selau aut Zeliv (in hodierna Tchecho-Slovakia). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 809-818. N. Backmund, *Monasticon*, I, 323. Anno 1644, abbas erat Stephanus Magni (abbas annis 1643-1649).

[32]) Statuta anni 1630 ita de hac re loquuntur: « Dictis gratiis, colloquium Fratres habeant, nutu eius, qui praesidet, terminandum, nisi pro regionum varietate et necessitate a Vicarius vel Visitatoribus aliud statuatur ». Nr. 20, cap. VIII, dist. I.

Conclusio 47.

Prohibent Statuta ingressum cellarum sub certis poenis, quibus etiam subiectos esse omnes qui cellam Patris Prioris vel Magistri Novitiorum intrant volumus [33]). Si quis autem iisdem loqui desiderat, extra cellam ad locum colloquio determinandum progrediatur [34]). Prohibetur etiam severissime sub poena cellam ingredientibus assignata, ne quis pessulum intrinsecus in cella opponat, seras mutet, vel loca seu foramina visitationis occludat [35]).

Conclusio 48.

Cum supremae charitatis sit infirmis bene et honeste providere, monentur Provisores, ut iis quod necessarium fuerit, pro qualitate infirmorum charitative providere non intermittant. Sed et aliis Fratribus necessaria sine murmure et difficultate subministrent. Item de vestiariis intelligendum. Casu autem quo haec denegarentur per Patrem Priorem seu Praesidem, vel Magistrum Novitiorum cum religiosa modestia Domino Praelato insinuetur, qui tenebitur negligentes seu denegantes serio corrigere, et petita procurare. Quia vero ob praecedentium temporum pericula interiora vestimenta diversi coloris [36]) fratribus subinde sunt distributa, mandatur P. Prioribus Conventus, ut eadem recolligant, vestiario includant, et alia iuxta praescriptum Statutorum illis procurent.

(p. 19) *Conclusio 49.*

Ne proprietatis vitium totaliter ex Ordine Candidissimo nostro eliminetur, Capitulum Provinciale consultum duxit, omnibus huius

[33]) Statuta anni 1630 ita de hac re edicunt: « Nullus pessulum intrinsecus ostiis oppositum ullatenus habere permittatur »: nr. 4, Cap. XIII, dist. I.

[34]) Statuta anni 1630 silentium strictissime praescribunt pro Dormitorio (nr. i, cap. XIII, dist. I); qui illud ibidem violaverint « sine remissione uno die in pane et aqua ieiunent, nisi Rector Capituli ex iusta causa mitius cum eo agendum duxerit » (nr. 17, cap. II, dist. III). Hoc statutum etiam stricte sumendum esse de cellis, edicit praesens Capitulum Provinciale.

[35]) Statuta anni 1630 vetant pessulum ostiis intrinsecus appositum (nr. 4, cap. XIII, dist. I); ex nr. 21, cap. VIII, dist. I, Statutorum sequitur in portis cellarum dari generatim foramina vel fenestellas, quibus possibile erat inspicere quid in ipsis cellis perageretur.

[36]) Statuta anni 1630 quoad vestimenta interiora edicunt illa redolere debere simplicitatem et asperitatem; de vestimentis exterioribus haec statuunt: « Lanae

Provinciae nostrae Canonicis, Professis et Parochis, tam intra quam extra conventum degentibus, poenas proprietariis ex Statutorum praecripto infligendas serio inculcare, et his ipsis ob oculos ponere. Sciant itaque proprietarios 12 florenorum huius Patriae pretium habentes, subticentes, vel sine Superiorem licentia utentes, ad triennales carceres sine ulla relaxatione damnari. Qui vero alias rem notabilem celaverit, vel proprietatis vitio se mediocriter maculaverit poenae gravioris culpae 40 diebus subiiciatur. Qui vero rem minimam celaverit v. g. pretium grossi vel etiam cruciferi, tribus diebus in medio refectorii in pane et aqua poeniteat, et totidem disciplinae per psalmum Miserere corrigatur. Quare prohibetur strictissime ne fratres Conventibus et Cellis suis habeant pulpita seu cistulas occlusas sine licentia Superiorum, sed sit tam Patri Priori quam Praesidi Conventus semper ad illas aditus. Interdicitur quoque lusus pro imaginibus, Rosariis et similibus alicuius valoris. Item similium donationes vel receptiones sine licentia superiorum prohibentur, sub poena 20. dierum gravioris culpae.

Conclusio 50.

Statutum quoque est ut Confiteor in Prima et Completorio persolvatur quatenus Ordinarius iubet. Item ut major observetur tonus in Vesperis, Matutinis et Summo Sacro, necnon post Antiphonas Beatae Mariae Virginis in collectis, alias semper tonus minor. Et quia consuetudo in quibusdam Monasteriis obtinuit, post Matutinas cantare Ave (p. 20) stella in omnibus Monasteriis observari decretum est ; uti mos solitus eundi ad Processiones solennes ac redeundi. Sic etiam, pulsus campanarum et organi pro locorum varietate et consuetudine relinquitur. Biretorum quoque usus sit uniformis, et solis Sacerdotibus licitus in Processionibus, in exitu et reditu a Sacrificio Missae, Diacono quoque et Subdiacono, nec non Assistenti in ministerio solemnis Sacrificio Missae. Superpellicea vero sint consuta sine manicis, et non aperta nisi pro fratribus laicis qui pro majori dexteritate operis sui exercendi in Ecclesia, et in distinctionem a Fratribus Canonicis, talibus uti debeant, quae apertas et dependentes alas habeant.

vestes et aliae omnes, aut cappae, pallia et similes, quibus tam Abbates quam Canonici utuntur, sint albae, nec sint subtiles vel splendidae, sed professae paupertati conformes ». Ita Statuta anni 1630, nr. 4, cap. XIX, dist. II.

Conclusio 51.

Cum Ordinarius et Breviarium Ordinis in hoc discrepent, an Gloria in excelsis cum Te Deum laudamus in Adventu, Septuagesima et Quadragesima in festivitatibus dici debeant ? Huic Capitulo visum fuit esse hoc in passu accommodandum Ordinario, qui affirmat esse, et quod subsequens corrigat prius, conformiusque ritui Romano. Quaenam autem festa Dioecesana sint a nobis celebranda, speciale Calendarium demonstrabit. Indulgetur quoque ob reverentiam maiorem Octavae Smi P. N. Norberti, ut officium defunctorum sub eadem suspendatur, donec illud Fratres conventuales post peractam Octavam solenni Anniversario pro defunctis Ordinis nostri recompensent. Minus autem tutum videtur, ut fratres nostri pensum Psalmorum Poenitentialium alio persolvantur tempore, quam ut ipsa Statuta et Breviarium tam intra quam extra quadragesimam nobis praescribunt.

Conclusio 52.

Unanimiter etiam resolutum est, ut post prandium absolutis (p. 21) Nona seu gratiis omnes una properent ad cellam, mansuri ibidem donec a Priore seu Praeside conventus per pulsum campanae evocentur ad conversationem, quae sit religiosa, modesta, neque in recreationes transmutetur, sed hora elapsa per pulsum campanae Dormitorii P. Prior seu Praeses Conventus omnes ad Oratorium seu locum ad id determinatum convocet, ibidemque per orationem Psalmi De Profundis cum versiculis et collecta consueta pro benefactoribus iuxta laudabilem morem antiquum, conversationem terminet, fratribus sive ad recreationem aut aliam obedientiam dimissis usque ad Vesperas, quae in singulis Monasteriis nostris semper hora secunda peragantur. Item Psalmum Miserere post refectionem fratres ubique cantent. Psalmum autem De Profundis in Capitulo tam festivis quam aliis diebus et Processionibus distincte orent.

Conclusio 53.

Quandoquidem plures Patroni de Ordine nostro Praemonstratensi in hisce Provinciis bene meriti Confraternitatem et participationem bonorum et spiritualium exercitiorum nostrorum desiderant ; Conclusum est, ut una fiat formula communis, quae repetitis exem-

plaribus imprimatur ac deinde per Rm. Dm. Vicarium Generalem sigilletur et subscribatur, distribuaturque per singula Monasteria, quae deinde pro discretione cuiuslibet Praelati petentibus communicari possunt. Quo et nostrae in eos observantiae studium luceat clarius, augeatur eorum pietas, mutuaque dilectio in eo perseveret, qui est charitas aeterna.

(p. 22) In reliquis remittuntur fratres nostri ad Statuta et Ordinarium Ordinis, eorumque omnium sedulam observantiam.

Sessio 7.

27 Septembris.

Missam solemniter de Spiritu Sancto cantavit Rmus D. Norbertus Praepositus Pernecensis [37]). Invocatoque Spiritu Sancto per hymnum Veni Creator Spiritus in Capitulo saepe dicto.

Tractata sunt bonum publicum totius sacri Ordinis concernentia tactaque ea puncta quae pro capitulo futuro Generali considerabilia seu consideranda sunt communicata ; Ex quibus ea quae magis conformia ponderavimus, et in commodiora reservavimus tempora.

Sessio 8.

28 Septembris.

Festum S. Wenceslai solemnizavit Rmus D. Benedictus Vicarius Generalis et Abbas Lucensis [38]), quod etiam reliqui omnes speciali devotione celebrarunt. Post prandium autem convenientes praecedentibus diebus conclusa, incepta sunt ruminari, ut penitius examinentur, et si quid emendandum aut corrigendum occurrerit, hac ipsa occasione unicuique liberum fuit proponere.

Sessio 9.

29 Septembris.

(p. 23) Missam de Spiritu Sancto celebravit rursus Rmus D. Martinus Plagensis [39]). Invocataque Spiritus Sancti gratia, examinatis

[37]) Norbertus Bratitz, ab anno 1648 insimul Abbas Sancti Vincentii Wratislaviensis. Vide n. 22.

[38]) Benedictus Lachen. Vide n. 9.

[39]) Martinus Greysing. Vide n. 21.

sedulo praecedentium dierum actis, omnia R. Rmis DD. Praelatis praelecta, iisdemque approbantibus conclusa, ad describendum et subsequenti sessione promulgandum data sunt.

Sessio 10.

30 Septembris.

Missam de Spiritu Sancto celebravit Rmus Dnus Praepositus Neoreyschensis [40]). Ea finita, itum est ad Capitulum ac invocata gratia Spiritus Sancti.

Proposuit Rmus D. Vicarius Generalis [41]) de adventu Rmi D. Crispini Abbatis Strahoviensis [42]). Atque mittendum esse duos ex corona DD. Praelatorum judicavit, qui eundem Rmum. D. Abbatem Strahoviensem loco et nomine totius Capituli Provincialis humanissime salutarent, atque tam de adventu quam noviter adepto suffraganatu adgratulentur, et ad Capitulum Provinciale invitarent. Ad id exequendum nominati sunt duo Dni Praelati, Rmus videlicet Gradicensis [43]) et Rmus Chotischoviensis [44]). Quod deinde subsecutus Rmus D. Strahoviensis una cum ipsis Capitulum intravit. Completisque charitativis amplexibus eidem quae in hoc Capitulo tractata conclusaque fuerunt praelegebantur, ut si quid occurreret mutandum vel corrigendum, mutaretur corrigereturque. Quod et factum est.

Pater Alexius Prior loco et nomine totius Conventus Monasterii Strahoviensis [45]), porrexit Capitulo Provinciali quaedam (p. 24) puncta, quae omnia quia in ipso Capitulo Provinciali ponderata et conclusa erant, eundem ad illa remisit.

Sessio 11.

1ma Octobris.

Missam de Spiritu Sancto cantavit Rmus D. Praepositus Cho-

[40]) HUGO, *Annales*, II, col. 335-340; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 302-304. Anno 1644 praepositus erat Laurentius Roczar (ita HUGO); vel Plocar (ita BACKMUND).

[41]) Benedictus Lachen, abbas Lucensis. Vide n. 9.

[42]) Crispinus Fuck, abbas Strahoviensis, suffraganeus Pragensis et archiepiscopus Trapezuntinus. Vide n. 14.

[43]) Abbas Gradicensis (Hradisch seu Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat Jacobus Gedinus. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 756; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294 scribit: Jacobus Gedines.

[44]) Zacharias Bandhauer.

[45]) Norbertus Perlerius, antea rector Collegii Pragensis. Vide n. 10.

tischoviensis [46]), loco Rmi D. sui Abbatis Teplensis [47]). Post invocationem Sancti Spiritus.

Imprimis Rdus D. Alexius Prior Strahoviensis [48]), loco et nomine totius Conventus, ratione cuius huc erat missus cum plenipotentia Rmo Dno Vicario Generali [49]) uti et coeteri debitam cum genuflexione praestitit obedientiam.

Rmus D. Joannes Abbas Teplensis [50]) loco et nomine DD. Definitorum et totius Capituli Provincialis Conprovincialium Praelatorum petiit a Rmo D. Vicario Generali [51]) quatenus quamprimum fieri poterit per Dei gratiam Monasteria Ordinis nostri visitare, atque ut haec omnia quae praelecta sunt ad diligentem observantiam rediganter adlaborare velit. Commonuit etiam Rmus D. Vicarius Generalis omnes, ut juxta Statuta Ordinis nostri in similibus Capitulis Provincialibus nullus extra septa Monasterii illius, in quo Capitulum Provinciale celebratur sine licentia ejusdem Rmi D. Vicarii Generalis in futurum egredi praesumat. Atque ut omnia haec quae in Capitulo hoc Provinciali tractata et mandata sunt tam in capitibus quam in membris diligentissime et exactissime observentur, iterum atque iterum adhortabatur. His sic omnibus debite et decenter peractis, Confessione flexis genibus recitata, et (p. 25) absolutione a Rmo Dno Abbate Strahoviensi, tamquam Archiepiscopo Trapezuntino et suffraganeo Pragensi [52]) solemni impertita, capitulum hoc Provinciale in Domino conclusum est, et sic omnes cum pace et gaudio ad propria redierunt.

Nomina RRum Dominorum Praelatorum, Priorum, et aliorum Canonicorum Regularium Ordinis Praemonstratensis nostri, qui Capitulo Provinciali Plagae anno 1644, 21 Septembris celebrati interfuerunt.

Rmus D. Benedictus Vicarius Generalis et Abbas Lucensis [53]).

Rmus D. Crispinus Abbas Strahoviensis et Milovicensis Visitator et Suffraganeus Pragensis [54]).

[46]) Zacharias Bandhauer.
[47]) Joannes Pecker. Vide n. 19.
[48]) Norbertus Perlerius. Vide n. 10.
[49]) Benedictus Lachen. Vide n. 9.
[50]) Joannes Pecker.
[51]) Benedictus Lachen.
[52]) Crispinus Fuck. Vide n. 42.
[53]) Benedictus Lachen.
[54]) Crispinus Fuck.

Rmus D. Jacobus Abbas Gradicensis [55]).

Rmus D. Joannes Abbas Teplensis [56]), 1mus Difinitor.

Rmus D. Benedictus Abbas Zabrdovicensis [57]), 2dus Definitor.

Rmus D. Stephanus Abbas Siloensis [58]).

Rmus D. Petrus Abbas Geracensis [59]).

Rmus D. Martinus Praepositus Plagensis [60]).

Rmus D. Zacharias Praepositus Chotischoviensis [61]).

Rmus D. Norbertus Praepositus Doxanensis, Capituli Notarius [62]).

Rmus D. Norbertus Praepositus Pernecensis, 3us Definitor [63]).

Rmus D. Laurentius Praepositus Neoryschnensis, Capituli Secretarius [64]).

(p. 26) Reverendi ac Venerabiles Priores et Canonici.

Rdus P. Alexius Prior Monasterii Strahoviensis [65]).

Rdus P. Godefridus Prior Monast. Zabrdovicensis [66]).

Rdus P. Matthaeus Prior Monast. Plagensis.

Rdus P. Daniel Prior Monast. Pernecensis.

Rdus P. Bartholomaeus Prior Monast. Neoreyschensis.

Rdus P. Anselmus Decanus Thaboriensis.

Rdus P. Henricus Circator Lucensis.

Rdus P. Ambrosius Parochus Kladrubiensis.

Rdus P. Joannes Parochus Drosendorfiensis [67]).

Rdus P. Engelberus Parochus Selaviensis.

Rdus P. Fridericus Professus Gradicensis.

[55]) Jacobus Gedinus vel Gedines. Vide n. 43.

[56]) Joannes Pecker.

[57]) Benedictus Waltenberger. Vide n. 29.

[58]) Stephanus Magni. Vide n. 31.

[59]) Petrus Herkardt (abbas annis 1632-1650). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.

[60]) Martinus Greysing. Vide n. 21.

[61]) Zacharias Bandhauer. Vide n. 28.

[62]) Norbertus ab Amelunxen seu ab Amelunssen. Vide n. 2.

[63]) Norbertus Bratitz. Vide n. 25-26.

[64]) Laurentius Roczar seu Plocar. Vide n. 40.

[65]) Alexius Perlerius. Vide n. 20.

[66]) Godefridus iste identificandus videtur cum Godefrido Olenio, abbate Zabrdovicensi annis 1650-1682. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

[67]) Paroecia incorporata canoniae Gerusenae. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 289.

Rdus P. Josephus Parochus Ulrichbergensis [68]).

Quod ab hos omnia sic acta, definita, promulgata et acceptata sint in hoc praesenti Capitulo Provinciali, prout supra relatum et expressum est, manuum propriarum subscriptione sigillorum nostrorum appressione testamur.

[68]) Paroecia incorporata canoniae Plagensi. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 308.

3

Conventus Praelatorum Plagae anno 1651

In Nomine Sacrosanctae et Individuae Trinitatis. Amen

Conventus RRmorum DD. Praelatorum ac Patrum de Provincia Boëmiae, Moraviae, Austriae, Silesiae in Spiritu Sancto congregatus Plagae B. M. V. Austriae Superioris Mense Maio Anno M.DCLI hebdomada Rogationum [1]).

Quia veri Pastoris officium est Dominici et sibi commissi gregis sedulam curam gerere, RRmus DD. Benedictus Abbas Lucensis [2]) et Vicarius Generalis paterna sollicitudine id ipsum in praesenti

[1]) Ex praesenti Relicto Capituli Provincialis anni 1651 (quod Capitulum in titulo dicitur: *Conventus*; et inter subscriptores huius Relicti apparent solummodo Abbates et Praepositi; nullus alius Religiosus aut Canonicus canonice adfuisse videtur) sequitur non omnes et singulas huius Conventus conclusiones subditis Religiosis fuisse communicatas. Ex adiuncta tamen approbatione ex parte Illustrissimi Le Scellier, Abbatis Generalis, patet in hoc « Conventu » Abbatum potissimum tractatum fuisse de relationibus internis inter varias canonias Provinciae et de habitudine servanda inter Vicarium Abbatis Generalis et Abbates aut Praepositos neo-electos aut postea eligendos.

Decisiones Conventus istius Praelatorum subditis communicandae practice nihil aliud sunt quam explicitationes aut iterata publicatio eorum quae in Capitulo Provinciali anno 1641 celebrato statuta fuerant.

Addendum tamen est: Supra dixeramus Acta Capituli Provincialis Plagensis anni 1644 prout nobis pervia sunt esse fragmentaria. Ex decisionibus latis a Praelatis in Conventu anni 1651, quamvis dicant se explicitare et urgere velle conclusiones Capituli Provincialis anni 1644, videmus numerum singulis conclusionibus appositum saepe utrinque in utrisque relationibus (anni 1644 et 1651), prout nobis prostant, non concordare.

Exinde concludendum videtur conclusiones Capitulorum, etiam illas quae ad disciplinam servandam spectabant, non semper stricte et ad litteram usque in singulis Canoniis publicari. Et hoc, non obstante facto quod subscriptiones Patrum Capitularium in singulis relationibus appositae sint.

[2]) Vicarius Generalis erat Benedictus Lachen, abbas Lucensis annis 1629-1653. In fine Capituli Provincialis anni 1641 ad hoc munus electus fuerat in Capitulo Provinciali anno 1641 celebrato. Vide p. 32. Capituli Provincialis anno 1644 celebrato praeses erat. Vide p. 39.

RRmorum DD. Praelatorum Conventu effecit, ut non tantum ea assumerentur tractanda, quae universale Decus et Incrementum candoris nostri Praemonstratensis in hisce Provinciis Caesareis concernunt, ex ipsis capitibus maioribus, sed etiam ea quae proximius membra inferiora Conventualium Religiosorum iuxta Regularem observantiam respiciunt, ita ut undique velut ex integra causa provisum videretur. Igitur praeter conclusiones recenter factas ac speciali in folio, eo quod communi notitiae multorum non intersint, descriptas, simul etiam assumptae sunt et examinatae conclusiones factae in Capitulo Provinciali A° M.D.CXLIV Plagae celebrato, atque secundum sequentia a Rmo Conventu DD. Praelatorum ac Patrum Provinciae pro stricta et regulari imposterum observantia declaratae 13 et 20 Maii.

I° Legitur in Conclusione Provinciali Sexta de usu laneorum inter alia, atque cinguli coriacei pro Novitiis [3]), visum est Illmo Conventui Provinciali, ut interea donec aliquid aliud vel a Rmo vel Capitulo Generali expresse statuatur, observemus hactenus in partibus nostris inolitam consuetudinem ; dummodo in una et eadem Provincia nulla practicetur difformitas. Super Novitiatum quoque biennalem consultum, conclusum est, quod desuper Informandus RRmus DD. generalis ; interim pluribus de causis, relictum est arbitrio Praelatorum, ut spectata Novitiorum qualitate in altero anno liceat dispensare.

II° In conclusione duodecima mentio fit de usu Breviariorum, Judicavit Illmum (p. 2) Collegium Praelatorum, se cum suis contentari posse et velle usu modo usualium Breviariorum Ordinis [4]), donec in numero suo annuo, qui est annus 1663 exspirent. Quod si tamen Rmus D. Generalis in forma minori typi mandaret diurnalia, grata omnino Provinciae nostrae Patribus acciderent. Idipsum de facto insinuatum est iam ipsi Rmo DD. Patri Generali.

III° Conclusio decima tertia agit de Festo Translationis S. Patris Norberti [5]), et declaratum modo desuper ut imposterum undique in Provincia celebretur in Dominica Cantate, quae est quarta post

[3]) Decisio sexta Capituli Provincialis anni 1644 deest in manuscripto quod in praesenti edimus. Vide p. 35.

[4]) De usu Breviariorum aliquid edicitur in conclusione undecima Capituli Provincialis anni 1644, prout nobis obvia sunt ex Actis (vide p. 36); non autem in conclusione duodecima.

[5]) De festo Translationis S. Patris Norberti agit reportatum Capituli Provincialis anni 1644 in conclusione duodecima. Vide p. 37.

Pascha. Et quia etiam carere videmur extra Monasterium Strahoviense Indulgentiis plenariis in Dominica infra Octavam Smi Patris nostri Norberti, proxime a Summo Pontifice Romae sollicitabuntur.

IV° In Conclusione decima sexta [6]) tractatur de Fraterno devoto subsidio Fratrum in Purgatorio existentium et defunctorum, quia autem hactenus negligentiam non parvam in transmissione Brevium animadvertere licuit, iusto zelo et affectu charitatis in animas, quatenus ignibus piacularibus citius absolvantur, mandarunt Rmi D. Praesules, ut dum primo certo aliunde constiterit de obitu cuiusdam Confratris nostri ex candido foedere nostro iusta persolvant, unde omittenda erit illa clausula ultima conclusionis dictae. Neque obligantur Ordinis nostri Fratres pro anima defuncti Fratris vel Sororis debitum persolvere, etsi eis aliunde de obitu innotescat, donec ad eos Breve perferatur.

V° Conclusio vigesima tertia [7]), quae agit de Remuneratione Professorum Philosophiae aut Theologiae in Monasteriis, visa est Rmis D. D. Praelatis omittenda ; ea etenim speratur discretio a Praelatis, ut lectores Monasteriorum suorum remunerent.

VI° Ex Conclusione trigesima [8]), suborta et mota est difficultas, a pluribus Praelatis, ratione abstinentiae Adventus et quartarum Feriarum, an non super hoc vigente penuria piscium recurrendum ad Rmum D. D. Generalem pro aliquali mitigatione et dispensatione ? Visum est Rmo conventui ut tentetur et eo recurratur, quod et factum est.

VII° Cavetur in Conclusione trigesima tertia [9]), ne literas correctorias, quando eas tribus Canonicis extra Monasteria in obedientiis scribere necesse est, (p. 3) alius scribat quam Praelatus manu propria, vel P. Prior eius mandato et in Secreto, quibus tamen inserenda putarunt Rmi DD. Praelati verba haec: literas correctorias si quando vel ipsi PP. Abbates aut Visitatores sibi subordinatis Praelatis, vel Abbates suis Religiosis Canonicis extra Monasteria

[6]) De hoc subsidio fratrum in favorem confratrum defunctorum, vide concl. 15 relicti Capituli Provincialis anni 1644, prout nobis pervium fuit. Vide p. 38.

[7]) De hac re in manuscriptis Actorum Capituli Provincialis anni 1644, sermo fit in conclusione vigesima secunda. Vide p. 40.

[8]) De hac re agit conclusio vigesima nona prout refert manuscriptum Actorum Capituli Provincialis in presenti editione. Vide p. 43.

[9]) In conclusione trigesima secunda, prout supra in editione Actorume Capituli Provincialis anni 1644. Cfr. p. 44.

in obedientia degentibus scribere necessitas postulat eas scribat Praelatus.

VIII° Ex Conclusione quadragesima septima [10]) restitutum est Fratribus colloquium post coenam a Paschate usque ad festum Omnium Sanctorum, et tertio quadrante ad septimam ordinarie pulsetur ad Completorium.

IX° Conclusionem quadragesimam octavam cum [11]) sufficienter ex Statutis innotescat, iudicarunt Rmi Praesules omittendam.

X° Conclusioni quinquagesimae [12]) quae agit de proprietate, et lusu imaginum alicuius valoris voluerunt Rmi Praesules in fine adiungi sequentia: Correctio tamen huius maneat in arbitrio DD. Praelatorum.

XI° Demum ex Conclusione quinquagesima secunda [13]) ut par sit ac conformis in tota Provincia devotionis ratio et solennitas, iudicavit Rmus Conventus Provincialis DD. Praelatorum, ut omnia festa provincialiter celebrentur, unde et Austriaci Boëmis et Moravis, atque vicissim Boëmi et Moravi Austriacis in suis festivitatibus ac Patronis valeant collaetari.

Et haec quae Provincialibus conclusionibus addenda vel demenda, aut penitius ruminanda aestimarunt Rmi DD. Praesules et Provinciae Patres, quatenus et mitioribus nunc temporibus Generali Ordinis Capite gaudentes [14]), eadem pro approbatione et confirmatione gratiosa transmittere valeant, ac demum iuxta Statutorum tenorem ac exigentiam regulari observantiae conformius demandentur.

Hisce ergo distincte huic folio consignatis, et suum quoque robur negare non voluit in fide et authoritate sua Rmus et Amplissimus DD. Praelatorum Conventus Provincialis in Plaga B. M. V. Austriae Superioris Mense Maio. Anno M.DLI.

[10]) Supra, p. 49, de hac re in conclusione quadragesima sexta.

[11]) Remittit ad conclusionem Capituli Provincialis anni 1644, quae, supra (p. 50 s.), est quadragesima nona.

[12]) Quae conclusio est supra (p. 50 s.) prout eduntur hic Acta Capituli Provincialis anni 1644, quadragesima nona.

[13]) Haec conclusio in praesenti editione Actorum (vide supra, p. 52) est conclusio quinquagesima prima.

[14]) Augustinus le Scellier, abbas Praemonstrati, electus erat anno 1647. Praedecessor eius, Petrus Gossetius, mortuus erat 12 augusti 1635. Graves difficultates varii generis devinci debuerunt, antequam Abbas in archiocoenobio Praemonstratensi iterum canonice eligi et approbari potuerit. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 43-53; Ch. Taiee, *Prémontré*, II, Paris, 1873, pp. 100-110.

Nomina RRmorum DD. Praelatorum.

Rmus D. Crispinus Archiepiscopus Trapezuntinus, Suffraganeus Prag. Abb. Strahoviensis [15]).

Rmus D. Benedictus Vicarius Generalis et Abbas Lucensis [16]).

Rmus D. Norbertus Abbas Siloensis [17]).

Rmus D. Fredericus Abbas Gradicensis [18]).

Rmus D. Norbertus Abbas ad S. Vincentium. Praepositus Pernecensis [19]).

Rmus D. Fridericus Abbas Teplensis [20]).

Rmus D. Godefridus Abbas Zabrdovicensis [21]).

Rmus D. Joannes Abbas Geracensis [22]).

Rmus D. Martinus Praepositus Plagensis [23]).

Rmus D. Zacharias Praepositus Chotiescoviensis [24]).

Rmus D. Nicholaus Praepositus Doxanensis [25]).

Rmus D. Engelbertus Praepositus Neoreuschiensis [26]).

(L. S.) (12 vicibus)

E Monasterio Plagensi Austriae Superioris

21 Maii 1651.

[15]) Crispinus Fuck, abbas Strahoviensis (1640-1653); et insimul archiepiscopus Trapezuntinus et suffraganeus Pragensis. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 930 s.

[16]) Benedictus Lachen. Vide n. 2.

[17]) Norbertus Amalezca, ex praeposito Doxanensi anno 1649 electus in abbatem Siloensem. Ita C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 816; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 323, habet: N. de Amelunssen.

[18]) Fredericus Schinalis (abbas 1646-1657). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294.

[19]) Norbertus Bratitz, ab anno 1648 abbas S. Vincentii Wratislaviensis; praepositus Pernecensis inde ab anno 1642. Cfr. L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vincenzstiftes*, in *An. Praem.*, XXVII, 1951, pag. spec., p. 147 s.

[20]) Joannes Pecker (abbas annis 1629-1647). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 946 s.

[21]) Benedictus Waltenberger, abbas inde ab anno 1623. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1180 s.

[22]) Joannes Westhaus (abbas annis 1650-1674). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.

[23]) Martinus Greysing, praepositus Plagensis, inde ab anno 1626; deinde primus abbas Plagensis inde ab anno 1651. Cfr. L. SCHUSTER, *Martin Greysing, der zweite Gründer Schlägls*, in *An. Praem.*, XXIII, 1957, pp. 217-258.

[24]) Zacharias Bandhauer, inde ab anno 1639.

[25]) Nicolaus Plutzer, praepositus ab anno 1649. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 289.

[26]) Engelbertus Banatko, praepositus anno 1649-1662.

Concordat cum vero originali.
Sic testor. F. Benedictus
Abbas Lucensis et Vic. gnlis (autograph.)
(cum sigillo parvo rubro)
Ad mandatum Rmi DD. utriusque mei Vicarii Generalis, totiusque Rmi Conventus Provincialis.
Fr. Franciscus Freisleben, Canonicus Plagensis [27])
S. Th. L., Rmi Conventus Provincialis Secretarius. (autogr.)

Reverendissime ac Illustrissime Domine,

Reverendi admodum Domini Confratres in Christo amantissimi,

Dilati ad Colloquium vestrum Plagense responsi, causas non edisseram fusius, cum eas a Secretario nostro epistola nostra singulari ad Revdum Dominum Lucensem data, omnibus notas esse voluerim, ne Reverendae Paternitates vestrae, e tot mensium silentio aut affectatae tarditatis, aut minoris erga eos observantiae et amoris notam impingant, quas rogo in Christo firmis animis credere ; me, ut reliquum Sacratissimum Ordinem communi, ut ita speciali Caesareas Provincias affectu complecti, non tantum quod in iis Coeleste filialium votorum pignus Smi Patris Norberti corpus asservetur ; sed vel maxime quod eo spiritum suum e coelis indubitanter afflante Reverendarum Paternitatum Vestrarum mentes, ad calcata perfectionis Apostolicae vestigia, acrioribus in dies stimulis promovere dignoscam, dum de mediis ad eam opportunis paterna solicitudine anxiae, et exemplaribus religiosae vitae radiis, subditorum vestrorum oculos alte ferientibus, vere Norbertinas animas, hoc est, sanctimoniae candore micantes exhibetis.

Audiit Ordo, et ipse imprimis totus gratulabundus, Sancti Vincentii Vratislaviensis domum, suis pene ruinis tantum non sepultam, vestrorum omnium concursu et labore tandem erutam, ad pristinum assurgere splendorem, et nobilissima illam Norbertini Patrimonii portionem ab Acatholicorum et rapacium unguibus, victuque ereptam, singulari cultura vestra paulatim reflorescere. Accessit et

[27]) Freisleben, postea, inde ab anno 1666, abbas Plagensis. De eo scribit C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 868: « Cathedris Philosophicis, Theologicis et Concionatoriis, Annaliumque Plagensium conscriptione, ante adeptam Abbatiam, celebris, ad litteras magis quam ad oeconomiam natus, fausti parum regiminis dies complevit anno 1677 ». Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, Bruxelles, 1899, p. 270 s.

nupera, quam edicto Caesareo celebratis in Monasterio Plagensi congregatio, in qua decretum (p. 2) imprimis Religiosorum Virorum, et non modicae in debitorum extinctionem pecuniae subsidium, magno sane domus illius levamento, et laude vestra. Dei bonorum Authori et promotori grates habeo quantas possum, et infinitas, et RR. PP. Vestris defero Sacri Ordinis nomine gratulationem ex animo, et obsequium omne.

Nunc ad quaedam ibi consulta breviter responsuri veniamus.

Non ignorant RR. PP. Vestrae a Revmo et Illusmo Archiepiscopo Trapezuntino, Abbate Strahoviensi, contra omnes ad me transmissas colloquii Plagensis conclusiones reclamari, scriptis 12 Augusti proxime elapsi Strahovia literis, quibus simul cum Rdo Dno Doxanensi in fide viri testatur, non alium in finem Rdo Dno Siloensi concredita sigilla, nisi ut subsidii pecuniarii in Monasterii Vincentini sublevamen a Caesare postulati ; in signum consensus decreto applicarentur ; coeteris omnibus occasionaliter definitis, nullo modo aut consensisse, aut consensum dare voluisse, idque allatis ex parte sua rationibus. Additque Rdum Dnum Abbatem Sancti Vincentii velut tertium reclamantibus accedere ; de quo etiam ex literis quibusdam Roma missis, nobis aliquid innotuit. Unde non mirum videri debet RR. PP.es, si in illa opinionum conflictu, non omnia ex vestrum omnium calculo et sensu resolvimus.

Proponitis de avellendo a Polonica Circaria Sancti Vincentii Coenobio, et Moravicae tanquam viciniori incorporando. Idque ob rationes. Verum, sitne illud Poloniae restituendum an alicui alteri adscribendum, non censemus quidquam ea de re modo decernerdum. Ne tamen ullum ex parte nostra tam bene inchoato a Vobis opere desideretur adiumentum, dicti Monasterii bono unice intenti, quod provido et rerum illius Domesticarum conscio cultore in suis restitutionis principio videatur indigere, statuimus in praesentiarum ob (p. 3) graves causas commissionem Rdo Dno Benedicto Abbati Lucensi delegare, qua authoritate nostra per triennium dumtaxat Monasterium illud visitet, regatque. Quod attinet ad Electionem Vicarii quam postulatis, nihil super antiqua totque saeculis recepta Ordinis consuetudine, innovandum duximus. Si quas RR. PP. Vestrae rationes habeant, introducendae in Ordinem illius Electionis, poterunt eas Capitulo Generali deducere ; quod autem aliqui spargunt, me gratiam illam Suevis et Bavaris concessisse, perperam et sine fundamento vulgatur, Ipsi vos utpote viciniores potestis a RR.

Adm. DD. Rothensi [28]) Sueviae, et Schafflariensi [29]) Bavariae Vicariis, de veritate rei fieri certiores.

Jam vero sintne disiunctae nuper Provinciae sub uno iterum Vicario adunandae. Rationem utrimque allegatarum momenta attentiori trutina ponderabo.

Queruntur inibi Abbates noviter Electi a Patribus Abbatibus non nulla iuga imponi maioribus nostris incognita, et a Statutis non imperata. 1^{m} est Iuramentum fidelitatis Matrici Ecclesiae praestandum. 2^{dum} promissio obedientiae. 3^{m} Confirmatio scripto petenda. Nos ut breviter super querimoniis istis sensum nostrum aperiamus, dicimus ad Primum. Tale Iuramentum videri omnino superfluum et novum, cum nec in Iure, nec in Statutis contineatur. Ad 2^{dum} Promissionem illam obedientiae, cum Statutis directe non adversetur, imo videatur conformis, tolerari posse ; sed restringendam ad haec verba: Ego N. promitto obedientiam Rdo admodum Dno N. Patri Abbati huius Ecclesiae, et Successoribus eius canonice Electis, secundum Ordinis Statuta. Quae obedientiae Promissio, cum novam subiectionem non inducat, sed eam tantum, ad quam vi Statutorum, quisque filius Abbas obstringitur, significet, iugum novum non (p. 4) imponit aut aggravat. Nescio quae sit apud vos consuetudo. In Gallia hic et in Belgio in Filiorum Abbatum confirmationibus nihil simile solemus exigere.

Aliud Iuramentum ad quod item adiguntur de bonis non alienandis ; etiam existimamus esse aliquid novum et superfluum. In Solemni quippe Abbatum benedictione, quae fit ab Episcopo, Iuramentum illud ab Abbatibus praestari solet. Quod etiam bene a vobis advertitur.

Ad Tertium, id est Confirmationem scripto petendam quod attinet, quae in Statutis clare non exprimitur: Sic opinamur. Vel fit Electio, Installatio et Confirmatio praesidente ipso Patre Abbate vel absente: Si praesente, et praesente etiam Electo, non requiritur specialis et separata aliqua confirmatio scripto concepta ; eo quod cum fiat ex scripta totius Electionis renunciatione — processum verbalem vocamus hic — seu (ut quidam in Germania) instrumentum

[28]) Apud C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 704 s., abbas Rothensis illius aetatis vocatur Ludovicus de Haselberg (abbas: 1630-1667); N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 81, ipsum vocat Ludovicum Locher.

[29]) Anianus Mayr, abbas 1653-1680. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 769; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 49.

Electionis publicum ab omnibus praesentibus accurate subsignatum, cuius unum exemplar in Archivium Ecclesiae Matricis defert Pater Abbas, aliud in Archivio filialis Ecclesiae reponitur ; superflua foret nova confirmatio, seorsim ab illo instrumento, in quo confirmationis factae habetur expressa mentio.

Si absente Patre Abbate celebratur Electio, vel Pater Abbas reservat sibi Confirmationem vel non ; si non, illa, ab eo qui suo nomine praesidet Electioni, inserenda est publico Electionis Instrumento, ut supradictum ; Si sibi eam reservat, vel Electus sit absens, aut ex alia Ecclesia assumendus, a Conventu eligente scripta supplica omnino petenda est Electi confirmatio. Estque usitata praxis. In utroque hoc casu Matris et Filialis Ecclesiae Iuribus plane cavetur, dum vel Electionis Instrumentum, vel confirmationis scripto petitae exemplaria in Archivis ad posterorum memoriam inseruntur.

(p. 5) Declarationi a Rdo Admodum Dno Servatio Layrvelz Anno 1624 pro sopiendis inter RR. DD. Teplensem et Chotieschoviensem difficultatibus, pronunciatae, quam confirmari postulatis, ex precedentis Articuli responsi, censemus ex parte satisfactum, cum ex eo clarius liqueat, quid oneris Filiis Abbatibus posset imponi. Eadem est ratio de Praepositis Virorum et Monialium, iurisdictionem Abbatialem habentibus.

Circa quam declarationem advertimus tria. 1^{m}, multa tangi, quae solos Teplenses et Chotieschovienses concernunt, quibus confirmandis ne ignorato partium consensu procedamus, necessaria foret utrorumque supplica ad nos directa ; quam eam sibi respective confirmari petant. Unicum est quod nobis apparet difficile: qui fiat, ut Praepositus Chotieschoviensis in Electione novi Abbatis Teplensis, Ius primum suffragium ferendi possideat ? Cum vi Electionis suae ad Praeposituram Abbatiali Iurisdictione fruentem, Capituli Teplensis non sit amplius membrum, sed Caput Capituli Chotieschoviensis, eo modo quo Filii Abbates ex Matrice Ecclesia aut alia assumpti, Capituli e quo assumuntur, non sunt amplius membra. Eo quod Iura videantur statuere, nullum debere in duobus Capitulis vocem obtinere. Deinde non appareret perfectam esse Capitulorum et Conventuum distinctionem si caput unius Capituli, ut est Praepositus Chotieschoviensis communionem votorum cum Capitulo Teplensi possideat. Unde de tali Iure aut consuetudine optaremus clarius informari.

2^{dum}. Concernit Praepositos Electivos, quos censemus hic et in Belgio esse veros Praelatos, ac perinde Collatores beneficiorum Pa-

rochialium a suis Praeposituris dependentium ; non minus quam filios Abbates et ad (p. 6) obedientiam nobis et Capitulo Generali praestandam, sessionemque in eo tenendam admittuntur. Patet ex Actis Capituli Generalis Anni 1625. Litera A.

Tertium. Ut vicarii nostri Generales, aut Visitatores Electioni a Patre Abbate celebrandae intersint, animadversum an Electio fiat secundum Statuta, operam suam adiungat, personam inidoneam reprobent, et contra unius Electionem nomine nostro protestentur. Talis consuetudo si apud vos invaluit, non est improbanda, quin potius continuanda. Solum occurrere potest Patrem Abbatem Vicarii munere fungi, quo casu quis alter a Patre Abbate nomine nostro assistat Electioni ? Crederem id muneris ad Seniorem Provinciae Praelatum esse devolutum. Quod autem PP. Abbates filias Ecclesias non visitent, quamdiu annuatim visitantur a Vicariis, aut Visitatoribus extraordinarie missis aut a nobis existimamus conforme esse Statutis Dist. 4. c. 11, n. 5. Quibus responsis credimus omnibus in illa declaratione contentis, quantum modo necesse est, omnino satisfactum.

Verum ut integram illius Pronunciati Layrvelziani Confirmationem possitis obtinere, iuncto cum Teplensibus et Chotieschoviensibus supplici libello data clariori contentorum intelligentia et expositis ex parte vestra, si quae suboriri possunt difficultatibus, confirmabimus et decernemus, quae pro bono et pace Circariarum stabilienda iudicabimus opportunum.

De biennio Noviciatus ad unum Annum absolute dispensare non ausimus. Ne tamen Ordini necessitati deesse videamur, poterit quilibet Abbas Circariarum Bohemiae Moraviae et Poloniae Novitios ad unius Anni probam recipere ; quo evoluto ad Professionem, si bene instructi, et meriti reperiantur, admitti quaeant ; hac dispensatione ad triennium dumtaxat duratura, prorogando in plures annos, si ita nobis aut Capitulo Generali videbitur.

(p. 7) De Breviariis, quod attexitis, non est quod angantur RR. PP. Vestrae ; nemo cogitur sibi comparare nova, quando ultimo impressa sunt adhuc boni usus. Non enim aliud Breviarium recudimus ; sed commune et usuale ; paucis mutatis renovamus ; sufficiendis per Ordinem Exemplaribus, quae plerisque in locis desiderantur.

Exciderat responsum festinantibus ; mentem nostram expromere ad Propositionem de tribus in Capitulo Provinciali nominandis Abbatibus, qui Coenobium Strahoviense annuatim authoritate nostra

visitarent, et Ordinis vel Patris Abbatis nomine novi Abbatis Electioni praesiderent, peragerentque omnia more trium primorum Abbatum Ordinis, qui similia in Archicoenobio nostro solent exercere. Ut ingenue fateamur propositio illa, etsi bono zelo concepta, nobis tamen plane nova visa est. Strahoviensibus autem non parum odiosa, cui per literas operose et formaliter se opponunt. Unde circa illam nihil statuendum duximus. Ne tamen visitationis beneficio priventur, Commissionem dirigimus ad RR. DD. Abbatem Teplensem et Praepositum Plagensem ; qui authoritate nostra tam dictum Coenobium Strahoviense, quam Lucense hoc anno visitent. Vicariorum quippe Coenobia per omnes Circarias visitationem subire ob graves rationes iudicavimus opportunum ; imo forte necessarium ; nostramque in eum finem ad aliquos Praelatos Commissionem destinavimus ; reliquae propediem et incessanter destinandae.

Et utinam vel a tribus Abbatibus primis, vel si adesse nequeant, ab aliis e Capitulo Generali, vel a Sede Apostolica designandis, singulis annis Domus nostra Praemonstratensis visitaretur . Id mihi esset summae consolationi, et vivaci per reliquum Ordinem exemplo.

Haec sunt RR. admodum D. Confratres quae vestris consultis reponenda duximus. Non omnia quidem nobis probantur, fuere tamen certe non ingrata, utpote filialibus animis et germano candore in sinum nostrum deposita ; iudicioque nostro submissa, ac in Ordinis decus et augmentum pia et religiosa intentione concepta. Ambabus ulnis affectu paterno, sincero, benevolo, excepi omnia. Futurus quantumlibet ad Provinciarum vestrarum pacem et incrementa omni hora promptissimus. Fidenter agite, et paratissimum experiemini. Protraxi quidem responsum, nec dubito quin serius, quam pro voto, hae ad R. R. PP. vestras fuerint perlatae. Sed remoram scitis, itinerumque ob civiles hic motus interceptam libertatem. Utinam pacatis tandem rebus, suavissimo, gravissimo, et religiosissimo vestrorum omnium colloquio frui liceat. Saepius ingemisco et expeto copiam fieri ad Sacram Sanctissimi Norberti lipsanothecam demississimo corde, provolutum Sacro ipsius Ordinis directionem et necessitates commendandi. O utinam citra paucos annos mihi in dies adspiranti tanta felicitas obtingat !

Vicariam interim hac in parte a vobis opem deposco, et domum Paupertatis nostrae his temporibus afflictissimam piis vestris ad Deum precibus repraesento. Ipse in vicem RR. PP. Vestras cum Grege commisso caelestium benedictionum torrenti velit inundare. Hoc voto concludo.

Reverendarum Paternitatum vestrarum

In Archicoenobio nostro Praem., die 10 Januarii Anni 1652.

Addictissimus in Christo Servus et Confrater

Fr. Augustinus le Scellier
Abbas Praemonstratensis et Generalis

Concordat cum originali

F. Benedictus Abbas Lucensis (autogr.)
E Monasterio Geracensi, 1652. 14 Maii.

4

Conventus Praelatorum anno 1656

Conventus Provincialis Candidissimae Coronae RRmorum et Amplissimorum DD. Praelatorum Boëmiae, Poloniae, Ungariae, Moraviae, Austriae, Silesiae, Canonici Ordinis Praemonstratensis.

In celeberrimo Ducali Coenobio Lucensi ad fluvium Payae prope Znoynam in Moravia.

Convocante Rmo D. Dno Matthaeo Paul [1]), memorati Coenobii Lucensis uti et S. Vincentii Wratislaviae in Silesia Abbate dignissimo, dictarumque Provinciarum Caesarearum Generali Vicario vigilantissimo. Sac. Caes. Maiest. Consiliario. SS. Theol. Doctore, etc.

In Spiritu Sancto congregatus.

XXIII Octobris. Anno M.DC.LVI.

(p. 3) *Praefatio.*

Postquam altissima Divinae miserationis providentia coelesti haud dubie inspirante Numine, Rmus et Amplissimus Dnus Augustinus le Scellier Abbas Praemonstratensis, et totius candidi ac Canonici Ordinis Praemonstratensis Caput et Reformator Generalis hanc lamentabilem sortem, qua vix elapso triennio quarto etiam Generali Vicario se viduatam conspexit, iusta commiseratione respiceret, Patrii muneris et officii Pastoralis memor, toties desolato gregi suo intra haereditarias Caesaris Provincias otio providere cupiens, Norbertino Spiritu et zelo succensus, praememoratis Provinciis de Patre et Vicario Generali per Rmum et Amplm D. Dominum Matthaeum Paul Abbatem Lucensem in Moravia confirmatum, et S. Vincentii Wratislaviae in Silesia canonice postulatum et electum SS. Th. Doc-

[1]) De ipso haec scribit C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 93: « Matthaeus Paul, Doctor Theologus in Academia Salmenticensi, ex Lucensi Abbatia, ad S. Vincentium Vratislaviensis Praelaturam, communis boni amore transiit postulatus anno 1656 prius duarum Circariarum Vicarius Generalis extiterat, a Capitulo Generali post translationem suam, omnium imperio, et Poloniae Regni Provinciarum declaratus est Vicarius et Visitator generalis ».

torem etc. in Domino providit. Qui item vigili simul et sollicito in sibi recenter commissam provinciam oculo intentus commodiori qua licuerit occasione, de Capitulo quodam Provinciali sicut utili ita necessario, potissimum cum plurimis iam intercurrentibus annis talis conventus salutaris fuerit praepeditus, cepit meditari. Accessit vehemens motivum Rmi Dni Patris Generalis, qui Generale Capitulum in Archicoenobio Praemonstratensi anno mox sequenti 1657. 29 Aprilis per impressum decretum indixit celebrandum, perque suos ut Iuris et moris est Generales Vicarios aliis Circariarum, ipsorum coenobiis iussit denuntiari. Gratulati equidem sibi sunt Rmi Domini Caesareae huius Provinciae Praesules, plurimum aestimantes Rmi Patris Generalis pro candido universim tuendo nitore paternam sollicitudinem, praesertim cum a 26 annis iam continuo temporum et bellorum infestantibus malis sic generaliter congregari non licuerit ; quia tamen pluribus hoc ipsum coeteroquin salutare negotium et pia intentio, difficultatibus undique implicatum rationabiliter deprehensum est. Rmus D. D. Vicarius Generalis disertissimo arbitrio et sancto fine RRmos D. Dnos Provinciarum suarum Praesules (integrum et formale Capitulum Provinciale vetuit nunc penuria temporis [2]) saltem ad fraternum quoddam praeloquium (p. 4) sub titulo Conventus Provincialis Candidissimae coronae Rmorum et Dominorum Praelatorum in Domino et Spiritu desuper dictante quae recta sunt, intra sinum dilectae suae Sponsae Lucensis ad 22 Octobris currentis Anni 1656 salubriter iudicavit congregandos. Igitur domesticis in comparatione praesentis respective Generalis et Provincialis negotii tamquam privatis suis caulis suadente regula, posthabitis Rmi D. Domini Praesulis salutaris obedientiae meritis agitati, libenter et prompte accurrere, de quorum praesentia iusta cordis sui exaltatione recreatus, Rmus D. Dominus Vicarius, postquam in osculo et amplexu sancto singulos intra suum Lucense excepisset, mox sequenti mane 23 Octobris, intitulari Conventus Provincialis Rmorum D. Dominorum fecit Praelatorum exordia et prosecutus est per sessiones sequentes.

Sessio prima.

Habita 23. Octobris. Summam solemnizavit de Spiritu Sancto

[2]) Ex hoc inciso, patet in praesenti Conventu Praelaturam non agi de Capitulo Provinciali sensu stricto.

Rmus Dominus Vicarius Generalis, uti et coeteri Rmi D. Domini Praesules sacrificiis privatis. Illinc ad locum Consessus toto V. Conventu Lucensi ac Patribus Canonicis, quos Rmi D. Domini Praesules in solatium itineris et religiosa obsequia secum absumpserant ordine comitantibus processerunt ; ubi devote invocato Smi Spiritus gratia per decantatum hymnum Veni Creator, etc. Versu et Collecta subiunctis, ordine cuivis competenti Rmi D. Domini Praesules consederunt ; quos in magnifico consessu oratorie et eleganti Ave totius candidi Lucensis coetus nomine hilari et profunda reverentialitate excepit quidam ex Conventu Lucensi Sacerdos, pro tunc sacratioris Theologiae in Universitate Olomucensi studiosus. (p. 5) Quo finito relatis gratiis reliqui omnes exceptis Rmis D. Dominis Praelatis e museo consessus abscessere.

Arcani huius consilii initium fecit ex se ipso Rmus D. Dominus Vicarius Generalis Reverendissimo Conventui et Capitulo Provinciali praestando obedientiam in manibus Rmi et Amplissimi Domini Bernardi Abbatis Strahoviensis [3]), utpote coeterorum Dominorum Dominorum Praelatorum antiquitate Monasterii Primatis. Quod ipsum etiam reliqui Dni Dni Praelati singuli Rmo Dno Vicario Generali ordine praestiterunt. Dein advocatus e religiosis quidam P. Franciscus Freisleben Canonicus Plagensis Austriae Superioris [4]), et a Rmo Praelatorum Conventu in Secretarium electus, qui etiam tenore Statutorum mox in manibus Rmi Domini Vicarii Generalis fidelitatis et servandi secreti iuramento deposito stallum obedientiae suae occupavit. Abhinc quorundam Dominorum Praelatorum discussa absentia, Rdus Dominus Teplensis Abbas [5]) motivo debilitatis corporis animaeque ac sumptuum difficultatibus emansit. Rmus Dominus Praepositus Doxanensis [6]) curis domesticis detentus abfuit. Rmus Chotieschoviensis Praepositus [7]) senio decrepitus ultro pro-

[3]) Bernardus Sutor, abbas durantibus annis 1656-1658. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 931; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 313.

[4]) Franciscus Freisleben; postea, inde ab anno 1619, abbas Plagensis. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, Bruxelles, 1893, p. 270 s.

[5]) Ambrosius Trötscher, abbas annis 1654-1658. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 941; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 317.

[6]) Cyrillus Hofmann, praepositus annis 1654-1669. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 641. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 289.

[7]) Zacharias Bandhauer, praepositus annis 1639-1657. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 559; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287.

ficisci prohibetur. Quia tamen omnes in Rmum D. D. Patrem suum Abbatem Strahoviensem compromiserunt, paratissimi singulis conclusis annuere. Hoc ipsum perscripsit Rmus Dominus Abbas Gradicensis [8]), pariter aegritudine corporis et aliis praepeditus. Demumque Rmus Dominus Praepositus Czarnavacensis [9]) qui causam absentiae suae necdum perscripsit. Praelatos Poloniae intestina bella quibus modo misere torquentur, excusant candido tamen zelo et affectu cum alias e Polonia apud nos exules accurrit Rmus Dominus Stanislaus Praepositus Krzyzanovicensis [10]).

Quia vero ut insinuatum in praefatione principalior stimulus praesentis Conventus Provincialis erat futurum Capitulum Generale, recte 1ma mox sessione sollicite:

(p. 6) Quaesitum 1mo. An indictioni Capituli Generalis per aliquos Rmos D. D. Praelatos velut totius Capituli nostri Provincialis Commissarios destinandos liceat et oporteat obtemperare ? Responsum: Dignum et iustum esse quidem, ut filii obedientiae omnibus modis et mediis possibilibus exequantur salutare intentum Patris sui, adeoque omnino aliqui ad minimum duo Praelatorum ad hoc conficiendum iter deputentur ; quia tamen minus adhuc pacificata Domus Austriaca cum Corona Galliae apud Sacratissimum Caesarem obicem ponere posset, ante omnia per porrectum memoriale ab Augustissimo Imperatore Principe Patriae sollicitanda venit licentia, et salvus petendus conductus, uti et Legato Hyspaniae.

Quaesitum 2do. Quinam ex Rmis D. Dominis Praelatis hoc oneris et muneris in se recipiant ; Maioritate votorum electi sunt ipse Rmus D. D. Vicarius Generalis [11]) cum Rmo D. D. Siloensi [12]) SS. Theol.

[8]) Fredericus Schinalius, abbas annis 1647-1657. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 756; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294.

[9]) Nomina Praepositorum monasterii huius non indicantur (ante annum 1681) neque a C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 591 s., neque a N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 338.

[10]) Praepositura Krzyzanovicensis (in Polonia) non reperitur citata apud C. L. Hugo, *Annales*. R. Van Waefelghem, *Répertoire des sources imprimées et manuscrites relatives à l'histoire et à la liturgie des monastères de l'Ordre de Prémontré*, Bruxelles, 1930, p. 138 et N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 341 s. de illa tractant; nomina Praepositorum tamen ab iis non indicantur.

[11]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.

[12]) Vitus Rössler, abbas annis 1654-1661. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 816 s.; L. Goovaerts, *Ecrivains, ... de l'Ordre de Prémontré*, t. II (1902), p. 110 s. Rössler de facto, cum abbate Matthaeo Paul, Capitulo Generalis anni 1657 interfuit. Cfr. Acta huius Capituli Generalis, in ms. Laon 538, p. 703. De

DD. et spiritus Norbertini zelotes eximii. Multae quidem sat praegnantes ab utroque deputatorum in contrarium allatae sunt difficultates et rationes ; ad fraternam tamen et vehementem Rmi Conventus instantiam, Sacri Ordinis universale bonum praeponderantes hoc muneris et prolixi simul ac periculosi itineris susceperunt. Iusta et paterna sollicitudine specialiter respexit Rmus D. D. Vicarius in Coenobium suum S. Vincentii Wratislaviae unde merito iure petiit a Rmo Conventu ad tempus absentiae suae S. Vincentio ex aliquo Rmo D. D. Praelatorum ad quem interea adiutorium et refugium habeant Vincentini, provideri, unanimi calculo respexerunt in Rmum D. D. Strahoviensem [13]), qui etiam fideles ad interim operas suas in hoc spopondit. Postulavit quoque Rmus Dnus Vicarius aliquem Sacerdotem qui Rdo Dno Patri Priori P. Vincentii tam in fovenda regulari disciplina etiam munere concionatoris interim assisteret, et mitigandis aliis curis adesset, tam subito tamen commode nullus determinari omnino potuit ; providebit tamen otius pro possibili Rmus D. D. Vicarius Generalis.

(p. 7) *Sessio 2da*.

Instituta 24 Octobris. Lectis prius a Rdissimis D. Dominis Praelatis Missarum Sacrificiis et invocata pro debito et more S. Spiritus assistentia, conformi ad praecedentia tractu:

Quaesitum 1mo. Cum propriis nemo militare cogatur stipendiis, quibusnam sumptibus ergo procedendum sit ad Capitulum Generale ? Aequo iure ad hos fundendos sese obtulit ipse Conventus Provincialis. Cogitarunt Rmi D. Domini Commissarii hoc iter confici posse intra spatium 12 septimanarum, quare in unam hebdomadam computantes centum insumendos florenos, collegerunt proportionaliter distributis thaliis 1300. Praelatorum Bohemiae quottas col-

abbate Rössler haec scribit L. GOOVAERTS, l. c., p. 110: « Le P. Vit Rössler parut à Prémontré avec tant de distinction et d'éclat, avec tant de sagesse et d'autorité, que les confrères l'honoraient du titre de « Sol Germaniae » et le proclamèrent, sa vie durant, visiteur-général, des couvents situés en Bohème, en Moravie, en Pologne, en Saxe, en Hongrie, etc. ». Relate ad hoc ultimum, in Actis Capituli, uti referuntur in ms. Laon 538, haec leguntur: « *Visitatores a Reverendissimo Domino Praemonstratensi et a Capitulo Generali nominati, qui authoritate eiusdem Capituli Circarias sibi commissas etiam Vicariorum monasteria semel in anno visitent...: Bohemiae et unitarum provinciarum, Dominus Siloensis* ».

[13]) Bernardus Sutor. Vide n. 3.

liget Rmus Dnus Strahoviensis [14]) ; Austriae et Moraviae Praelati deponent in manibus Rdissimi Vicarii qui etiam respondebit pro S. Vincentio [15]) et Praeposito Czarnowacensi. Quod si assignata pecunia pro aut aliis forte intercurrentibus incommodis non sufficeret, ultra contribuere poterunt Rmi Dni absentes, eo quod itinerum sumptus ut alii non fecerint ; universim eandem assecurantur a Rssmis Dominis Provinciae Praesulibus et Conventu praesenti Rdissimi D. Domini Commissarii se in nullo infortunii (quod Deus avertat) vel mutui, aut aliorum incommodorum genere defuturos, fidemque ex integerrimo fraternitatis iure et amore redempturos.

Hac ipsa collecta pecuniaria occasione Rdsmus Dominus Plagensis [16]) Rdissimum Conventum Provinciale modeste submonuit de mutuo 5000 fl. in subsidium charitativum Monasterio S. Vincentii praestito Plagae in Conventu quoque Rdissimorum Dominorum Praelatorum ibidem anno 1651 celebrato, eiusque interesse. Quantum ad summam affirmavit Rsmus Dominus Vicarius Generalis tamquam Abbas loci [17]), hanc pecuniae summam ex integro esse praesentem et in unum congregatam, adeoque de toto capitali solvendo se esse paratum, quia tamen memoratus Rsmus D. Vicarius necdum a Sede Pontificia confirmationem obtinuit super S. Vincentium (p. 8), cum etiam cogitet adhuc ante discessum ad Capitulum Generale in persona Wratislaviae disponere apud S. Vincentium [18]), subtinuit aliquomodo de quibusdam forte incommodis, si ante confirmationem suam nominatam pecuniae summam Monasterio efferret. Licet Rssmi Domini D. Praelati tanta in hoc non steterint formidine alicuius inde incommodi, sed quo citius eo melius contentandum creditorem, liberandos fide iussores, et tollendum onus ex interesse ; quo singulorum Praelatorum si contractu mutui manent gravati, iudicaverint, nihil tamen adhuc determinavit certi hoc in puncto Rdmus Dominus Vicarius ; sed in adventum ipsius Wratislaviam, ubi pro omni dexteritate negotium hoc instituere cogitat interea differendum aestimavit, maxime etiam cum necdum sit finitus terminus mutui, qui est sexennium. Quantum ad interesse pluribus conferens cum Credi-

[14]) Id.

[15]) Abbatia S. Vincentii Wratislaviensis.

[16]) Martinus Greysing. Cfr. L. SCHUSTER, *Martin Greysing, der zweite Gründer Schlägls*, in *An. Praem.*, XXIII, 1957, pp. 217-258.

[17]) Matthaeus Paul, Abbas Lucensis (Klosterbruck). Vide n. 1.

[18]) Abbas Paul anno 1656 postulatus erat abbas S. Vincentii Wratislaviensis. Vide n. 1.

tore pacifice se invicem intelligentes Rssmi Domini Dni Praelati. Ex temporalibus demum deventum est ad canonicam et spiritualem Ordinis Oeconomiam conformitatem et ordinem.

Quaesitum 2^do^. Quid de rebus, privilegiis, immunitatibus, et indemnitate Ordinis Capitulo Generali deferendum ? Praeliminariter quaesierunt Rdssmi D. Commissarii, ut cum tenore Statutorum in Capitulis Capitulis petantur thaliae, quae hoc in puncto sit illorum instructio ? Responsum a Conventu Provinciali illos pro id temporis ab his prohiberi a principe Patriae. Judicarunt 1° proponenda esse odia quibus infestantur Rssmi D. Praelati ab Episcopis in infulationibus, optarent infulari a superioribus Praelatis Ordinis. Iudicarunt 2^do^ gravia onera et novitates quibus Ordinis nostri canonici et parochi ab iisdem Episcopis et Officialibus coeteroque senatu ecclesiastico Consistoriali divexantur contra exemptiones et privilegia Ordinis, quae omnia speciatim et distincte exponent Rdsmi Domini Commissarii utpote Iuris Pontificii peritissimi et similium contentionum conflictibus saepius agitati.

(p. 9) Petierunt Rssmi D. Domini Commissarii [19]) ut quivis Praelatorum, si quid habet suam vel Conventus sui personas attinens in futuro Capitulo necessario vel consulto proponendum, hoc scripto consignent, et exhibeant, quae autem plane etiam ipsis Rssmis D. Dominis Commissariis desiderat esse occulta, immediate Rdssimo D. Patri aut Capitulo Generali perscribant et consignata porrigant.

Quaesitum 3^tio^. De biennali Novitiatu. Responsum est: esse sollicitandum apud Capitulum Generale ut in annum, vel quid modicum ultra commutetur, maxime cum favor Iuris Concilii Tridentini stet pro novitiis, qui annum probationis in aliqua Religione compleverunt, sat quoque notabilis personarum defectus in monasteriis huius Patriae suboritur horrore novitiatus biennalis ; idem de valore et licentia canonica professionis anno 16 aetatis.

Quaesitum 4^to^. Quid de Missalibus, Breviariis, Diurnalibus, Ordinario rituum Ordinis ? Desiderant Provinciae Praesules, ut habeant formam fixam et permanentem, ne toties veniant vel ex toto vel ex parte commutanda cum magnis sumptibus aut si aliter fieri non possit, fiat licentia nostris Provinciis ut in eisdem valeant typo excudi.

[19]) Vicarius Circariae, Matthaeus Paul, et Abbas Siloënsis, Vitus Rössler, vice omnium Coabbatum Circariae, de facto tendent ad Capitulum Generale anni 1657. Vide n. 12.

Sessio 3tia.

Celebrata 25 Octobris. In hac sacris prius refecti epulis Augustissimi Altaris Sacramenti, invocata Smi Spiritus gratia ulterius:

Quaesitum est 1mo. An expediat Provincias Caesareas esse et habere unitas ; adeoque sub uno capite Generali Vicario gubernari. Visum desuper Rdssimis D. D. Praelatis, omnino expedire ex causis et rationibus praegnantibus iam ante hac Rdssmo Domino D. Generali sufficienter perscriptis et perspectis.

Quaesitum 2do. An sollicitanda libera electio Vicarii Generalis per Rdssmos D. Dominos Praelatos Provinciae, qui sic ab iisdem electus Rdssmo Domino Generali praesentetur confirmandus ? Visum pariter quod sic. Licet enim omnino dignoscatur tenore Statutorum esse absolute penes (p. 10) authoritatem Rdssimi Domini D. Generalis pro arbitrio sibi designare Vicarios in Provinciis, quia tamen graves hoc in puncto suboriri possunt incommoditates ac facile contingere cum Rdssmo Domino Patri Generali non adeo semper de qualitatibus personarum in his provinciis constet, ut minus integre provisum sit de idoneo ex omni parte superiore, omnino debita et humili reverentialitate hoc praestat sollicitare.

Quaesitum 3tio. An in Electionibus Praelatorum etiam possint habere in via scrutinii ius et vocem eligendi activam in Capitulo Fratres canonici necdum in maioribus constituti. Responsum quod quamvis tales iure communi excludantur, permittendum tamen in monasteriis ubi paucus viget conventus, vel alias a pluribus iam annis et casibus similibus innotuit consuetudo.

Quaesitum 4tio. Quomodo invigilandum vagantibus et scandalosis denigrantibus foris personis Ordinis. Responsum iuxta laudabilem hactenus practicatam consuetudinem, ut per singulas provincias constituatur aliquis Praelatus, qui in similes serius et securius si opus sit, animadvertat. Hoc fine recenter modo declaratum est per Bohemiam Rdssmus D. Dominus Strahoviensis [20]), per Moraviam Rdssimus D. Dominus Vicarius Generalis Abbas Lucensis [21]) ; per superiorem Austriam Rmus Dominus D. Plagensis [22]). Per inferiorem

[20]) Bernardus Sutor. Vide n. 3.
[21]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.
[22]) Martinus Greysing. Vide n. 16.

Rmus Dominus Geracensis [23]) ; cuique ad hoc a Rdssmo Vicario Generali porrecto obedientiae authentico et patenti instrumento.

Quaesitum 5^to^. An petenda dispensatio circa abstinentiam feriae 4^tae^, septuagesimae et ieiunii Adventus. Responsum quod tentare liceat intuitu piscium silendo alia, quia in magno pretio et plurimum monasteriorum magna penuria existunt.

Quaesitum 6^to^. Imo plurimum institerunt Rdssmi D. Domino Praelati ut modeste submoneatur Reverendissimus Dnus Dnus P. Generalis [24]) circa conformitatem cantus, tum matutinarum tum aliarum horarum in choro ; quantumque sibi complaceat quod iuxta ordinationes proxime celebrati Capituli Provincialis matutinae Festorum Triplicium cantentur pridie hora septima vespertina multis de causis.

(p. 11) Item pro impetrandis indulgentiis plenariis pro Dominica infra Octavam Smi Patris Norberti, cum in illa solemnis primum accidat in Ecclesias nostras populi fidelis concursus. Pie quoque rogandum ut pro possibli enitantur ut devotio et honor publicus saltem inter nostras Ecclesias fiat erga aliquos beatos Ordinis nostri. Demum insistendum pro quadam relaxatione in cursu B. V., Officio Defunctorum et Psalmis poenitentialibus pro fratribus formaliter studentibus et a choro absolutis.

Quaesitum 7^timo^. Quid circa novitiatum communem ? Pensatis pro et contra multis et variis rationibus demum se conformare desiderant Rdssmi D. Domini Rdssmo Capitulo Generali. Petunt enixe 8° speciatim Rdssmi D. Domini Praelati Bohemiae, cum speciali Privilegio et honore, etiam in ipsa sessione comitiorum Regni respiciantur et occupent stallum 1^mum^ inter alios Praelatos si sint vel Vicarii aut Visitatores ; rogant R^mum^ Dominum P. Generalem pro quodam inveniendo medio, quo memoratum praecedentiae stallum et honorem pro sacri Ordinis uberiori et per longum iam continuato respectu valeant tueri et prosequi.

Quaesitum 9°. Specialiter de Monasterio S. Vincentii Wratislaviae. Versabatur hactenus in dubio cuinam Circariae foret adscribendum ? Considerandis consideratis videbatur Rmo Conventui cum filia sua Czarnawantz Praepositura Silesiae, incorporandum esse Circariae Moraviae. Hac ipsa occasione agitatum quoque est quem

[23]) Ioannes Westhaus, abbas annis 1650-1674. Cf. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 291.

[24]) Augustinus le Scellier, abbas annis 1646-1666. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 53-54; Ch. Taiee, *Prémonté*, II, Paris, 1873, pp. 100-110.

imposterum velut Ordini recenter denuo restitutum possit et debeat agnoscere Patrem Abbatem ? Et pensatis maximis laboribus et curis ac sumptibus quos p. d. Rmus Dominus Dnus Benedictus Abbas Lucensis [25]) et Vicarius Generalis ac Visitator fidelissime impendit, sensit Rmus Conventus merito iure debere agnoscere Abbatem Lucensem pro Patre suo Abbate, cum etiam inde velut in bona vicinitate saltem respectu aliorum Monasteriorum, in flore suo recenti Religioso, quo repalula commodissime possit foveri et excrescere in fructum candoris.

Placuit demum 10 Rssmis Dominis Patribus Provinciae fratribus suis de licentia et praescripto Statutorum denuo in integrum restituere et favere colloquium post coenam.

Ut porro super haec omnia et singula Rdssmi et Amplissimi D. Domini Commissarii officii et Commissionis quae nunc exequentes coram Rdssmo Domino Patre Generali totoque Generali totoque Capitulo Generali gravius compareant.

(p. 12) Solvit Rssmus et Amplissimus Conventus Provincialis eosdem pro abundantissimis meritis publico et patenti compromissionis et plenipotentiae instrumento authentico ex cuius subscriptione Nominis et sigilli robore compilari et reddere testatur.

Sessio 4ta.

Quae fuit 26 Octobris in qua invocato prius divini Numinis auxilio, cunctis praecedentibus sessionibus Rssmo et Amplissimo Conventui Provinciali proposita, visa et conclusa, compendiose ruminata sunt et discussa, ac demum in forma praesenti et originali a Rdo P. Secretario [26]) edita et promulgata, ubi etiam instrumentum compromissionis et plenipotentiae pari modo perlectum, cum attestatione et robore cuiusvis Rdssimorum et Amplissimorum D. Dominorum Praelatorum de praesenti Conventu Provinciali inscripti nominis et adpressi sigilli.

Quibus sic in Domino gestis omnibus facta confessione Generali, et solemni accepta benedictione ad propria denuo reditum est.

Actum in Monasterio Lucensi 26 Octobris Anno Salutis 1656.

[25]) Benedictus Lachen, abbas annis 1629-1653. In fine Capituli Provincialis anni 1641 ad hoc munus electus fuerat a coabbatibus in hoc munus in Capitulo dicto anno 1641 congregato. Vide p. 32.

[26]) Franciscus Freisleben. Vide n. 4.

f. Matthaeus [27]) Abbas Lucensis Vicarius Generalis (cum sigillo).
f. Bernardus [28]) Abbas Strahoviensi, etiam nomine Rssm. Teplensis et Chotieschoviensis, Doxanensis, Bohemiae Praelatorum.
f. Vitus [29]) Abbas Siloensis.
F. Godefridus [30]) Abbas Zabrdoviensis.
F. Ioannes [31]) Abbas Geracensis.
f. Martinus [32]) Plagensis Praepositus.
F. Laurentius [33]) Praepositus Pernecensis.
f. Engelbertus [34]) Praepositus Neureys.
f. Stanislaus Perlorrsky [35]) Praepositus Krzyzanovicensis.
(singulis nominibus additur L. S.)

Cum sigillo.

Concordat cum suo originali
Ita testor

(autogr.) F. Matthaeus Abbas Lucensis, Vicarius Generalis.
(autogr.) f. Franciscus Freisleben, Can. Plagensis, S. Th. L., Secretarius.

[27]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.
[28]) Bernardus Sutor. Vide n. 3.
[29]) Vitus Rössler. Vide n. 12.
[30]) Godefridus Olenius, abbas annis 1650-1682. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1181; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.
[31]) Joannes Westhaus. Vide n. 23.
[32]) Martinus Greysing. Vide n. 16.
[33]) Laurentius Weigel, praepositus annis 1654-1657. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 307.
[34]) Engelbertus Benatko. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 338; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 303.
[35]) Vide n. 9.

5

Capitulum Provinciale Plagae celebratum anno 1659

CAPITULUM PROVINCIALE Rmorum et Amplissimorum Dominorum Abbatum et Praepositorum Adm. Rdorum Ac Venerabilium Patrum Priorum. aliorumque Canonicorum candidi Praemonstratensium Ordinis Circariarum Boëmiae, Austriae, Moraviae, Silesiae etc. in Coenobio B. M. V. Plagae Austr. Superioris.

Indictione Rmi et Amplmi Dni Domini Matthaei Paul [1]).

Ducalis Ecclesiae ad S. Vincentium Wratislaviae in Silesia Abbatis, Per dictas Circarias Vicarii Generalis, SS. Theol. Doctoris, etc.

In Spiritu S. Legitime celebratum.

Dominica Cantate [2]) quae incidit in 11 Maii.

Anno 1659.

(p. 3) In nomine Sacrosanctae et Individuae Trinitatis. Amen.

Sessio 1ma.

Celebrata 11 Maii mane.

Praeliminari Introductione solemni, peractisque de praescripto Statutorum divinis, ab ipso Rmo Dno Vicario Generali [3]), quem ad ingressum Maioris Ecclesiae Plagensis sub infula comitati sunt Rmus Dnus Strahoviensis [4]), Rmus Dnus Syloensis [5]) et Rmus Dnus Pla-

[1]) Matthaeus Paul, prius abbas Lucensis, postea, inde ab anno 1656, ad hoc munus postulatus, abbatiam S. Vincentii Wratislaviensem rexit, qua abbas. Cfr. L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vincenzstiftes*, in *An. Praem.*, XXVII, 1951, pag. spec., p. 149 s.

[2]) Quarta Dominica post festum Resurrectionis Domini.

[3]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.

[4]) Vincentius Macarius Frank, abbas annis 1658-1669. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 931; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 313; L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, Bruxelles, 1899, p. 266 s

[5]) Vitus Rössler, abbas annis 1654-1661.

gensis [6]) Abbas Loci, mox Capitulum omnes ingressi, etiam de Conventu Plagensi, et in genua provoluti, incipiente Rdo Dno Vicario Hymnum : Veni Creator Spiritus, etc. decantarunt.

Hoc finito, Capitulariter considentes a R. P. Ignatio Canonico, et Philosophiae Lectore Plagensi, oratoria gratulatione sunt excepti, et deinceps iis qui vocem non habent in memorato Capitulo dimissis, Rdi Dni Praelati Strahoviensis, Gradicensis [7]), Lucensis [8]), Pernecensis [9]), et Cotieschoviensis [10]), cum antehac numquam praestiterint in manibus Rdi Dni Vicarii (ut Iuris et moris est in Sacro Ordine) reverentiam et obedientiam ipsi Rmo Dno Vicario et Capitulo promiserunt. Hac praestita, deliberatum est de instituendo Capituli Provincialis Definitorio, ad quod totum Rmorum Praelatorum Collegium est assumptum. In obedientia et officio Secretarii denuo confirmatus est P. Franciscus Freisleben, Canonicus Plagensis Stae Theologiae Licentiatus [11]), cui in subsidium transscriptionis Actorum Provincialium pro Notariis et Amanuensibus assignati sunt Frater Franciscus Trost et Frater Ferdinandus Schwerdinger Canonici Plagenses.

Ut porro Actorum Capituli probatior sit forma et methodus, in revisores eorundem nominati sunt Rmus Dnus Syloensis [12]) et Zabrdovicensis [13]).

(p. 4) *Sessio 2da*.

Celebrata 11ma Maii post meridiem.

Invocata pro more Spiritus Sancti gratia, Rmus Dnus Vicarius

[6]) Martinus Greysing, praepositus Plagensis (Schlägl), inde ab anno 1626; deinde primus abbas eiusdem Canoniae annis 1656-1666. Cfr. L. SCHUSTER, *Martin Greysing, der zweite Gründer Schlägls*, in *An. Praem.*, XXIII, 1957, pp. 217-258.

[7]) Thomas Olschansky, abbas annis 1657-1666. « Scientiae et prudentiae eximius, Visitator Provinciae sagacissimus ». Ita C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 756; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294, hunc Abbatem nominat: Thomas Olsansky.

[8]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.

[9]) Nicolaus Meister, praepositus annis 1657-1677. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

[10]) Adalbertus Peletz, praepositus annis 1657-1666. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 560; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 287.

[11]) Fr. Freisleben, postea, inde ab anno 1666, abbas Plagensis. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 868; L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, I, 1899, p. 270 s.

[12]) Vitus Rössler. Vide n. 5.

[13]) Godefridus Olenius, abbas annis 1650-1682. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col .1181; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

per Secretarium legi fecit excusatorias Domini Teplensis [14]) et Rmi Praepositi Doxanensis [15]). Domini Teplensis pro legitimis a Capitulo sunt acceptatae, qui etiam in Dominum Syloensem et Cotieschoviensem velut Plenipotentiarios compromisit ; deputato insuper Conventus sui Teplensis, et Parochorum suorum nomine R. P. Michaele Canonico suo et Parocho Welpersicensi. Domini vero Doxanensis acceptavit quidem Capitulum benigna adhuc hac vice dissimulatione ; serius tamen monetur, ne imposterum a tam salubri Conventu Ordinis facile absentet. Decrevit insuper Capitulum ut dictus Dnus Doxanensis, quam primum fieri potest, Virginibus suis de novis Breviariis Ordinis provideat, et non alium quam Ordinis Confessarium constituat, nec Ipse in persona id muneris ordinarie obeat. Rmus Dnus Vicarius cum Dno Syloensi produxit Capitulo rationes expensarum in itinere Praemonstratum ad Capitulum Generale Anno 1659 celebratum ; quas Capitulum Provinciale cum gratiarum actione suscepit et ratificavit.

Talliarum solutio in Galliam, non pacificatis ad invicem Coronis, non sustinetur a Principe terrae, Procuratori autem Generali Ordiis Romae existenti, a Provinciis annuatim mittentur 50 librae Franciae, nostratae pecuniae numeratae 40 th. Rhenenses, quarum intuitu per speciales literas stimuletur ad correspondentiam fidelem causarum Provinciae sollicitationem. Et si quid litis aut contentionum in Ordine suboriatur, Provinciam de hoc mature praemoneat, et significet. Item declaravit Capitulum quod etsi tenore Decretorum Capituli Generalis in Visitationibus suis Pater Abbas cedet Vicario, ne tamen per hoc in aliquo imminuta videatur authoritas Patris Abbatis, eo anno, quo Vicarius non visitaverit, Pater Abbas Ius suum visitandi libere exequi poterit.

Item decrevit, ut Festum Translationis Smi Patris Norberti imposterum cum pleno suo officio et Octava ubique in Provincia celebretur Dominica Cantate [16]) ad conformitatem Ecclesiae Strahoviensis. Quod si in eandem Dominicam alicubi incidat Dedicatio Ecclesiae, habeatur officium et solemnitas Ecclesiae, festum autem Trans- (p. 5) lationis cum sua Octava, vel anticipetur in Dominica Iubi-

[14]) Raymundus Wilfert, abbas annis 1658-1670. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 947; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 317.

[15]) Cyrillus Hofman, praepositus annis 1654-1669. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 641 ; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 289.

[16]) Quarta Dominica post festum Paschatis Resurrectionis.

late [17]), vel differetur in Dominicam sequentem lucunditatis [18]) nuncupatam. Item sensit, ut Matutinae media quidem noste, ut antehac sine cantu persolvantur ; quamvis a paucis aliis monasteriis huius Provinciae media nocte surgatur ad Matutinas ; tamen ex antiqua debita et speciali devotione in B. V. Patronam suam, Matutinas terminabunt cantando semper Antiphonam : Ave stella Matutina.

Psalmum item : De Profundis, in solatium piorum Benefactorum ad ingressum Cellae post refectionem laubabili more antiquo devote orabunt. Item in Triplicibus, Matutinae persolvantur pridie hora septima vespertina, ut Fratres altero mane, maxime, qui in Confessionali, ad suggestum Cathedrae, et aliis functionibus Parochialibus occupantur, sint vegetiores et recollectiores.

Rmus Dnus Vicarius Generalis velut Abbas ad S. Vincentium Wratislaviae egit gratias Patribus Provinciae pro subsidio pecuniario mutilo 5000 th. anni 1651, praestito S. Vincentio ; quod etiam in Summa Capitali Rmo Dno Plagensi, velut principali Creditori, anno praecedenti cum gratiis exsolvit. Submonuit coeteros Dominos Praelatos, ut et ipsi debitum interesse (ad quod quisque obligatur) solvant, ac ita fidei iussores a sua fide iussione liberare non negligant.

Item Rmus Dnus Vicarius produxit rescriptum Regium a Secretario publice lectum, in quo Augustissimus Imperator gratiosissime cooperari desiderat ad recuperationem Monasteriorum quorundam Ordinis intra Regnum Hungariae. Visum desuper est Capitulo, ut nomine Capituli Provincialis scribatur ad Illmum et Rmum Dominum Revmum Cancellarium Regni, Ordini coeteroquin bene affectum, eiusque patrocinium et auxilium imploretur, ut si spe aliqua recuperationis affulgeat, totis viribus hoc negotium Ordo prosequatur, pro fine ad interim Capitulum hanc causam commendavit Domino Gradicensi [19]) et Zabrdovicensi [20]), ut de via et mediis recuperationis indagent. Et tandem spe omni meliori affulgente, specialiter ad hoc deputatus est a Capitulo Dominus Gradicensis cum Rdissmo quodam Ordinis comite.

[17]) Tertia Dominica post festum Paschatis Resurrectionis
[18]) Quinta Dominica post festum Paschatis Resurrectionis
[19]) Thomas Olschansky. Vide n. 7.
[20]) Godefridus Olenius. Vide n. 13.

Sessio 3tia.

Celebrata 12 Maii mane.

Praemissa Spiritus Sancti invocatione, Rmus Dnus Vicarius Generalis per Secretarium legi (p. 6) fecit Capitulo Rescriptum Caesareum, quo ab ante memorata sua sacra Maiestate licentiam obtinuit pro visitandis Monasteriis vicariatus sui ; quia vero in dicto rescripto expresse cavetur, ne in similibus Visitationibus quid attentetur, quod cedere posset in laesionem Iuris Advocatiae Terrae, aut contra leges Patriae, sed mere insistendum reformationi Ordinis solum rescripta Regulae et Statutorum, memoratus Dnus Vicarius Generalis desuper mentem Capituli requisivit. Respondit Capitulum Dominum Vicarium absque ulteriori apud Aulam Caesuream sollicitatione, vel petenda declaratione obtenti iam rescripti tenore, Ius visitandi exequi posse, et debere, cum et ipsa Statuta nostra requirere videantur et sufficienter caveant, ne Ius Principis in aliquo violetur, aut quidquid contra leges Patriae in Visitationibus attentet.

Quia porro intuitu enormium excessuum, quaedam alterius Ordinis non ita pridem contigerunt, Sacratissimus Caesar p. d. Ferdinandus 3tius decretum edidit absolute inhibitorium, ne imposterum quicunque Visitator intra Regna et haereditarias Provincias visitet absque speciali ad hoc sollicitata et obtenta licentia in Aula impetratoria. Decrevit Capitulum, ut pro RRdis. Abbatibus, cum Ipsi tenore Statutorum Ordinis in Filiales suas Ecclesias legitimi Visitatores dignoscantur, Generale Rescriptum et licentiam visitandi a Capitulo Provinciali apud Aulam Caesaream proxime qua fieri poterit sollicitetur.

Rmus Dnus Zabrdovicensis [21]) plenipotentiarius absentis Filii sui Dni Praepositi Neoreuschensis [22]) petiit a Capitulo procuratorio nomine dicti Neoreuschensis Praepositi, ne Actus ille, quo Anno 1651 in Conventu Praelatorum Plagae celebrato cessit sedendo post Dominum Doxanensem, sibi et suis Successoribus in aliquo praecedat, donec ipse Dnus Praepositus Neoreuschensis Ius antecedentiae, quod habet prae Praeposito Doxanensi, legitime doceat ; accepit hoc Dnus Strahoviensis uti Pater Abbas et Plenipotentiarius Dni Doxanensis ad referendum.

[21]) Godefridus Olenius. Vide n. 13.

[22]) Engelbertus Benatko, praepositus annis 1649-1661. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 338; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 303.

Rmus Dnus Strahoviensis porrexit Capitulo Provinciali Memoriale, in quo per plura puncta statum suum et causas Monasterii exposuit, suscepit Capitulum Provinciale ad ulteriorem illius sensum percipiendum.

Sessio 4ta.

Celebrata 12 Maii post meridiem.

Implorata Spiritus Sancti assistentia, Amplmum Provinciale Capitulum Dno Strahoviensi [23]) obtulit non tantum omnem charitativae assistentiae affectum, et vices, sed etiam in florescentem et exaltationem Ecclesiae et Monasterii sui speciale et fraternum subsidium, ubi necessitas postulaverit, et consensus et ratificatio Sacrae Caesareae Maiestatis accesserit. Petiit autem a dicto Dno Strahoviensi Capitulum, ut praetensiones, si quas de Iure habet in Monasterium Milovicense, Capitulo significet, ut sic imposterum, si opus fuerit de certa quadam pensione a futuro Abbate Milovicensi [24]) Strahoviensibus solvenda, in praesenti Capitulo pactari possit et conveniri.

Item de consensu Dni Strahoviensis aliorumque Strahoviensium Capitulo praesentium Conventus sui nomine, Dnus Vicarius Generalis et Capitulum Provinciale Fr. Benedicto Kaër Canonico Strahoviensi vocem et stallum Professionis suae benigne restituit.

Item movit R. P. Michael procuratorio nomine Conventus sui Teplensis difficultates Fratrum studentium in Seminario S. Norberti Pragae ex suo Monasterio Teplensi, quas audivit Capitulum et desuper decrevit, ut imposterum ad conformitatem aliorum Seminariorum et Convictuum, praecipue etiam Conventuum Regularium litteras, quas habent alio scribendas, non alio, quam Seminarii sigillo consignent, ea tamen distinctione, ut illac quas mittant ad Praelatum et Superiorem Conventus, Praeses non legat, nec e converso a Superioribus eisdem fratribus missas reservet. Iubenturque Fratres in dicto Seminario studentes a quibuscumque curiositatibus, maxime

[23]) Vincentius Macarius Frank. Vide n. 4.

[24]) Abbatia Milovicensis (Milevsko, Mühlhausen, in hodierna Tchecho-Slovakia) multas aerumnas perpessa erat; finiente saeculo decimo sexto, extincta erat. Anno 1628, Imperator Ferdinandus eam Ordini restituit. In praesenti Capitulo provinciali, tum in hac sessione quarta, tum in sessione octava, de hoc negotio tractatum est et Abbatiae Strahoviensi commendatur ut abbatia Milovicensis in abbatiam sui iuris restituatur. Quae decisio capitularis executioni mandata non fuit. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 300 s.

vestium abstinere, ac secundum morem vestiarii Domus suae Professae in omnibus vestiri. Quod si Fratres studentes (ut facile labitur humana infirmitas) execrare contingat, agnovit Capitulum, ut instar quidem pro delicti qualitate poenas luant, acerbioribus tamen non affligantur, aut penitus domum relegantur sine praemonitione Praelatorum, quorum sunt Professi et Filii. Victus tamen talis ut memoratis Fratribus porrigatur, ne floridae aetatis et sanitatis in illis (p. 8) suboriatur dispendium ; Dominus Strahoviensis, Patribus Provinciae, se omnem possibilem sollicitudinem ac vigilantiam impensurum, pollicitus est.

Item Dnus Strahoviensis exposuit Capitulo calamitatem Rmi Dni Abbatis Ninivensis [25]) in Flandria, qui bellorum actus incommodis, Canonicos suos Conventuales cogitur dimittere, et rogavit eius nomine, ut casu quo aliquis ex illis ad nostras Provincias venire contigerit, eodem Rdi Dni Praelati ex charitate dignentur suscipere. Annuebant Patres Provinciae, quisque pro qualitate dispositione Monasterii sui in fraternum Charitatis affectum.

Sessio 5ta.

Celebrata 13 Maii mane.

Iterum invocato prius Divini Spiritus adiutorio, Dominus Gradicensis [26]) statum Monasterii sui exponens, Capitulo edocuit mutuum 10.000 florenorum monetae longioris antiquae, quo Gradicense obligatur monasterio Doxanensi, per cessionales devolutum est ad Strahoviense, et hoc ipsum mutuum a Gradicensibus Strahoviensi penitus in validiori insuper moneta esse solutum. Quia tamen obligatorie in originali intra Archivium Strahoviense adhuc detinetur, et in forma transsumpti intra Archivium Doxanense, petiit Dominus Gradicensis suo et Conventus sui nomine, quatenus periculum de secundo solvendo (quod futuris temporibus contingere posset) excedat, easdem obligatorias tam in Originali ex Strahoviensi, quam a forma transsumpti ex Monastero Doxanensi, sibi reddi ; ad quas reddendas, quamprimum licuerit, se promptum demonstravit Dominus Strahoviensis.

Item Dominus Gradicensis exposuit Capitulo mentem suam,

[25]) Abbas Ninivensis (Ninove, in Belgio) tunc erat Joannes de Neve. Abbatia haec tunc revera maximas calamitates perpessa erat.

[26]) Thomas Olschansky. Vide n. 7.

qua cogitat illam pecuniam, quam accepit ex vendito quodam praedio ab Antecessore suo Patribus Societatis, ante Urbem Olomucensem, adiuncta adhuc aliqua portione, applicare et emere pagum aliquem Monasterio suo, in quibusdam Regalibus valde utilem. Audivit Capitulum et totum hoc negotium cum consilio et arbitrio Patris Abbatis insistendum esse decrevit. Quod si tamen dicta venditio predii non stat in iustis terminis, ne Monasterium Gradicense in suo Iure repetionis iustae illius predii aliquod patiatur praeiudicium vel damnum, Dominus Gradisensis (p. 9) hoc cavebit, et de nullitate venditionis apud possessores protervabitur.

Item Rmus Dominus Lucensis [27]) exposito pariter Monasterii sui statu sat Religiose ordinato, movit Ius Paternitatis in Monasterium S. Vincentii Wratislaviae. Decrevit Generale Capitulum auditis et ponderatis sat urgentibus rationibus a Dominis deputatis ibidem propositis, motum et persuasum, ut imposterum Silesiae Monasteria incorporentur Circariae Moraviae, ac speciatim Monasterium S. Vincentii in recognitionem iustam laborum p. d. Domini Benedicti Lachenii [28]) Vicarii Generalis et Abbatis Lucensis, cuius industria ut plurimum dictum Monasterium S. Vincentii Ordini vindicatum est ac restitutum ; ne, quod absit, iterum ex distantia, ac consequenter carentia iustae defensionis et paternae assistentiae in pristina mala ruat, Ius Paternitatis ad Abbatiam Lucensem accedente consensu Rmi Dni Steinfeldensis [29]) transferetur. Etsi dictus Dominus Steinfeldensis magna iam ex parte, necdum tamen ex integro, et in authentico Instrumento eiusmodi consensum dederit, merito petiit Dominus Lucensis, ut a Capitulo Provinciali, pro plenaria et absoluta cessione requiratur Dominus Steinfeldensis, cui petitioni promptissime annuit Capitulum, et requirendum decrevit.

Item Dominus Zabrdovicensis [30]) declarato coeteroquin sat religioso et pacato statu Monasterii sui, enumeravit quasdam devotiones ab Ordine non praescriptas, observari iam ab antiquo a Fratribus suis, quae cum nullam in Ordinis devotionibus aliis inducant difformitatem, et ipsi quoque Fratres Zabrdovicenses illis libenter et devote insistant, ut illas et imposterum pie prosequantur. Capitulum

[27]) Mattheus Paul. Vide n. 1.

[28]) Benedictus Lachen, abbas Lucensis, obiit anno 1653.

[29]) Abbas Steinfeldensis erat Norbertus ab Horrichem, abbas annis 1630-1661. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 863 s.; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 195; L. Goovaerts, *Ecrivains*,... II; Bruxellis, 1907, pp. 107-108.

[30]) Godefridus Olenius. Vide n. 13.

libenter consensit. Quia tamen hactenus specialiter in Adventu Domini propter Rorate, quod hora 5ta matutina cantarunt in Zabrdovicensi. ideoque Fratres cum maturius nempe hora 4ta excitarentur, matutinas non media nocte, ut alias, sed pridie hora 7ma persolverunt, decrevit Capitulum, ut propter conformitatem Ordinis in Provincia, Fratres quoque Zabrdovicenses surgant media nocte, etiam in Adventu, et mane hora 5ta consueta, excitentur, ac Rorate conformiter ad morem aliarum Ecclesiarum decantent. Quando autem Missa alias Ordinaria B. V. legenda sit, manet in dispositione, et penes discretionem Praelatorum.

(p. 10) Item Rmus Dnus Cotieschoviensis [31]) petiit declarationem decreti Capituli Generalis Sess. 12., casu quo Religiosi Ordinis obtineant Parochias collaturae alterius Monasterii, si tales a parochiis ad proprium Monasterium revocentur, aut plane in Parochiis moriantur, quis tunc Relictorum in tali Parochia sit haeres ? Et si annuam pensionem ex Parochia solvere oporteat, cui sit solvenda ? Abbatiae, cuius talis Parochus est professus. an Praelato Collatori ? Quia porro haec petitio declarationis tangit Rmum Dominum Abbatem Teplensem [32]) Monasterii Cotieschoviensis Patrem Abbatem ; neque etiam Dominus Praepositus Cotischoviensis quoad hunc casum suscipere potuit plenipotentiam Domini Teplensis, tamquam pars, remissa est ad proximam futuram Visitationem. Interea tamen visum Capitulo respectu aliorum, ut in tali casu pensio annua cedat Monasterio, cuique talis Parochus est Professus ; Relictorum vero dimidiam accipiat Monasterium, cuius est Professus, et alterius dimidium Collator.

Item Rmus Dominus Praepositus Czarnovisensis [33]) petiit a Capitulo quatenus sibi liceret sollicitare apud Sedem Apostolicam Ius Infulae, pro se, et suis successoribus. Cui Capitulum libenter annuit, quod etiam negotium Dnus Vicarius apud Eminentissimum D. Cardinalem ab Harrach [34]) promovendum commodavit Domino

[31]) Nicolaus Peletz. Vide n. 10.

[32]) Raymundus Wilfert. Vide n. 14.

[33]) Nomina Praepositorum huius Canoniae apud C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 589-593, non indicantur ante Balthazarum de Gerbert, defunctum anno 1695; neque apud N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 338. — Nomen huius Praepositi defuncti, durante ipso Capitulo, indicatur in fine Actorum huius Capituli: Paulus.

[34]) Cardinalis Ernestus ab Harrach summopere meritus est de religione instauranda in Bohemia. Archiepiscopus Pragensis nominatus anno 1622, Cardinalis inde ab anno 1626, plurimum adlaboravit, inter alia, in favorem erigendi Collegii Nor-

Strahoviensi et Syloensi in dicta Aula bene notis et valentibus. Respexit utique Deus et Ordo zelum optimi viri, sed aliter idem inscrutabilis Deus disposuit. Coepit bonus Dominus Praepositius in itinere ad Capitulum febricitare, quae etiam febricula gravius incalescens in Coenobio Plagensi, durante Capitulum 14 Maii circa decimam matutinam omnibus Sacramentis rite et bene munitum corripuit, diemque videre fecit extremum. Attumulatus Plagensibus requiescat in sancta pace.

Sessio 6ta.

Celebrata 13 Maii post meridiem.

Invocata Smi Spiritus assistentia, Rmus Dominus Zaberdovicensis [35]) exposuit Capitulo quod non tantum ipse in Persona Abbatis, sed etiam R. P. Prior, totumque ipsius Conventus ab aliquo Patre iuvene sui Monasterii Zabrdovicensis professo (p. 11) graviter fuerit iniuriatus, audivit in longum utriusque partis gravamina et querimonias Capitulum, quod negotium ulteriori discussioni ad sequentem sessionem decidendum distulit. Interea tuendo nitori Ordinis (ut hactenus per plura Capitula Provincialia sancitum, et in novissimo Generali confirmatum) a Domino Vicario deputati sunt qui indiscolos et vagantes observent, ne sine illorum speciali reprobatione Parochiis aut Beneficiis subrepant per Boëmiam Dominus Vincentius Abbas Strahoviensis [36]), per Moraviam Dominus Godefridus Abbas Zaberdovicensis.

Sessio 7ma.

Celebrata 14 Maii mane.

Invocato Smo Spiritu, compositum est negotium litis, inter Rmum Dnum Abbatem Zaberdovicensem [37]), P. Priorem et Conventum illius ex una, et Patrem eiusdem Monasterii ex altera parte, Causa tandem cecidit dictus Pater professus, et poenitentia in speciali sua obedientia specificate subiectus.

bertini in civitate Pragensi. Obiit anno 1667. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 536 s.; E. Winter, in *Lex. f. Theol. u. Kirche*, 1ª ed., IV, Friburgi Br., 1932, col. 830.

[35]) Godefridus Olenius. Vide n. 13.

[36]) Vincentius Frank. Vide n. 4.

[37]) Godefridus Olenius. Vide n. 13.

Retulerunt DDni Gradicensis [38]) et Lucensis [39]), ad hoc specialiter deputati a Capitulo, ex Provinciali Capitulo Plagae A° 1651 [40]) celebrato, huius Capituli actis inserenda sequentia :

Usus laneorum propter pretium institui non potest, neque ideo lineorum (quae facile comparantur) subtilium aut delicatorum usus conceditur. Consuetus item non est usus cinguli coriaci Novitiis, quia a Professis ex non usu Cappae seu pallii choralis dignoscuntur [41]). Sollicitat quoque Capitulum maturari promissum Capituli Generalis de edendis novis Breviariis et Diurnalibus [42]). Demum ex fraterna commiseratione et charitate observetur conclusum puncto 4to Capituli Provincialis a° 1651, ut quamprimum de morte confratris alterius Monasterii certo constiterit, etsi Breve nondum advenerit, iusta charitatis foedera persolvantur : videlicet Vigiliae 9 Lectionibus, media commendatio, solemne Sacrum cum una Disciplina in Capitulo, et quivis Sacerdos unam Missam. Fratres autem et Sorores Ordinis 7 Psalmos Poenitentiales ; Conversi 50 Pater et Ave. Et si plures obitus supervenerint, in uno officio includi possunt. Superadditur pro Praelatis Trigesimus [43]).

Sesso 8va.

Celebrata 14 Maii postmeridiem.

Repetita imploratione gratiae Smi Spiritus ; tractatum est cum Dno Strahoviensi in causa Monasterii Milovicensis iuxta tenorem Transactionis in Neoreuschensi facta A° 1643 et a Sacra Caesarea Maiestate roborata ac confirmata. Exposuit (p. 12) Dominus Strahoviensis multivarias Ecclesiae suae (calamitosis adhuc hisce temporibus) necessitates, quare memoratum Milovicense Monasterium (in quod neque Ius Paternitatis praetendit, neque alias de Iure aliquid in illud praetendere habet) ultra in subsidium Monasterio suo concedi postulavit. Capitulum Provinciale respondit : huic petitioni absolute annuere, excedere suam potestatem, repugnare Transactioni a Sacra Caesarea Maiestate confirmatae, mandato Capituli Genera-

[38]) Thomas Olschansky. Vide n. 7.

[39]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.

[40]) Conventus Praelatorum Plagae habitus anno 1651, qui in Actis ipsius « *Conventus* » dicitur (cfr. supra, p. 58 ss.), hic intitulatur *Capitulum provinciale*.

[41]) De hac re anno 1651 agitur in conclusione prima. Vide p. 59.

[42]) De hac re anno 1651 agitur in conclusione secunda. Vide p. 59.

[43]) De hac re anno 1651 agitur in conclusione quarta. Vide p. 60.

lis, ipsisque demum Canonibus sacris. Igitur omni via meliori per totam sessionem hanc consultatum est, quomodo utrinque et Strahoviensi Monasterio de subsidio charitativo, ac etiam Milovicensi de actuali Abbate provideretur [44]).

Sessio 9na.

Celebrata 15 Maii mane.

Invocata Smi Spiritus assistentia, tandem post multas difficultates enodatas cum Domino Strahoviensi [45]) conventum est, et a Capitulo Provinciali Sac. Caes. Maiestati praesentetur pro confirmatione novus et actualis Abbas Milovicensis, qui praesentem oeconomiam administret, collapsa quantum possibile fuerit reparet, statumque illius in omnibus conservet integrum. Sibi et aliis secum commorantibus Religiosis ac familiae respective provideat cum honestate. Coeteros vero fructus residuos omnes necessitatibus Monasterii Strahoviensis tribuat, et hoc per primos duos annos, exhibitis rationibus Rmo Patri suo Abbati Domino Syloensi [46]) in praesentia unius vel alterius adhuc vicinioris Praelati, atque etiam unius ex Strahoviensibus ad hoc specialiter requisitis et deputatis ; elapso hoc biennio, quantum deinceps a Milovicensi Strahoviensibus pendi possit aut debeat, decernent cum P. Abbate Patres Provinciae. Annuit et pro ratificata acceptavit hanc conventionem Dnus Strahoviensis, atque ut omnia fauste eveniant, et intentum consequantur effectum, comprecatum est.

Item ventilatum est praecipue a filiis Abbatibus in Capitulo, Decretum Capituli Generalis Sess. 7, in quo haec leguntur : Vacantibus Ecclesiis PP. Abbates earundem, et non Capitula seu Priores earum habebunt omnimodam administrationem, tam in spiritualibus quam in temporalibus [47]). PP. Provinciae maturiori facta de-

[44]) Hoc Capitulum Provinciale de hac re jam aliquid edixerat in sessione quarta. Vide p. 86.

[45]) Vincentius Frank. Vide n. 4.

[46]) Vitus Rössler. Vide n. 5.

[47]) Ita de hac re legitur in Actis huius Capituli Generalis, anni 1657: « *Capitulum generale examinatum decretum alterius Capituli Generalis anni 1523, in quo dicitur quod vacantibus Ecclesiis Patres-Abbates eorumdem, et non capitula seu Priores eorumdem habebunt omnimodum administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus, dempto Priore Praemonstratensi, sufficienter pro parte Praemonstratensis conventus eidem Capitulo proposita, ut dignaretur dictum decretum*

super discussione, compererunt hocce decretum in partibus nostris utiliter practicari non posse, nec praxin illius a Principe terrae tolerari ; unde petunt a D. P. Generali quoad has partes illud revocari.

Legitur etiam in Actis Capituli Generalis sess. 5. quod quaestionem illam : An Capitulum non debeat ex expresso Decreto praecipere, ut quaelibet Circaria (p. 13) vel quodlibet Regnum mittat Praemonstratum aliquem peritum Religiosum, qui uti Procurator et Consiliarius et debita a suis Principalibus sustentatione, Rmo P. Generali assistat, suae Circariae seu Regni negotia ei communicet, cum eo tractet et consilium conferat, remittere oporteat ad proximum Capitulum Generale [48]) ? Declaravit Capitulum, huic quaestioni partes nostras consentire non posse, propter Aulam aliasque plures praegnantes causas, Dno P. Generali specialibus litteris in tempore commodo per Dominum Vicarium Generalem perscribendas. Item Capitulum contulit Domino Strahoviensi [49]) titulum Visitatoris ad eum modum, quem concessit Rmo et Illmo Domino Crispino in Transactione Neureuschensi [50]).

Item Dnus Strahoviensis quaesivit a Capitulo, num sibi liceat bona sua Moravica vendere, et in vices alia meliora Pragae magis vicina et utilia coëmere vel commutare si se offerat emendi huiusmodi vel commutandi occasio ? Rmus D. Vicarius [51]) (cui velut

quoad Priorem Praemonstratensem innovat et quoad Priorem Praemonstratensem declarat... ». Ms. Laon 538, p. 712.

[48]) Acta Capituli Generalis anni 1657 haec edixit de hac re: « *Item ad propositionem sub his terminis factam videlicet, videtur Ordini deesse sufficiens membrorum cum Capitulo communicatio; ideo quaeritur an Capitulum non debeat speciali et expresso decreto praecipere ut quaelibet Circaria, vel quodlibet Regnum mittat Praemonstratum aliquem peritum Religiosum qui uti Procurator et consiliarius, et debita a suis principalibus sustentatione munitus Revmo Generali assistat, suae Circariae seu Regni negotia ei communicet, tractetque cum eo et consilium conferat. Respondit Dnus Lucensis, eiusmodi propositionem non venisse in mentem suorum Coabbatum, et neminem hactenus fuisse in Circariis quas sibi Revmus Pater Generalis commiserat, qui de subreptione aliqua aut negligentia in expediendis occurrentibus negotiis, contra Revmum Patrem Generalem, conquestus fuerat, se quidem propositionem valde probare, sed rogare ut supersedeatur decreto desuper dando, donec ipse cum Comprovincialibus contulerit, eorumque sensum exquisierit. Item rogarunt Rdi Dni sensum Sueviae et Bavariae, quorum supplicationi Capitulum censuit annuendum et annuit, et quaestioni decisionem ad proximum Capitulum Generale committit* ». Ms. Laon 538, p. 710 s.

[49]) Vincentius Frank. Vide n. 4.

[50]) De hac transactione sub abbate Strahoviensi Crispino Fuck (1653), aliquid innuitur in sessione octava huius Capituli. Vide p. 91.

[51]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.

quondam Abbati Lucensi, bene perspectus est illorum bonorum status) in talem modum et finem, cum Capitulo Provinciali praebuit assensum, salvo tamen Sac. Caes. Maiestatis respectu.

Item Dominus Syloensis [52]) modeste petiit a Domino Strahoviensi, ut si quae haberet documenta in suo Archivio, Monasterio suo Syloënsi inservientia, ea ex charitate eidem porrigat : Promisit Dnus Strahoviensis, se si quid similium repererit, fraterna sinceritate exhibiturum.

Item Dominus Syloensis ex officio Visitatoris quod gerit, authoritate Capituli Generalis, ne sibi in eodem officio succedenti in aliquo praeiudicasse diceretur, stallum petiit in Capitulo immediate post Vicarium. Decrevit Capitulum competere Visitatori sessionem immediate post Vicarium in Sessionibus Ordinis, non tamen eo ipso in Sessionibus Provinciae, de quibus decernere Capitulum non praesumit.

Item Dominus Vicarius Generalis, legi fecit per Secretarium Provinciae [53]) Indictionem novam Capituli Generalis ad annum 1660, Dominica Cantate [54]) in Archicoenobio Praemonstratensi celebrandi. Visum insuper Capitulo pro hac vice mitti non posse aliquos deputatos ad illud, nam praeterquam quod Monasteria non sufficiant ad exsolvendas expensas tantorum periculosorum itinerum, difficulter quoque Aula Caesarea licentiam impertiretur.

Item Dominus Vicarius sollicite commendavit Patribus Capituli, praecipue Patribus Prioribus sedulam Statutorum in disciplina regulari, et Ordinarii in ritibus et coeremoniis Ecclesiae observantiam, Quantum in unoquoque (p. 14) Monasterio patitur fratrum numerus et loci capacitas. Cui etiam omnes tum Praelati quam Priores, ac singuli Capitulantes humiliter et obedienter inclinarunt.

Specialiter ex Ordinario (praecipue urgentibus Patribus Prioribus) pro uniformitate commendatum est observari 1° ut imposterum extra tempus afflictionis, in Prima et Completorio dicatur Confiteor, sine genuflexione, sed cum profunda inclinatione. 2° Quotiescumque Chorus est in Superpelliceis (quod posthac fiet non tantum in Triplicibus, sed etiam in Duplicibus fori, et Dominicis quae per modum Duplicis celebrantur, ac in Processionibus solemnibus) Fratres canonici utantur Birettis. 3° Organi lusus in Triplicibus lae

[52]) Vitus Rössler. Vide n. 5.

[53]) Franciscus Freisleben. Vide n. 11.

[54]) Quarta Dominica post festum Paschatis Resurrectionis.

et 2ae classis etiam adhibeatur ad Hymnum et Nunc dimittis, in Completorio. 4° Lector mensae, benedictionem petat ad gradus Presbyterii die Dominica post Primam, Versum et Collectam super ipsum dicente Hebdomadario. 5° In Summa, Sanctus, Pleni sunt, etc. cum Osanna in excelsis, interposito lusu Organi cantentur sicut praescribit Ordinarius, et Benedictus per usum Organi compleatur. 6° Quoties habetur Missa de Ven. Sacramento, semper canitur prosa : Ecce panis Angelorum ; non tamen exponitur Venerabile Sacramentum sicut per Octavam Corporis Christi. 7° Ubi B. V. est Patrona (etsi hoc ordinarie fiat in Sabbatho) ibi etiam licet sit festum 3m lect., die Martis nihilominus Summa cantabitur de B. V. M.

Sessio 10ma et ultima.

Celebrata 16 Maii post meridiem.

Invocata uti semper Spiritus S. gratia, Rmus D. Vicarius gravi adhortatione facta toti consessui Capitulari, sibi de obedientia et Conventu Patrum Provinciae plurimum complacuit, atque omnes et singulos, uti decet genuinos D. Norberti filios ; viam mandatorum Dei iuxta Regulae et Statutorum praescriptum, cum humilitate et charitate iussit decurrere, atque etiam quae praesenti Capitulo decreta sunt et conclusa, strictae observantiae demandavit. In tam salutaria monita, et paternam benedictionem et sollicitudinem omnes debita reverentialitate et submissione religiosa inclinarunt.

Lecta fuerunt et publicata a Secretario Decreta Capituli Provincialis, atque a singulis DDis Praelatis immediate subscripta, ac Sigillorum suorum robore consignata et munita. Quibus omnibus ad finem feliciter deductis, tandem actis gratiis Deo bonorum omnium largitori, et facta Confessione generali (p. 15) ac acceptata a Domino Vicario absolutione, tandemque solemni benedictione, Capitulo Provinciali finis impositus est. Deus omnia vertet in gloriam suam et candidi Ordinis nostri nitorem ac emolumentum salutare.

NOMINA RRmorum DDorum Praelatorum, RRmorum PPrum Priorum, et Aliorum Canonicorum, huic Capitulo Provinciali personaliter praesentium 11 Maii et sequentibus, Plagae A° 1659.

Rmus et Amplus Dnus Dnus Matthaeus Paul, Abbas S. Vincentii Wratislaviensis in Silesia, Vicarius Generalis. S. S. Th. D. [55]).

[53]) Vide n. 1.

Rmus Dnus Vitus, Abbas Syloënsis, Visitator Ordinis, SS. Th. D. [56]).
Vincentius. Abbas Strahoviensis et Milovicensis. Visitator [57]).
Thomas. Abbas Gradicensis [58]).
Norbertus. Abbas Lucensis [59]).
Godefridus Abbas Zabrdovicensis [60]).
Joannes. Abbas Geracensis [61]).
Martinus. Abbas Plagensis [62]).
Nicolaus. Praepositus Pernecensis [63]).
Adalbertus. Praepositus Chotieschoviensis [64]).
Paulus. Praepositus Czarnovicensis [65]). Hic durante Capitulo obiit.

Priores.

Adm. Rdus Pr. Hugo, Prior Syloënsis.
Andreas. Prior Lucensis.
Bruno. Prior S. Vincentii Wratislaviae
Andreas. Prior Zaberdovicensis.
Benedictus. Prior Plagensis. SS. Rh. L.

Capitulares reliqui.

Rdus Fr. Dominicus. Can. Strahoviensis, Decanus Thaboriensis.
Ioannes. Supprior Strahoviensis.
Norbertus. Supprior Gradicensis.

[56]) Vitus Rössler. Vide n. 5.
[57]) Vincentius Frank. Vide n. 4.
[58]) Thomas Olschansky. Vide n. 7.
[59]) Norbertus Pleyer. Praedecessor eius, Matthaeus Paul, postulatus fuerat a Canonia S. Vincentii Wratislaviensis. Juxta N. BACKMUND, *Monasticon*, L, p. 299, Norbertus Pleyer abbas fit anno 1660. Actis huius Capituli anni 1659, iam, qua abbas, subscribit.
[60]) Godefridus Olenius. Vide n. 13.
[61]) Joannes Westhaus, abbas annis 1650-1674. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.
[62]) Martinus Greysing. Vide n. 6.
[63]) Nicolaus Meister. Vide n. 9.
[64]) Adalbertus Peletz. Vide n. 10.
[65]) Paulus. Vide n. 33.

(p. 16) Michael. Can. Teplensis. Parochus Welpensicensis.

Fridericus. Can. Neureuschensis.

Qui omnes Plagensis charitatis affectu percepto ad propria redierunt.

(Subscripserunt omnes et singuli Abbates ; appositis suis sigillis).

Concordat cum originali. Ita testor.

Fr. Franciscus Freisleben, Can. Plag. SS. Th. L. Cap. Secretarius [66]).

F. Mattheus [67]), Abbas S. Vincentii ; Vic. Gen. (autographum) cum sigillo.

Siardus. Can. Geracensis. Parochus in Frading.

Bernardus, Can. Plagensis. Parochus ad S. Oswaldum.

[66]) Vide n. 11.

[67]) Vide n. 1.

6

Capitulum Provinciale Gradicii celebratum anno 1670

(p. 1) CAPITULUM PROVINCIALE RRmorum et Amplissimorum DD. Abbatum et Praepositorum, ut et Reverendorum ac Vblium PP. Priorum, aliorumque Canonicorum, quorum de more Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis fuerat interesse Circariarum Boëmiae, Moraviae, Austriae, Silesiae, etc.

Indictione Rmi et Amplmi DD. Matthaei Paul [1]), Ducalis Coenobii ad S. Vincentium Wratislaviae in Silesia Abbatis, per Circarias memoratas Vicarii Generalis, SS. Theologiae Doctoris, etc.

In Regio Gradicensi [2]) Monasterio prope Olmutium Marchionatus Moraviae in Spiritu Sancto legitime celebratum a 27 mensis Iulii ac deinceps A° 1670.

In Nomine Domini. Amen.

Sessio I^ma.

Celebrata 27 Iulii, ante meridiem.

Praemissis secundum praescriptum Statutorum Ordinis Divinis, et aliis praemittendis, ad locum Capituli processum est, ubi invocata Spiritus Sti gratia considentibus omnibus pro Capitulo Provinciali congregatis a R. Patre Alexo Wurst Canonico Gradicensi gravi et docta gratulatione sunt excepti.

[1]) Matthaeus Paul, abbas Lucensis annis 1655-665; deinde abbas S. Vincentii Wratislaviensis usque ad annum 1672. Cfr. L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vinzenzstiftes*, in *An. Praem.*, XVII, 1951, pag. spec., p. 149 s.

[2]) Gradicum seu Hradisch, vel Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia, prope civitatem Olomucensem. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 749-760; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291-294.

Post hac, tres PP. DD. Praelati Siardus Falco [3]), Abbas Syloënsis, Fridericus Sedlecius [4]), Abbas Gradicensis, et Michaël Castel [5]), Praepositus Cotieschoviensis, qui hactenus non fecerant, in manibus Rmi Dni Vicarii Generalis Ipsi et Capitulo Provinciali praestiterunt obedientiam et reverentiam.

In Definitores Capituli omnes DD. Praelati praesentes assumpti sunt.

In Secretarium electus est R. Pater Aloysius Hackenschmidt [6]), Canonicus Teplensis, cui Notarii adiuncti sunt R. P. Maximilianus Bösmert Canonicus et Prior Strahoviensis, et R. et Eximius Pater Godefridus Czelechovsky [7]), Canonicus et Prior S. Vincentii Wratislaviae, SS. Theologiae Doctor, qui similiter in manibus Rmi Dni Vicarii Generalis fidelitatem et secretum promiserunt. Procuratoriae postmodum absentiae DD. Praelatorum lectae, et propter legitimas causes acceptae sunt.

Ut Talliae Procuratori Romano a 5. annis restantes solvantur, pro (p. 2) collectione earundem Rmus D. Godefridus Olenius Abbas Zaberdovicensis [8]) a Capitulo denominatus est, ac ut imposterum eaedem Romam transmittantur, Amplmum Capitulum libenter consensit.

Considerato post hac electionis Praemonstratensis hactenus controversae negotio, Capitulum attenta Sanctae Sedis motu proprio providentis authoritate, Ipsum Rmum Michaëlem Colbert, pro legi-

[3]) Siardus Falco, abbas annis 1661-1677. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323.

[4]) Fredericus Sedlecius, abbas annis 1666-1672. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 757; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294.

[5]) Nomen huius Praepositi scribitur Michael Kastl (praepositus annis 1666-1698), apud C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 560; et N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287.

[6]) Aloysius Hackenschmied († 6 apr. 1683), Iuris Canonici lector in canonia Teplensi, auctor tomi secundi et tertii « *Annalium Teplensium* ». Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, 1899, p. 343; II, 1907, p. 71; A. Zerlik, *Anal. Praem.*, XXXVII, 1961, p. 153 s.

[7]) Godefridus Czelechovsky, anno 1686, abbas S. Vincentii Wratislaviensis (obiit 10 Febr. 1692). Cfr. L. Santifaller, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vinzenzstiftes*, in *An. Praem.*, XXVII, 1951, p. 151 s.; L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I, p. 155.

[8]) Godefridus Olenius, abbas annis 1650-1682. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1181; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

timo Ordinis Capite et Generali [9]) cum aliis Circariis agnoscendum et recipiendum censuit, prout praesentibus agnoscit, recipit, et veneratur.

Ad quaestionem, an pro futuro Capitulo Generali Dominica 1ª mensis Septembris currentis Anni 1670 celebrando aliqui ex nostris Comprovincialibus mitti debeant ? Responsum fuit propter indictionem tardius ad nos translatam, adeoque brevitatem temporis pro hac vice neminem comparare posse ; rogandum itaque Rmum D. Generalem, ut deinceps Capitulorum Generalium Indictionem tempestivius ad nos dirigi satagat, quo nostra Provincialia Capitula ad finem 7bris, vel initium 8bris Anno Capitulum Generale praecedenti commodius celebrari, a Caesarea Maiestate consensus citius impetrari, et mittendi domui suae melius disponere possint.

Exposuit praeterea Rmus D. Vicarius Generalis [10]), quod cum suus Vicariatus Generalis futuro Capitulo Generali expiret, propter deficientes corporis vires, et per 14 annos impensos labores, gravissima simul atque periculosissima confecta itinera, aliasque praegnantes causas hoc Officium amplius ferre non possit, ut DD. Comprovinciales iuxta indultum Capituli Generalis de Anno 1657, Sess. 8.

[9]) Michael Colbert, abbas Praemonstratensis et Caput Ordinis annis 1670-1702. Abbas Praemonstratensis praecedens, le Scellier, coram Capitulo generali anni 1666, munus suum deposuerat. Acta Capituli Generalis anni 1660 ita referunt in sessione prima: « *Exposuit Reverendissimus Dominus Praemonstratensis se prae senio cessisse dignitati suae abbatiali sub Summi Pontificis beneplacito et a conventu Prameonstratensi sub eodem beneplacito ad electionem novi Abbatis fuisse processum* » (Nancy, ms. 994, fol. 322 b). Le Scellier dicti Capituli anni 1666 praeses remansit. In sessione decima tertia eiusdem Capituli haec referuntur: « *Capitulum decrevit supplicandum esse Sanctissimo Domini Nostro pro obtinenda confirmatione electionis Rev. Patris Michaelis Colbert in Abbatem Praemonstratensem Generalem* ». Ib., fol. 324 a. Electio Colbert a pluribus tamen oppugnabatur. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 54 s.; C. Taiée, *Prémontré*, II, Paris, 1873, p. 132-134. L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I, Bruxelles, 1897, p. 129 ita paucis illa describit: « *Dans le chapitre du 1 févr. 1666, il* (le Scellier) *donna sa démission et proclama le prieur claustral* (Colbert) *élu abbé général. Cette élection ne s'étant point faite dans les formes accoutumées, une partie des capitulants* (surtout Norbert Cailleux, qui déclara au Chapitre Général de 1666 « *se suis oppositionibus inhaerere*: l. c., fol. 324 a) *appellants y fit opposition auprès du Souverain Pontife, et celui-ci* (Alexandre VII) *l'annula. Mais Louis XIV, désireux de voir à la tête de l'Ordre un membre de l'illustre famille des Colbert, supplia le Pape Clement IX de revenir sur sa décision, et le P. Michel obtint enfin ses Bulles en 1670* ».

[10]) Vide n. 1.

Rmo Dno Praemonstratensi duos vel tres Circariae Praelatos suggerant, ex quibus unus vel alter pro hoc officio assumi possit. — Cum autem hactenus Rmus Dnus Vicarius Generalis laudabiliter et magna omnium consolatione officio suo functus fuerit, neque alius facile inveniri possit, qui tanta experientia et dexteritate in his haereditariis Provinciis praeesse valeat, unanimiter deprecantur, dignetur Rmus Pater Generalis hunc amantissimum nostrum Praesidem ad triennium saltem confirmare, donec difficultates, et quaedam controversiae in hac nostra Circaria versantes integre componantur, pax et charitas fraterna, quae multum hactenus labefactata fuit, reinducta stabiliatur.

(p. 3) Ne tamen R. D. Vicarius Generalis gravioribus laboribus omnimode frangatur, promittunt DD. Comprovinciales omnem possibilem assistentiam, et sublevationem.

Sessio 2da.

Celebrata eodem post meridiem.

Invocata pro more Spiritus S. gratia, quaesitum est, an omnia ex praecedentibus Capitulis Generalibus videantur simpliciter acceptanda ? Responsum est, Ita. Fuerunt et alia ventilata circa Monasteria Syloënsis et Milovicense, quae propter absentiam D. Strahoviensis [11]) extra Capitulariter componi posse DD. Comprovinciales censuerunt.

Sessio 3tia.

Celebrata 28 Iulii, ante meridiem.

Decantata Missa de Spiritu Sto ad Capitulum processum est, ubi acta sunt sequentia: Rmus D. Vicarius Generalis Abbas S. Vin-

[11]) Hieronymus von Hirnheim. Electus Abbas die 14 Januarii 1670. Postea Vicarius Generalis. Obiit 27 Augusti 1679. « Diversa eruditionis monumenta transmisit posteris. Vicarius Generalis effectus diffudit per sui Vicariatus Provincias, studii amorem, et cultum Sanctissimi Patris Norberti propagavit, eiusque festum per modum duplicis celebrari obtinuit a Romano Pontifice, in universali Ecclesia. Humilitatem fratribus testamento legavit ». Ita C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 932; L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I (1897), p. 389 s.; II (1903), p. 99 s.; E. Winter, *Hieronymus Hirnhaim O. Praem.: Ein Religionsphilosoph im Barock*, in *An. Praem.*, XIII, 1933, p. 127-132.

centii recensuit suum Monasterium ex gravissimis debitis emersum tam quoad Spiritualia quam temporalia, esse in congruo statu et flore, qui, ut perseveret, multum de viciniore Patre Abbate sollicitus litteras a se, suoque Conventu R. D. Steinfeldensi inscriptas [12]) ob Ius Paternitatis in S. Vincentium ibi quocunque modo competens produxit, submisse petens, conformiter ad mandata Capitulorum Generalium eiusmodi Ius in D. Lucensem Abbatem modernum, et futuros, authentico instrumento transferre dignaretur, quae salutaris intentio, ut effectum sortiatur DD. Comprovinciales desuper authoritatem et cooperationem Rmi D. Generalis et Amplissimi Capituli denuo implorant. D. Syloënsis [13]) similiter asseruit Monasterium esse in bono statu. Ita et D. Gradicensis [14]).

D. Lucensis [15]) revocavit in memoriam RR. DD. Comprovinciales suggestionem de Monasterio Kunicensi in Moravia quoad locum saltem claustri et Ecclesiae, quorum restant nonnulla rudera facile recuperabilia, in Capitulo praecedenti A° 1665 Sess. 7 factam, commissum est rursum hoc negotium D. Lucensi, et D. Zaberdovicensi, utpote vicinioribus, praedictum Monasterium e manibus Saecularium recipiendi, et in quantum possibile restaurandi, pro qua restauratione DD. Comprovinciales omnem operam et assistentiam spoponderunt.

D. Zaberdovicensis [16]) quaesivit, an Ecclesia Kyritemensis, quae olim Monasterium Virginum Sac. Ord. extitit [17]), et pro nunc, sicut et in futurum 4 Sacerdotes ibidem propter devotionem specialem in D. Virginem miraculosam degunt, qui quotidie praeter administrationem Sacramentorum (quia Ecclesia Parochialis est) in choro Divinum officium persolvunt, indulgentias pro Dominica infra Octavam (p. 4) S. Norberti omnibus Monasteriorum Ecclesiis con-

[12]) Abbas Steinfeldensis diu ius paternitatis exercuit in abbatiam S. Vincentii Wratislaviensis.

[13]) Siardus Falco. Vide n. 3.

[14]) Fredericus Sedlecius. Vide n. 4.

[15]) Norbertus Pleyer. Iuxta N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 299, abbas fuit annis 1660-1679. Actis Capituli Provincialis anni 1659, qua Abbas, subscripsit tamen. Vide p. 96.

[16]) Godefridus Olenius. Vide n. 8.

[17]) Monasterium Kyritemense (Kyritein; Krtiny), situm non longe a civitate Olomucensi, in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. L. HUGO, *Annales*, II, col. 13; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 327. Backmund, l. c., asserit moniales numquam ibi residentiam habuisse, Capitulum Provinciale Provinciae, ad quod monasterium pertinuit, aliam hoc loco de hac re opinionem proferre videtur.

cessas, similiter participet ? In quam quaestionem etiam aliae remotiores Parochiales Ecclesiae Monasteriis Ordinis incorporatae tractae sunt. Responsum est declarationem desuper petendam esse a Reverendissimo Capitulo Generali.

In hac Sessione propositum fuit quosdam Professos Geracenses [18]) discolos Viennae in Urbe residentiae Caesareae non sine scandalo sub praetextu obtentae sui D. Abbatis licentiae vagari. Commissum est D. Syloënsi [19]) tanquam Geracensi Patri Abbati, iubeat D. Geracensem Religiosos suos ad Conventum revocare, et post hac sine expresso sui Patris Abbatis consensu nullum dimittere, ac insuper monetur a toto Capitulo praefatus D. Geracensis, ut Officium in quoscunque discolos animadvertendi a Capitulo Provinciali A° 1659 Plagae celebrato sibi impositum [20]) sollicite peragat. Ut porro idem in aliis Provinciis vigilantius observetur, pro Moravia Dnus Zabrdovicensis [21]) in priori Officio confirmetur, pro Bohemia vero D. Strahovienis [22]) noviter deputatus est.

Quaesitum a Praepositis Monialium, an in Monasteriis Virginum servari debeant Processiones ordinariae ? Capitulum censuit a Virginibus in Choro suo Asperges cantari debere, reliqua omitti posse.

Sessio 4ta.

Celebrata 28 Iulii, post meridiem.

Implorata iterum Stmi Spiritus assistentia, P. Maximilianus Prior Strahoviensis Amplo Capitulo humiliter supplicavit, ne in Capitulo Provinciali A° 1665 Lucae celebrato ratione 4 punctorum Sess. 8 expressorum contradictionis nota signetur, cum pro tunc quantum in se libenter annuerit, sicut de facto ibidem positis punctis.

Deinde quaesitum est ab aliquibus, an ad Parochias, quarum Monasteria ius Patronatus praesentandi habent, Seculares Sacerdotes admitti debeant ? Responsum est privilegia Ordinis diligentius inspicienda, et si quae Monasteria specialia documenta habeant, pro defensione aliis communicent.

[18]) Abbatia Gerusena (Geras), in Austria Inferiori.
[19]) Siardus Falco. Vide n. 3.
[20]) De hac re in Actis, supra relatis et editis, nihil edicitur.
[21]) Godefridus Olenius. Vide n. 8.
[22]) Hieronymus von Hirnheim. Vide n. 11.

Petitum a quibusdam praesertim Monialium Superioribus Statuta, et Sacram Regulam in Linguam vernaculam transferri, typisque mandari. Pro quo labore requiritur D. Strahoviensis, qui etiam per se, vel per idoneos facturus speratur.

(p. 5) Lecta est etiam Supplica P. Rectoris Collegii S. Norberti Pragae, in qua praecedentia ante Suppriorem Strahoviensem petitur. Visum est Capitulo Provinciali Rectorem Collegii Pragensis ratione praecedentiae ita se habere debere respectu Supprioris Strahoviensis, sicut se habet Prior Collegii Coloniensis respectu Supprioris Steinfeldensis.

Demum conquestus est P. Prior Geracensis Procuratorio nomine Sui Domini Abbatis [23]) contra D. Praepositum et Conventum Pernecensem [24]), qui se a Iure Paternitatis, quod Geracenses in Pernecenses habere praetendunt, subtrahere conantur. Quia vero P. Prior Pernecensis sui D. Praelati Procurator hac in causa non sufficienter sit instructus, nec aliunde informatus, rogavit hoc iam pridem controversum negotium differri, et documenta Geracensium sibi et Pernecensibus communicari ; Cui petitioni tanquam iustae Capitulum annuit, negotium differri, et interim documenta communicari mandavit. Quod si vero in aliis D. Geracensis Pernecensibus foret onerosus vel iniuriosus, tunc D. Syloënsis [25]) tanquam Pater Abbas Geracensis authoritate sua Paterna mederi non intermittet.

Sessio 5ta.

Celebrata 29 Iulii, ante meridiem.

Invocata denuo Spiritus Sti gratia, proposuit P. Prior Teplensis nomine sui D. Praelati [26]) difficultatem in puncto pecuniae salis [27]) a Sacra Caesarea Maiestate vigore transactionis inter Urbanum VIII et Ferdinandum II quotannis pro Teplensibus et Chotiescoviensibus pendi solitae ad alendos eorum Fratres in Seminario S. Norberti,

[23]) Joannes Westhaus, abbas annis 1650-1674. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 291.

[24]) Pernecium (Pernegg) prope abbatiam Gerusenam. Praepositus anno 1670 erat Nicolaus Meister (praepositus annis 1657-1677).

[25]) Siardus Falco. Vide n. 3.

[26]) Raymundus Wilfert, abbas inde ab anno 1658. Obiit die 24 Septembris 1670. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 941 ; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 317.

[27]) Hac ratione designatur summa quaedam, quotannis ad modum contributionis annuae, solvenda.

et dixit, quod D. Vincentius piae memoriae Abbas Strahoviensis [28]) pro dicta pecunia 666 sexagenarum, recusaverit per annum alere plures Fratres quam 4. nec voluerit residua converti in utilitates Monasterii Teplensis. Respondit Capitulum D. Teplensem charitative debere agere cum moderno D. Strahoviensi [29]), qui utique tanquam vir Doctus et prudens iustitiam non denegabit.

Similiter nomine Parochorum aliam movit difficultatem R. P. Aloysius circa beneficia saecularia curata, a quorum impetratione et administratione Celsissimus Principes Archiepiscopus Pragensis Sacerdotes Praemonstratenses simpliciter excludit ? Resolvit Capitulum desuper requirendum esse per Litteras D. Archiepiscopum, ut nostros (attento quod Fratres Ordinis nostri Praemonstratensis sicut in omnibus Sac. Caes. Maiestatis Regnis, ita speciatim in Archidiocesi Pragensi plurimos ab haeresi ad gremium Catholicae Ecclesiae Catholicae reduxerint) eiusmodi beneficia iuxta privilegium Clementis V ipsis Litteris Capitulariter adiiciendum obtinere permittat.

Denique serio monentur Superiores Conventuum invigilent Patribus, ne scribant Litteras, defectus aliorum, praesertim Superiorum concernentes, deprehensi, iuxta exigentiam delicti puniantur.

Sessio 6ta et ultima.

Habita 30 Iulii, ante meridiem.

Invocata uti semper Spiritus Sti gratia, Rmus Dnus Vicarius Generalis gravi adhortatione facta sibi de obedientia PP. Provinciae plurimum complacuit, et ut Spiritus Norbertini memores viam mandatorum Dei iuxta Regulam et Statutorum praescripta decurrant, et quae Capitulo praesenti decreta sunt, postquam a Rmo Dno P. approbata fuerint, strictissime observent, quibus omnibus humiliter, et reverentialiter inclinarunt.

Lecta demum per P. Secretarium et publicata sunt acta et decreta Capituli, et ab omnibus Comprovincialibus subscripta atque sigillata Gradicii in Loco Capitulari die 30. Iulii A° 1670. Sic signatum in originali.

P. Matthaeus [30]) Abbas S. Vincentii Vicarius Generalis. P. Siar-

[28]) Vincentius Frank, qui obierat 22 Novembris 1669. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 931.

[29]) Hirnheim. Vide n. 11.

[30]) Matthaeus Paul. Vide n. 1.

dus [31]) Abbas Syloensis, etiam nomine Rmi D. Gradicensis. P. Fridericus [32]) Abbas Lucensis. P. Godefridus [33]) Abbas Zaberdovicensis. P. Michaël [34]) Praepositus Chotiesoviensis. P. Matthaeus [35]) Praepositus Neoreischensis. P. Aloysius Hackenschmidt Canonicus Teplensis Provincialis Capituli Secretarius. P. Maximilianus Böhmert Prior Strahoviensis. P. Milo Strobel Prior monasterii Syloënsis. P. Daniel Kurck Prior Gradicensis. P. Godefridus Czelechovsky ad S. Vincentium Prior, SS. Theologiae Doctor. P. Thomas Lang Prior Teplensis. P. Benedictus Paucker Prior Geracensis. P. Franciscus Schällinger Prior (p. 7) Pernecensis. P. Norbertus Janschi Supprior Lucensis SStae Theologiae Baccalaureus, et Theologiae profesor. P. Engelbertus Nova Praeses Neoreisosensis. P. Norbertus Kleibel Parochus et Praeses Kyritemensis. P. Augustinus Rupertus Praepositi Doxanensis Procurator. P. Fredericus Schiel Provisor Pernecensis.

Michael Colbert Dei et Apostolicae Sedis gratia Praemonstrati Abbas, eiusdemque Ordinis Caput et Generalis, Regi a Sanctioribus Consiliis etc: Universis et singulis praedictarum Boëmiae, Moraviae, Austriae, Silesiae, Poloniae, etc. Circariarum Ordinis nostris praefati DD. Abbatibus, Praepositis, et aliis, quovis nomine nuncupentur, utriusque sexus Personis salutem et benedictionem. Capituli vestri Provincialis in nostra Gradicensi Regia prope Olmutium Ecclesia Iulii mensis ultimo praeteriti die 27 tribusque consequentibus Deo Optimo Maximo Auspice ac largiente celebrati, Acta seu Decreta per nostrum in dictis Circariis Vicarium Generalem pro Confirmatione ad Nos transmissa, vidimus, legimus, discussimus, nec non cum Statutis nostris communibus, Capitulorumque Generalium nostrorum editis diligenter contulimus, eaque tandem, prout iacent, paucis lineis per nos expunctis approbanda, confirmanda, et ab omnibus Ordinem nostrum praefatum dictis in Circariis professis observanda esse censuimus, ac per praesentes approbamus, confirmamus, et observari praecipimus. Ad 3^{tium} vero 3^{tiae} sessionis articulum, quo videlicet quaesitum est, an Ecclesia Kyrite-

[31]) Siardus Falco. Vide n. 3.
[32]) Fredericus Sedlecius. Vide n. 4.
[33]) Fodefridus Olenius. Vide n. 8.
[34]) Michael Kastle. Vide n. 5.
[35]) Matthaeus Sebastansky. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 304.

mensis, aliaeque Ordinis nostri Parochiales Ecclesiae in indulgentiis ad diem Dominicam infra Octavam Ssmi Patris nostri concessis participent ? Respondemus eas solas intelligi, quae Conventuales sunt, non autem tantum Parochiales ; mandantes (p. 8) praefato nostro in dictis Circariis Generali Vicario, ut supradicta Decreta Capitularia a nobis, ut praemissum est, approbata et confirmata, per Secretarium nostrum ex eorum autographo — quod apud nos pro more retinuimus — fideliter exscripta, ubi primum ea receperit in omnibus et singulis dictarum Circariarum nostrarum Ecclesiis publicet seu promulget, eademque ab omnibus, ad quos spectat, sub poenis Iuris Statutorumque nostrorum observari faciat. Datum Praemonstrati die 30 Novembris A° gratiae 1670, in quorum fidem praesentes manu nostra et Secretarii nostri subscriptas, sigilli nostri in Cera rubra impressione fecimus communiri.

(L. S.) P. Michaël Colbert,
Abbas Praemonstratensis et Generalis.

Concordare cum authentico Praemonstrato transmisso sigilli Vicariatus appressione et propriae manus subscriptione testor.

(L. S.) De mandato Illmi et Rmi Domini mei
D. Abbatis Praemonstratensis Generalis.
P. Franciscus Buyrette.

P. Mattheus Abbas ad S. Vincentium Vic. Generalis.

7

Capitulum Provinciale celebratum in monasterio Zabrdoviensi anno 1677

CAPITULUM PROVINCIALE Revermorum Amplissimorum DD. Abbatum et Praepositorum Adm. RR. ac Venerabilium PP. Priorum, aliorumque Canonicorum Capitulorum Circariae Bohemiae, et incorporatarum Provinciarum Candidissimi Ordinis Praemonstratensis.

Ad Indictionem

Revermi ac Amplssimi D. D. Hieronymi Hirnhaim [1]) dicti Ordinis per Bohemiam, Moraviam et Silesiam Vicarii Generalis et Visitatoris Ecclesiae Strahoviensis Pragae in Monte Sion Abbatis, SSae Theologiae Doctoris, etc.

In celeberrimo Monasterio Zabrdovicensi [2]) 12 Septembris, et sequentibus diebus canonice celebratum. A° 1677.

(p. 3) Cum religiosae cuiuscumque Reipublicae plurimum interesse noscatur, imo pro eius conservatione et incremento necessariorum omnino videatur eius membra, tum Generaliter, tum Provincialiter certis annorum interstitiis congregari, deque communi Ordinis bono ac honore promovendo inter se mutuo conferre et

[1]) Hieronymus von Hirnhaim (Hirnheim), electus abbas die 14 Januarii 1670. Postea Vicarius Generalis. Obiit 27 Augusti 1679. « Diversa eruditionis monumenta transmisit posteris. Vicarius Generalis effectus diffudit per sui Vicariatus Provincias, studii amorem, et cultum Sanctissimi Patris Norberti propagavit, eiusque festum per modum duplicis celebrari obtinuit a Romano Pontifice in universali Ecclesia. Humilitatem fratribus testamento legavit ». Ita C. L. HUGO, *Annales...*, II, col. 932; L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, I, 1897, p. 389 s., II, 1903, p. 199 s.; E. WINTER, *Hieronymus Hirnhaim, O. Praem. Ein Religionsphilosoph im Barock*, in *An. Praem.*, XIII, 1937, pp. 127-132.

[2]) Zabrdovicium seu Zabrdovice, in hodierna Tchecko-Slovakia. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1177-1182; N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, I, 318-320.

consultare ; auxilium specialiter adpromissum est, pluribus in nomine Domini adunatis in consilio et congregatione ; hinc Statuta Sacri Ordinis Praemonstratensis Concilii Tridentini Decreto ss. 24 de Reform. c. 2, insistentia saluberrime praecipiunt D. 4, cap. 9, § 1 : Ut saltem trienniis, Capitula Provincialia a Vicariis per singulas Ordinis Circarias instituantur. Cui Decreto volens obsequi Rmus et Amplmus DD. Hieronymus Hirnhaim Abbas Strahoviensis, septennio post ultimi Capituli Provincialis celebrationem iam evoluto, RRmis et Amplismis DD. Bohemiae, Austriae, Moraviae, ac Silesiae Praelatis, Abbatibus et Praepositis, Prioribus, Praesidibus, et Curatis, Authoritate et Revermi ac Illmi D. D. Praemonstratensis, sibi tamquam Vicario post mortem Rmi D. Matthaei Paul [3]), non tantum Generaliter, sed etiam specialiter ad hoc commissa, seu delegata, tertio sui Vicariatus anno Capitulum Provinciale in celeberrimo Zaberdovicensi ad Brunam Moraviae Coenobio, 17 Septembris ritu in Statutis praescripto, celebrandum indixit: Ad quod Rmi et Amplmi DD. Praelati, postpositis tantisper domesticis negotiis et occupationibus, boni communis et mutuae haereditatis ac salutationis causa, se unanimiter contulerunt, et die praefinita solitis cum coeremoniis, praecedente Venerabili Zaberdovicensium Conventu Ecclesiam sunt ingressi. Summa Missa per Rmum D. Vicarium Generalem decantata, omnes ad locum celebrandi Capituli processerunt ; ubi denuo per solemnem hymni cantum (p. 4) implorata Divini Numinis assistentia, dictoque Benedicite, consederunt, atque a Rmo D. Zabrdovicensis per Patrem Martinum Vigsium, Priorem domesticum facunde ac honorifice salutati sunt. Quam salutationem subsecuta fuit gravis adhortatio facta per Rmum D. Vicarium Generalem [4]), in qua is potissimum unitatis et charitatis, pacis et concordiae praerogativam extulit ; deinde punctorum in Capitulo Provinciali tractandorum seriem ita digessit, ut ordine per Concilium Tridentinum insinuato, primo ageretur de moderandis Moribus ad Regularium Constitutionum uniformem observantiam Circariae inducendam. 2° De corrigendis excessibus ad pravos ac perversos condigne plectendos, omnemque impietatis labem ab Ordine procul

[3]) Matthaeus Paul, abbas Lucensis annis 1655-1665; deinde abbas S. Vincentii Wratislaviensis usque ad annum 1672. Cfr. L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vincenzstiftes*, in *An. Praem.*, XXVII, 1951, pag. spec., p. 149 s.

[4]) Hieronymus Hirnhaim. Vide n. 1.

arcendum. 3° De Controversiis componendis, ad pacem et concordiam inter DD. Comprovinciales procurandam et stabiliendam.

Sessio 1ma

12a Septembris ante meridiem celebrata.

Exhortatione finita, coepta sunt Capituli praeliminaria.

1° Cum nonnullae inter quosdam Dmos DD. Praelatos motae fuissent circa praecedentiam Controversiae, maxime inter Rmos Dnum Pernecensem [5]), et DD. Doxanensem [6]) et Chotieschoviensem [7]) Praepositos, pronunciavit amplissimum Capitulum ad eiusmodi controversiarum diremptionem senioritatis Monasteriorum primario habendam esse rationem, tum etiam possessionis aliquo Iuris titulo fundatae. Interim declaratum est, nullum Rmo D. Pernecensi, qui praefatis DD. Praepositis pro hac vice intra et extra Capitulum cessit, ea cessione gignendam esse praeiudicium, si de allegata Monasterii sui antiquitate, quam etiam respectu suorum Monasteriorum dicti RR. DD. Praepositi praetendebant, legitime docere posset. Promisit etiam Rmus D. Vincentius [8]) se demonstraturum Ecclesiam S. Vincentii ante fundationem Teplensis Monasterii ad Ordinem accessisse, quam ob causam (p. 5) Rmus D. Teplensis [9]) eidem interea in Sessione cessit.

2° Perlecta fuit in Capitulo specialis licentia Rmi et Illmi DD. Generalis [10]), pro indicendo Provinciali Capitulo missa Rmo D. Vicario Generalis.

3° Idem Rmus D. Vicarius praeliminarem quandam difficultatem movit ratione obedientiae Rmo Provinciali Capitulo ab ipso praestandae eo quod simile quid Vicario Generali Rmi D. Prae-

[5]) Pernecium, seu Pernegg, nunc in Austria inferiori.

[6]) Doxan, seu Doksany, in hodierna Tchecho-Slovakia.

[7]) Chotieschovium, seu Cotischovium, seu Chotesov, in hodierna Tchecho-Slovakia.

[8]) Agitur de abbatia S. Vincentii Wratislaviensis (Breslau). Quodammodo disputatur de anno quo Praemonstratenses hoc monasterium, antea a monachis O. S. B. possessum, occuparint. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1105; L. Santifaller, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vincenzstiftes*, in *An. Praem.*, XXVI, 1950, pag. spec., p. 74-76.

[9]) Abbas canoniae Teplensis tunc erat Fredericus Uhl (abbas annis 1670-1682). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 947; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 317.

[10]) Michael Colbert, abbas Praemonstratensis et Caput Ordinis, annis 1670-1702.

monstratensis, personam ipsius in Capitulo repraesentanti, non videretur congruere nec praescripta Generalium Capitulorum, cuiusmodi est constitutio de Obedientia iisdem Capitulis a Rmo D. Generali praestanda indiscriminatim, sed solummodo *in quantum congruum est* Provincialibus Capitulis debere aptari: Nihilominus totius huiusce difficultatis ad interim decisionem Rmus D. Vicarius RR. DD. Comprovincialium iudicio submisit, qui omnino iudicaverunt Capitulo Provinciali obedientiam ab ipso esse promittendam, usque dum a Rmo D. Praemonstratensi, vel Capitulo Generali, quid in casu simili deinceps agendum sit, resolvatur. Moti vel maxime Vicariorum antecedentium exemplis, quos notum erat Provincialibus Capitulis obedientiam praestitisse. Adeoque Rmus D. Vicarius Generalis ad praecidendam cuiuscumque dissensionis ac offensionis materiam Rmo atque Amplissimo Capitulo Provinciali obedientiam ac reverentiam in manibus D. Siloënsis [11]) promisit, postquam illud a Rmo D. Praemonstratensi vel Capitulo Generali fuerit approbatum. Cui vicissim uti et Provinciali Capitulo, Rmi DD. Gradicensis [12]), Vincentinus [13]), Teplensis [14]), Geracensis [15]), Doxanensis [16]), Pernecensis [17]), et Czarnovacensis [18]), obedientiam ac reverentiam promiserunt.

4° Visum est magis congruum, ut omnes Rmi DD. Praelati agerent in Capitulis dubiorum, seu Controversiarum occurrentium Definitores. In Secretarium assumptus est R. P. Hiacynthus Hohman Ecclesiae Strahoviensis Professus et Canonisticae Theologiae in Archiepiscopali Seminario Pragensi Ordinarius Professor [19]). Pro No-

[11]) Siardus Falco, abbas annis 1661-1677. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323.

[12]) Abbas Gradicensis (Gradicium; Hradisch, Hradisko) tunc erat Alexius Worstius, abbas annis 1671-1679. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 757; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294.

[13]) Abbas S. Vincentii Wratislaviensis tunc erat Andreas Gebel, abbas annis 1673-1686. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, vol. 1115; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 337.

[14]) Fredericus Uhl. Vide n. 9.

[15]) Fredericus Urtica, abbas annis 1674-1693. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 291.

[16]) Stephanus Kielmann, praepositus annis 1670-1678. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I ,col. 641; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 289.

[17]) Nicolaus Meister, praepositus annis 1657-1677. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 307.

[18]) Balthasar de Gerbert, praepositus usque ad annum 1695. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 591 s.

[19]) Hyacinthus Hohman, postea (inde ab anno 1679) abbas Strahoviensis, Iuris

tariis deputati sunt Rdus Pater Mathias Lenck Prior Teplensis. P. Nicolaus Javorniczius, Ecclesiae Strahovensis Professus, et Sanctimonalium Doxanensium Confessarius. P. Carolus Mitis, Professus Siloënsis [20]), Curatus Bozegoviensis, qui omnes in manibus Rmi D. Vicarii fidelitatem, ac Secretorum tenacitatem Capitulo promiserunt.

(p. 4) 5° Post haec absentiam RR. DD. Praelatorum mentione facta, Pater Michael Supprior Monasterii Plagensis, a suo Rmo D. Praelato et Conventu [21]) titulo Procuratoris ad Capitulum destinatus. Revmi vero Neoreuschensis absentiam Rmus D. Zabrdovicensis oretenus excusavit, quorum excusationes tamquam legitimae sunt in Capitulo Provinciali acceptatae.

6° Duo ex Dominis DD. Praelatis, Siloënsis videlicet et Gradicensis, communibus votis deputati sunt ad acta Capituli, postquam in scriptum redacta fuerint, revidenda et examinanda.

Sessio 2ª

Eodem die post meridiem celebrata.

Initio huius Sessionis perlecta sunt Rmi Dni Abbatis Chebdoviensis [21]) litterae, quibus supplicavit Monasterium suum ab hoc nostra Circaria cum reliquis Poloniae Coenobiis segregatum, eidem Circariae reuniri. Cui petitioni Amplmm. Capitulum minime annuit, tum quod excedere videretur potestatem Capituli Provincialis huiusmodi unionem decernere, tum etiam, quod allatae essent diversi generis querelae a Domino Chebdoviensi contra Vicarium suum. Proinde Ampliss. Capitulum consultius iudicavit, odioso huic ac litigioso negotio sese nullatenus immiscere. Suasum nihilominus fuit nomine Capituli dicto Dno Chebdoviensi (ad quem hac de causa litterae sunt expediri iussae) desiderium suum Rmo Dno Generali supplex exponeret, ad effectum petitionis suae ibidem fortasse consequendum.

Canonici Lector. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, I, p. 392. Scribit de ipso E. WINTER, in *An. Praem.*, XIII, 1937, p. 128: « Prälat Hirnhaim ist eines der ersten der das Kirchenrecht als eigene theologische Disziplin unterrichten lässt und eine Lehrkanzel für Kirchenrecht einrichtet, die sein Ordensbruder und Mitarbeiter Hohmann mit grossem Geschick verwaltet ».

[20]) Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., I, p. 596.

[21]) Chebdow (seu Hebdow), Hebdovicium, in Polonia. Abbas tunc erat Ioannes Laurentius Swerski vel Sierski (ita C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 807), vel Szierski (ita N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 340); abbas fuit annis 1673-1691.

His resolutis mota est quaestio quaenam Capitula Provincialia hucusque in Circaria nostra celebrata, confirmatione Rmi Domini Generalis roborata sint ? Respondens Rmus Dominus Abbas Vincentinus [22]) Rmi Domini Vicarii p. m. Matthaei Paul [23]) in Abbatiali munere successor, exhibito Capitulorum Provincialium Praemonstrati in Bohemiam remissorum registro, duo tantum videlicet ultimum anni 1670 [24]), Gradicii penultimum 1665 [25]) Lucae celebratum a Rmo Domino Generali confirmatum (p. 7) fuisse ostendit. Reliqua vero cum Confirmationis robore carerent, summatim pervoluta fuerunt, ut ex iis puncta quaedam seligerentur, quae omnibus Comprovincialibus imposterum essent observanda. Fuerunt autem puncta sequentia.

Ex Capitulo Provinciali A° 1641 Pragae in Sionaeo celebrato.

Conclusio 15. In Triplicium Vigiliis Matutinae hora septima habeantur, Paschalibus et Natalitiis festis exceptis. Etiam Concionatores Triplicibus Matutinis interesse teneantur.

Conclusio 17a. Priores Monasteriorum Brevia Defunctorum sibi allata Parochis extra Conventum degentibus intimare debent.

Conclusio 18. Statutum Ordinarii c. 95, n. 15. Ut quando Abbates Praemonstrato, post Generale Capitulum ad sua loca redierint, duo generalia servitia in omnibus Monasteriis Ordinis celebrentur, primum pro omnibus Abbatibus et Fundatoribus. Secundum pro fratribus et sororibus, etiam post Capitula Provincialia iubetur observari.

Conclusio 28. Ordinarii Concionatores qui hoc munus in Civitatibus obeunt, totum tempus feriae 6 excepto Capitulo (nisi sit festum duplex) uti et Sabbathi, cuius Vesperis tamen intersint, pro studio sibi habeant assignatum ? Nocte diem concionis praecedente ad Matutinas surgere non obligantur. Quod si Superiores suos rogaverint, ut et sequenti nocte quiescant, facile denegandum non est. A lectione Mensae iidem declarantur exempti, nisi tamen paucitas fratrum obstet [26]).

[22]) Andreas Gebel. Vide n. 13.

[23]) Vide de abbate Paul n. 3.

[24]) Acta huius Capituli, addita approbatione abbatis generalis Colbert, vide supra pp. 98-106.

[25]) Acta huius Capituli anni 1665 hucusque nobis nota non sunt.

[26]) Conclusiones hae Capituli provincialis anni 1641 insertae sunt Actis huius Capituli publicatis supra, pp. 9-34.

Ex Capitulo A° 1644 in Plagensi celebrato.

Conclusio 10a. Statuta et Ordinarius per omnia iubentur pro possibili observari. Prohibetur quoque omnis quoad habitum mittrellas, pileos, chirothecas, et calceamenta, singularitas et curiositas. Cingula iubentur ex eadem fieri materia, cuius est habitus.

Conclusio 15. Mortuo Praelato Circariae non domestico legi debent Vigiliae cum (p. 8) 9. Lectionibus, Sacrum quoque Cantatum celebrari cum media Commendatione et una disciplina. A singulis autem Sacerdotibus duae Missae a fratribus, et Sororibus bis 7. Psalmi poenitentiales, a Conversis 100 Pater et Ave persolvi, uti et Trigesimum celebrari cum media commendatione. Pro Fratre autem externo vel Sorore Vigiliae cum 9. lect. Media Commendatio, Solenne Sacrum cum una disciplina, una Missa a singulis Sacerdotibus ; a fratribus et sororibus, semel septem Psalmi poenitentiales, a Conversis 50 Pater et Ave. Si plures supervenerint obitus, in officio uno possunt includi.

Conclusio 42. Matutinae in Triplicibus 1ae classis cantari debent totae. In Triplicibus 2ae classis, Invitatorium cum Hymno et Canticum Te Deum laudamus, cum Laudibus. In Triplicibus 3ae classis solummodo Te Deum laudamus cum Laudibus.

Conclusio 43a. Non nisi in Maioribus Festivitatibus, diebus festivis et Dominicis Missae maior a fratribus cum Musicalibus instrumentis celebrari potest. Sic tamen ut alii in stallis suis perseverent. Concionem etiam omnes Musici in stallis suis devote audiant.

Conclusio 52da. Unanimiter resolutum est, ut post prandium absolutum, Nonam seu gratias, omnes una properent ad cellas, mansuri ibidem, donec a Priore, seu praeside Conventus per pulsum campanae evocentur ad Conversationem, quae sit religiosa, modesta, neque in recreationes mutetur. Hora Conversationis elapsa, per pulsum campanae Dormitorii Pater Prior seu Praeses Conventus, omnes ad Oratorium, seu locum ad id determinatum convocet, ibidemque per Orationem Psalmi De profundis cum versu et Collecta pro Benefactoribus conversationem terminet, Fratribus ad suas occupationes, sive ad alias obedientias dimissis.

Conclusio 53a. Pro impertiendis Ordinis nostri Confraternitatibus iubetur fieri una formula communis, quae repetitis Exemplaribus imprimatur, ac per D. Vicarium Generalem sigilletur, et subscribatur. Distribuaturque per singula Monasteria, quae deinde pro

discretione cuiuslibet Praelati petentibus communicari possunt [27]).

Ex Capitulo A° 1667 Strahoviae celebrato [28]).

(p. 9) Sessione 6ta decisum, ut Religiosus pro Secretario in Visitationibus assumptus, coram quavis Communitate, quae visitatur, Iuramentum fidelitatis et silentii deponat.

His Capitulis pervolutis et annotatis, quaesitum fuit, an Statuta Capituli Generalis obligarent, etiam ante eorum approbationem et confirmationem tertio Generali Capitulo factam ? Responsum fuit ea, licet nondum sortiantur rationem strictae legis, quae debet esse perpetua, nihilominus esse per Provinciam observanda.

Tandem facta mentione Brevium, quibus Fratrum defunctorum obitus Circariae Monasteriis nuntiantur, omnibus ac deinceps observari mandatum, ut pro refrigerio Defunctis accelerando, Brevia illa non sint longa, atque vana, utque ad singula Circariae Monasteria sigillatim per postam quam celerrime dirigantur.

Sessio 3ª

Die 13ª Septembris ante meridiem celebrata.

1° Diversis contra Ordinis Breviaria recentissime Parisiis impressa querelis propositis, quod rubri coloris interstinctione careant, quod erroribus quam plurimis scateant, quorum pene sexcenti ex Breviario extracti, et in chartam coniecti Capitulariter exhibeantur: Censuit Amplm. Provinciale Capitulum Generale submissis precibus esse rogandum, ut saltem deinceps ad praecavendam orantium confusionem et fastidium, et Extraneorum quandoque ea introspicientium declinandam censuram, a Correctoribus ad eiusmodi revidenda constitutis diligentia et industria maior adhibeatur et rubricae colore solito, a textu distinguantur [29]).

[27]) Conclusiones hae Capituli anni 1644 insertae sunt Actis dicti Capituli publicatis supra. Vide pp. 35-37.

[28]) Acta Capituli anni 1667, Strahoviae celebrati, non habentur in collectario quod in hac editione publicamus.

[29]) Editio Breviarii, cuius defectus a Capitulo isto non reticentur, est ista: *Breviarium ad usum sacri et canonici Ordinis Praemonstratensis, Rmi in Christo Patris Mich. Colbert, abb. Praemonstratensis, totius Ordinis generalis eiusdemque Capituli authoritate novissime correctum et emendatum*, Parisiis, F. Leonard, 1675, 2 voll. (juxta L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, IV, p. 235). Iuxta decisionem Capituli generalis anni 1670, sess. 4ª, editio ista Breviarii pluribus Abbatibus curanda commissa erat. Ita edixerat Capitulum generali anni 1670: « *Capitulum providere*

Propositum quoque fuit magnum intra Provinciam Missalium notari defectum, quem novorum impressione sublevari, omnes rogandum esse censuerunt, uti et promissam Antiphonariorum, aliorumque librorum Choro servientium impressionem maturari.

2^do^ Quaesitum fuit utrum omnia festa, quae de praecepto statuuntur a Summis Pontificibus, etiam Praemonstratensibus, quos alioquin Romani Breviarii leges non obstringant, sunt observanda ? Qua super re nihil fuit Capitulariter decisum, sed visum consultius Rmi ac Illmi Domini (p. 10) Praemonstratensis aut Capituli Generalis iudicium ac sententiam desuper praestolari.

3° Conclusum fuit ut Festa Beatorum Ordinis ad calcem Breviariorum novissime Parisiis impressorum, statis diebus ritu praescripto celebrentur, uti et Festum Beatorum Martyrum Gorcomiensium 9^a^ Iulii ritu Maioris Duplicis.

4° Diversa dubia mota sunt circa Breviarii supplementum hucusque in Circaria usitatum, et festa eidem inserta. Resolvit Capitulum unanimi consensu, ut interim libellus Breviarii suppletivus observetur, nec ulla in Festis variatio admittatur, quousque responsum ad Capituli quaesita Praemonstrato adveniat, quo accepto, denuo auctior et correctior imprimi possit.

5° Rituale nuper impressum Rmi DD. Praelati collaudarunt, tonum vero lectionis sive cantus in eodem praescriptum, utpote Provinciis Circariae hactenus inusitatum, ac peregrinum, populoque insuetum iudicarunt usibus non esse tradendum, sed Reverendis. et Illmi Domini Praemonstratensis dispensativam potestatem implorandam, ut tono suo veteri, qui et auribus gratiae, et populo est acceptior, in Choralibus exercitiis, etiam deinceps uti possint [30]).

6° Decisum fuit ut Confraternitates totam Circariam obligantes a Domino Vicario Generali petentibus concedantur, mortuo autem

volens necessitati Breviariorum maioris formae, quorum exemplaria desunt apud Typographos, ne mendosa prodeant, sed tersi et nitidi characteris, ac melioris quam alias chartae, deputavit Dominos Abbates St. Michaelis Antverpiensis, Parchensem, Marchtallensem, Saynensem, Dommartinensem, Stivagiensem et Patrem Priorem Collegii Coloniensis, qui agent de pretio et vectura ad partes remotiores cum Domino Leonardo Ordinis Typographo, et nomine Capituli convenient, hoc adiecto quod privilegium non renovabitur in posterum alicuius Typographi, absque consilio et consensu Capituli ». Ita in ms. Nancy 1767, 331 b.

[30]) Rituale de quo hic agitur editum fuit Parisiis, apud Fr. Leonard, anno 1676. Auctoritate Abbatis Generalis Colbert et Capituli Generalis (cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains...*, IV, p. 294). In descriptione huius ritualis addit L. Goovaerts, l. c.: « Ça et là, musique notée ».

quocunque saeculari vel ecclesiastico, qui Ordinis Confraternitate gaudebat, opus non esse, ut tantum pro eius refrigerio, de Mortualibus obsequiis praestetur per singula Circariae Monasteria, quantum pro fratre domestico, salva gratitudine Monasterii, quod Defunctus cum adhuc in vivis existeret, beneficentia sua reddiderit specialiter sibi obstrictum.

7° Praelectum fuit Breve intimatorium de Generali Ordinis Procuratore in Romana Curia nuper constituto, ac talliis eidem submittendis. Gratum omnes habuerunt, aliquem deinceps ordinario Procuratorio munere functurum, cuius opera in suis negotiis et expeditionibus Romae sollicitandis uti possint [31]). Deinde facta inquisitione, quantum de Taliis Circariae debeat ; deprehensum est, nonnisi pro tribus annis, incluso praesenti, contributiones restare. Iussae sunt quantotius colligi, et Romam per Cambium transmitti. Collector earum deputatus est Rdus Pater Martinus Vigsius, Prior Zaberdovicensis.

(p. 11) *Sessio 4ta*

Die 14ª Septembris ante Meridiem celebrata.

1° Multa circa praescriptas Ordinarii observantias et ritus chorales dubia mota sunt, brevibus autem resoluta. Statutum quoque generaliter, ut in Monasteriis sufficienti Religiosorum numero instructis, nisi rationabilis quaepiam causa obstiterit, horae omnes cum cantu persolvantur, et utique media Nocte officium Matutinale peragatur. Cum vero hactenus usitatum fuerit, horis duabus sibi invicem immediate succedentibus, unam solummodo cani, alteram recitari ; decisum est capitulariter Rmi ac Illmi D. Praemonstratensis dispositionem desuper esse requirendam, quam etiam facile impetrandam speravit, quandoquidem alias magna cum tarditate Divinum Officium in Circaria persolvitur, diversis quoque oneribus extraordinariis, quae Religiosis aliarum Ordinis Provinciarum non sunt communia, Circariae Monasteria pro pietatis maxime popularis augmento gravantur.

2° Cum in Generalibus Capitulis fuerit constitutum, ut Patres

[31]) Procurator Generalis Ordinis, ac insimul Praeses Collegii Ordinis in Urbe tunc erat Valerius Mundelaers, canonicus Tongerloensis, qui hoc munere functus est annis 1666-1671 et 1673-1683. Obiit Tongerloae 6 Augusti 1699. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I, p. 614.

Abbates, vel alii Electionum Praesides in Actibus Electionum duos sibi adhibeant Assistentes, Electoribus acceptabiles, iidem iudicaverunt RRmi DD. Comprovinciales in Visitationibus observandum, diffidentia inter Conventum et Visitatorem oborta, vel aliis gravioribus causis ex parte Monasteriorum occurrentibus, ubi tunc Visitator duos sibi Assistentes ex Rmis Circariae Praelatis pro actu Visitationis adiungere, et Conventui, utrum eidem futuri sunt acceptabiles, intimare teneatur.

3° Non infimum quidem motivum congregandi huiusce Capituli fuit negotium Rmi Domini Plagensis Freisleben [32]) quem Rmus Dnus Vicarius Amplissimo Capitulo quaedam exposuit. Verum quandoquidem a Patre Michaele, Monasterii Plagensis Suppriore ac Procuratore, pro certo affirmatum est, Dominum Plagensem Lincii sine ulla spe recuperandae valetudinis graviter aegrotare ; hinc Reverendissimum ac Amplissimum Capitulum censuit, odiosi huius negotii eiusdem Rmi Domini Plagensis famam tangentis examine supersedendum ; si autem valetudinem recuperare ipsum contingeret, spontaneam resignationem ipsi familiariter esse persuadendam ab uno vel altero Praelato (p. 12) erga quos maiori usus fuisset confidentia, ut sic Plagensi Ecclesiae in deteriora ruenti consulatur. Pro quo munere persuasorio deputati fuerunt Rmi DDni Lucensis et Geracensis.

Sessio 5ta

Eodem die post meridiem celebrata.

1° Relata fuerint Capitulo enormia quaedam flagitia a quibusdam Provinciae Religiosis commissa, quos insuper non solum contra

[32]) Franciscus Freisleben abbas fuit inde ab anno 1666. Plurimorum Capitulorum Provincialium antea munere secretarii functus erat. Abbas constitutus, « ad litteraturam magis quam ad oeconomiam natus, fausti parum regiminis dies complevit anno 1677 ». Ita C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 568. Paulo fusius de eo scribit L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I, p. 270: « Chose triste à dire, d'après les archives absolument authentiques, il ne répondit plus du tout aux espérances qu'il avait données jusqu'ici. En d'autres termes, il négligea presque tous les devoirs de sa haute charge. Aussi les visiteurs Matthieu Paul (14 juin 1669) et Jérôme Hirnheim (13 août 1672 et 24 août 1676) trouvèrent-ils énormément à critiquer. Le dernier insistait pour que Freisleben donnât sa démission, lorsque celui-ci mourut le 3 septembre 1677 ». Cfr. de ipso L. Goovaerts, l. c., p. 270 s.; L. Proell, *Gschichte des Prämonstratenserstiftes Schlägl im oberen Mühlviertel*, Linz, 1887, pp. 3-9; 278-280.

singulares Conventuum personas, sed etiam integrae Communitates gravia quaedam molitos, et ausos fuisse, partim evidenter constare, assertum est, partim transsumptionibus violentis fuit comprobatum.

Iudicavit Reverm. et Amplssim. Capitulum, tales perpetuum quidem carcerem nondum liquido promeritos, carcerali tamen ergastulo in finem declarandae iam fere notoriae ipsorum incorribilitatis includendos, per anni spatium pane et aqua sustentandos, quousque apud Reverm. et Illm. D. Praemonstratensem contra ipsos a Conventu conformiter secundum Statutorum praescripta procedatur. Ne alioquin non solum Monasteria eorumque personae, propter eiusmodi facinorosos in perpetuo sint periculo, sed etiam gravitatis et nequitiae seminio se per Circariae latus diffundente, Ordo universus harum partium gravem Dei vindictam et excidium aliquando incurrat.

2° Perlecta e Bulla Urbani VIII de incorrigibilibus cui Statutorum praescripta in hac materia noscuntur ad amussim conformia, fuitque Capitulariter declaratum, quomodo deinceps contra incorrigibiles sit procedendum ; Illos quoque, qui licet poenam pro gravibus delictis saepius iteratis impositam suscipiant, ipsam tamen se minime putant esse promeritos ; sed animo impatienti ac protervo eandem peragunt, pro incorrigibilibus esse habendos, cum vera correctio supponat agnitionem delicti.

3° Prohibitum fuit ne Religiosi nostrae Circariae deinceps a suis Praelatis obtineant litteras dimissoriales ad quaerenda sibi beneficia ; neque hinc inde per Provincias cum Ordinis Candidissimi dedecore circumvagari permittantur. Iussum quoque fuit, ut sic dimissi, quantocius ad sua Monasteria revocentur.

4° Cum gravia quaedam scandala non sine Religionis nostrae infamia per indecentem et probrosam conversationem religiosorum quorundam ex aliis Circariis adventantium contigisse noscantur ; Statutum fuit, (p. 13) ne similibus facile adhibeatur fides, nisi testimonialibus certis comprobent, se cum Superiorum licentia, expressis de causis, in Circariam venisse.

5° Constitutum est, ut licentia in tales erroneos ac vagabundos, sive de nostra, sive de quacunque extranea fuerint Circaria, inquirendi, et competenter etiam per carcerem animadvertendi facultas, quae determinatis solummodo Praelatis per modum obedientiae a Capitulis Provincialibus hucusque committebatur, omnibus deinceps authoritate Capituli maneat commissa.

Sessio 6ª

Die 15 Septembris ante meridiem celebrata.

1° Lectae fuerunt quorundam Circariae Religiosorum supplicationes stalli propter Apostasiam ablati, nec non vocis activae et passivae restitutionem petentium. Responsum fuit stalli quidem restitutionem Praelatorum potestatem non excedere, maxime, si fiat intercedente, vel saltem non dissentiente Conventu, quandoquidem in Statutis non legitur specialiter reservata ; Vocis autem restitutionem non modo Praelatorum quorumlibet in particulari, verum etiam Capituli Provincialis vires excedentem, Praemonstrato petere iussi sunt. Declaratum quoque fuit Bullam Clementis X. Apostatis quoad similia nullatenus fuisse patrocinatum, iisque tantum favisse, qui tempore Iubilaei ex motivo ipsius ad sua Monasteria fuerunt reversi.

2° Cum nulli hactenus in variis Circariae Monasteriis Praelatos suos molestare consueverint, ut sublevandae parentum inopiae causa, ad parochialia beneficia foras mitterentur, arbitrantes se ad tale sublevamen iuxta quorundam Authorum sententiam in conscientia esse obligatos ; hinc resolutum fuit Capitulariter, ne deinceps ad Sacrum Ordinem suscipiantur, quorum parentes constiterit magna premi victus inopia, ne tum filiorum ad parochias aspirantium, tum parentum aliorumque pauperum amicorum media sustentationis emendicantium frequentiam molestatione Conventus graventur. Nihilominus si qui melioris fortunae ad pauperum eiusmodi parentum alimentationem cautione sufficienti praestita se obligare voluerint, censuit Capitulum filios eorum, si bonis alioquin talentis a Deo fuerint dotati, ad Monasteria suscipi posse.

3° Plurimis iam annis inter Strahoviam et Siloäm graves intercessisse noscuntur controversiae, quae quidem per transactionem Neoreuschensem (p. 14) terminatae videbantur, postmodum vero acerbius recrudescere coeperunt ; Eas tandem Rmis DD. Ecclesiarum illarum Praelatis, eorumque Conventibus placuit finaliter componere amore pacis et charitatis. Fuit desuper in scripto redacta Transactio, qua Capitulariter perlectum omnes RRmi et Amplssmi DD. Circariae Praelati gaudentes placidarunt et approbarunt, eademque statim a RRmis DD. Strahoviensi ac Syloënsi, eorumque Prioribus in ipso Capitulari consessu subscripta fuit ac subsignata.

4° Tractatum fuit, an et quomodo Milovicium [33]) Ordini plene restitui possit, ubi Rmus Dnus Vicarius, utpote Milovicensis loci possessor Revermo ac Amplissmo Capitulo exposuit, Strahoviensibus multiplicem Iuris titulum etsi controversum, suppetere pro iusta Milovicii retentione. Lecta post hac Donatione Caesarea, qua item Milovicense traditum est a Caesare in manus Questembergii Caspari [34]) Abbatis Strahoviensis ac Visitatoris ; Idem Dominus Vicarius Rmis DD. Capitularibus repraesentavit, quantum suo Strahoviensi Monasterio sit ademptum cessione Monasterii Siloënsis ab Augustissimis Imperatoribus Rudolpho II. et Ferdinando II. Strahoviensi Monasterio in perpetuum incorporati ; Quod si tali modo Milovicium Strahoviensibus abstrahi deberet, vix plures quam 12. aut 15. religiosos Strahoviae ali posse. Quo audito RRmi ac Amplissmi DD. Praelati considerantes quod Ecclesia Strahoviensis plurimum in Circaria Ecclesiarum Mater, SSmi P. Norberti reliquiis decorata, totique Metropolitanae Bohemorum Triurbi conspicua, Fratrum numero, et subsidio facultatum augeri potius deberet, quam minui ; Iudicarunt in Domino Milovicense Monasterium Strahoviensibus prout hactenus esse relinquendum, usque dum aliorum mediorum accessu, ipsis aliunde fuerit sufficienter provisum ; hac nihilominus reiecta conditione, ut interim Religiosi 6. numero Milovicii semper alantur, qui horas consuetas in Ecclesia cum duabus Missis Ordinariis, Matura videlicet ac B. Virginis, ad intentionem Ordinis quotidie persolvant. Promisit etiam Rmus Dominus Strahoviensis suo et Conventus sui nomine, se mediis pro competenti sustentatione Strahoviensium aliunde suppetentibus, Ordini Sacro Milovicense quantocius resignaturus. Quaesitum pariter fuit, quibus mediis idem Milovicense Strahoviensi (p. 15) Monasterio in perpetuum possit incorporari ? Fuitque a Rmis DD. Praelatis suggestum, si Strahovienses Oppidum Mikolovicense cum tribus pagis Mikolonicense cum tribus pagis, Branicz, Gesron, et Lidmeritz cum omnibus eorum appertinentiis a Caunicensi Virginum quondam in Moravia Coenobio, nunc in ruderibus suis iacente, vix dimidio milliari dissitis,

[33]) Milovicium (Milovitium; Milevsko; Mühlhausen), in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 283-286; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 300-302.

[34]) Gaspar de Questenberg, abbas Strahoviensis, annis 1612-1640. « Vir omni exceptione major ». Cfr. de ipso, C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 929 s.; L. Goovaerts, *Ecrivains...*, II, p. 71-74.

Ordini, pro eiusdem Caunicensis [35]) Monasterii sustentatione et restauratione in finem communis Novitiatus ibidem erigendi, cedere vellent, posse Milovicenses deinceps in manibus ipsius stabiliter relinqui. Quia vero haec res visa est Capituli Provincialis authoritatem transcendere, nec Rmus Dominus Vicarius cum suo Patre Priore iudicarunt se absque Strahoviensis sui Conventus requisito consensu, hac in parte stabiliter quidquam posse promittere, Placuit omnibus Rmi ac Illmo Domino Praemonstratensi beneplacitum et nobilis Conventus Strahoviensis consensum desuper praestolari.

Sessio 7ma

Eadem die post Meridiem celebrata.

Hac sessione toto fere tempus insumptum esse examine plurium Controversiarum, quas fere omnes Reverm. et Amplsm Capitulum die sequenti terminavit. Harum principalior inter Reverm. Dm. Geracensem et Pernecensem cum pluribus ab annis fuit agitata, et a Capitulo Generali ad Circariae Vicarium remissa, ratione Iuris paternitatis a Geracensibus in Pernecensem Ecclesiam hucusque praetensi.

Sessio 8a

16. Septembris ante meridiem celebrata.

1° Visis, auditis, et examinatis pridie rationibus ac documentis, quae pro causa sui Monasterii Ius Paternitatis in Ecclesiam Pernecensem concernente Revermus Dominus Geracensis allegavit, et exquisito Revermi D. Pernecensis ad omnia Geracensium fundamenta responso, unanimi sententia Revermi ac Amplssimi Capituli fuit decisum, Ius Paternitatis in Ecclesiam Pernecensem Abbati Geracensi, eiusque Successoribus de iure competere, adeoque ipsum deinceps Patris Abbatis officium erga Pernecenses exequi debere. Huic sententiae Rmus Dnus Pernecensis cum suo P. Priore acquievit, hac adiecta conditione, ut Rmus Dnus Geracensis Ius patronatus in aliquam Parochialem Ecclesiam, sufficientibus mediis, uni Parocho debite et honeste sustentando provisam cedat Pernecensibus.

[35]) Caunicense monasterium (Kaunitium; Kounice; Kaunitz), in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1-4; N. Backmund, *Monasticon*, p. 294 s.

Quod etiam Dominus Geracensis se facturum promisit. Ad haec omnia vero quantocius in effectum deducenda, visum est fore (p. 16) necessariam alicuius Praelati a RRmis DDnis Capitularibus deputandi praesentiam, quod munus sibi commissum Rmus D. Lucensis [36]) haud gravate suscepit.

2° Praetenderunt hucusque RRmi DD. Praepositi Pernecenses debitum quoddam a Vincentinis [37]), cuius rei controversia modo pariter amicabili fuit terminata, et Rmus Dnus Vicarius omne suum ius contra Monasterium S. Vincentii habebat, vel habere poterat, omnino remisit.

3° Proposuit Rmus Dominus Teplensis vetera quaedam scripta Rmi iam in Domino quiescentis Caspari Questembergii [38]), quorum tenore 6. Professi Teplenses in Pragensi Seminario seu Collegio S. Norberti [39]), ex consueto Salisdatio, quotannis ali deberent. Quibus allegatis Rmus Dominus Vicarius tamquam Strahoviensis Abbas et Seminarii Norbertini iure successionis Fundator, Bullam recentiorem Urbani VIII opposuit, aliter longe decernentem. Et quamvis praesens Controversia ex improviso mota fuerit, neque ulla secum Documenta, quae hac in causa pro parte sua et plena Rmi Capituli informatione conducere poterant, idem Rmus Dnus Vicarius Pragae secum in Moraviam detulerit ; nihilominus ut nulla deinceps intra Circariae dissensionis ac litis materia de hoc Provinciali Capitulo indecisa relinqueret, promisit se, perfecto aedificii Ecclesiae S. Norberti, Seminario contiguae, 5 deinceps Religiosos Teplenses studiis vacantes ex praefata Salis pecunia, quamdiu haec ordinarie persoluta fuerit, in dicto Seminario quotannis sustentaturum absque ullo tamen ulteriori Strahoviensium praeiudicio. Cui resolutioni Rmus Dnus Teplensis acquievit.

4° Declaratum fuit Capitulariter ad propositionem Rmi D. Abbatis S. Vincentii [40]), Rmum D. Praepositum Czarnovacensem, verum, legitimum, ac perpetuum esse Ordinis Praelatum, cui etiam

[36]) Luca, seu Louka; Klosterbruck, in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, 87-94; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 297-299.

[37]) Abbatia S. Vincentii Wratislaviensis (Breslau).

[38]) Vide n. 34.

[39]) Collegium Norbertinum Pragense fundatum fuit curis abbatis de Questemberg, qui ulterius Collegium variis transactionibus interpositis dotavit. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 533-538.

[40]) Agitur de abbatia S. Vincentii Wratislaviensis, cuius Abbas Andreas Gebel, praesenti Capitulo Provinciali intererat.

pro impetranda infula Rmi ac Amplssimi DD. Comprovinciales interventionem et auxilium suum (salvis utriusque partis, Ecclesiarum videlicet S. Vincentii et Czarnovacensis [41]) praetensis iuribus) unanimiter promiserunt.

5° Rmi DD. Abbates Lucensis [42]) et Zabrdovicensis [43]) pro recuperando Caunicensi [44]) Monasterio Commissarii a Provinciali Capitulo ante septennium celebrato [45]), deputati, effectum suae Commissionis Rmo ac Amplmo Capitulo exposuerunt. Conclusum desuper fuit, ut quam citissime Monasterii desolati possessio per aliquem Sacerdotem ex Lucensi Monasterio submissum, pro cuius alimentatione Rmus Dnus Lucensis paratum se obtulit, nomine Ordinis arripiatur, et hausta sensim per praefatum Religiosum (p. 17) meliori rerum et iurum Caunicensium notitia, ac documentis, quae Ordini servire possunt, cognitis etiam coetera quaecumque appertinentia, cum tempore via pacis, vel curis de Secularium manibus repetantur. Pro dicta Commissione deinceps continuanda Rmo D. Lucensi adiunctus est Rmus Dnus Geracensis [46]) in locum Rmi D. Zaberdovicensis ob corporis debilitatem praepediti. Circa Ungariae Monasteria visum est fore superfluum ac inutile quidquid tractare, ob rebellium tumultus in illis partibus necdum sopitos.

6° Conclusum fuit ut vacante Circariae Vicariatu, conformiter ad Statuta Capituli Generalis A° 1657. celebrati [47]), deinceps proce-

[41]) Czarnovans, in hodierna Polonia situm. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 589-594; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 338.

[42]) Luca (Louka; Klosterbruck). Vide n. 36. Abbas tunc erat Norbertus Pleyer.

[43]) Zabrdovicium. Vide n. 2. Abbas tunc erat Godefridus Olenius.

[44]) Kaunitium. Vide n. 35.

[45]) Agitur de Capitulo Provinciali anni 1670. Vide supra, pp. 98-106.

[46]) Fredericus Urtica. Vide n. 15.

[47]) Decretum Capituli Generalis anni 1657 latum est in sessione octava, die 2ª Maii anni dicti, et ita sonat: *Capitulo Generali exposuerunt humiliter RR. DD. Westphaliae, Sueviae, Bavariae, Bohemiae, Poloniae, Hungariae, et Moraviae se habere in commissis petere, ut cum dictis Circariis defuerint Vicarii Rev.mi Dni Praemonstratensis, Praelati earumdem Circariarum possint eidem Rev.mo Dno Praemonstratensi per litteras ab ipsis conscriptas suggerere duos vel tres quos putaverint idoneos, ut Rev.mus Dnus Generalis possit unum ex ipsis vel etiam, si ita videbitur, alium assumere Vicarium. Capitulum concessit et concedit, indulsit et indulget Circariis Westphaliae, Sueviae, Bavariae, Bohemiae, Poloniae, Hungariae et Moraviae, ut adveniente casu quo defuerit in iis Vicarius Rev.mi Dni Praemonstratensis, Praelatus antiquioris monasterii Circariae, vel Circariarum unitarum, de consilio Comprovincialium suorum per litteras ab ipsis subscriptas Rev.mo Dno Praemonstratensi intra duos menses a defectu Vicarii computandos*

datur. Visum autem est commodissimum duos vel tres Praelatos ab Abbate Senioris Monasterii ad locum aliquem destinatum convocari, qui tum sua coram prolata, tum aliorum DD. Praelatorum absentium vota scripto submissa circa duos vel tres Praelatos pro Vicarii officio idoneos, in quos numero ad numerum collato, potiora convenerint, Rmo ac Illmo Domino Praemonstratensi, per litteras ab ipsis subscriptas significent, et quidem intra duos menses a defectu Vicarii computandos.

7° Mota quaestione an si contingat Parochum alterius Monasterii professum habentem beneficium pertinens ad collaturam alterius Monasterii, a Praelato suo amoveri, vel a Deo ex hac vita evocari, relictae ipsis substantiae dimidium Monasterio, in quo est professus, alterum dimidium Collatori sit attribuendum, uti resolutum esse videtur in Provinciali Capitulo Plagae A° 1659. celebrato [48]) ? Responsum fuit praedictam divisionem locum habere solummodo in casu mortis non revocationis. Revocationes porro, etsi in libera esse deberent dispositione Patris Abbatis, amore tamen conservandae pacis, sine mutua conventione inter Dominum Praelatum Religiosi beneficiati et Praelatum beneficii Patronum, de facili non fiant, dolumque omnem excludant. Excipitur quoque substantia quam alibi comparatam seu acquisitam Parochus secum attulerit, in quam Domino Praelato Patrono nullum Ius competet. Coeteroquin pensionem annuam, iuxta eiusdem Capituli decreta Monasterio Possessionis non patronatus acquiri, decretum est.

Tractatum fuit ultimo de Privilegiorum nostrorum indemnitate, quae hucusque ab Episcopis Circariae nostrae saepius impetita fuisse noscuntur, et conclusum fuit quoad beneficiorum Patronatus nostro subiectorum administrationem, item revocabilitatem Parochorum ad sua Monasteria, nullatenus Episcopis a quoquam esse cedendum. Nihil etiam ex causa cuiuslibet Exactionis a beneficiatis locorum ad Monasterio pleno iure pertinentium, excepta (p. 18) pensione cathedratici esse persolvendum. Quin et capacitatem nostratum ad

notificando suggerere possit eidem Rev.mo Dno Praemonstratensi duos vel tres eiusdem Circariae vel Circariarum Praelatos, quorum unum, vel etiam alium, si ita videbitur, Rev.mus Dnus Praemonstratensis in Vicarium assumet; quod si infra trimestre non fuerit facta eiusmodi suggestio, Rev.mus Dnus Praemonstratensis pro suo arbitrio providebit, et erunt omnes Vicarii ad nutum Rev.mi Dni Praemonstratensis, semper amovibiles. Ms. Laon, 538, p. 713.

[48]) De hac re actum fuit in Capitulo Provinciali anni 1659, in sessione quinta. Cfr. supra, pp. 87-90.

secularia beneficia obtinenda hucusque passim oppugnatam exhibitis Privilegiis adstruendam esse. Consecrationem quoque Calicum, campanarum et altarium sive portabilium sive fixorum praesertim pro Ecclesiis Monasteriorum propriis Abbatum non excedere potestatem, adeoque usui hactenus practicato, quoad haec insistendum.

Sessione hac Matutinis horis celebrata, nuntiata fuit post meridiem Rlmis et Amplssmis DD. Praelatis mors Revermi D. Abbatis Plagensis Francisci Freisleben [49]), cuius sigillum a Patre Priore Plagensi Andreae Schmidt, et aliis loci Senioribus Rmo Dno Vicario fuit submissum, et sic omnium illorum, quae circa personam eiusdem Rmi Dni Plagensis in praecedentibus huiusce Capituli sessionibus ordinata fuerunt, executionem mors praecidit. Animam defuncti die altera in precibus et sacrificiis suis Rmi DD. Comprovinciales Deo commendaverunt.

Haec omnia per Rmos Dnos Revisores debite visa et examinata Rmis et Amplissmis DD. Circariae Praelatis, et aliis Capitularibus in ultimo consessu die 17. eiusdem Septembr. post meridiem consueto loco simul congregatis lecta fuerunt et publicata, eorumdem RR. Amplssimorum Praelatorum manibus et sigillis subscripta et subsignata.

(Cum sigillis)

Fr. Hieronymus [50])
Abbas Strahoviensis
Vicarius Generalis.

Fr. Siardus [51])
Abbas Siloënsis.

Fr. Alexius [52])
Abbas Gradicensis.

Fr. Norbertus [53])
Abbas Lucensis.

Fr. Andreas [54])
Abbas S. Vincentii.

Fr. Fredericus [55])
Abbas Teplensis.

Fr. Godefridus [56])
Abbas Zaberdovicensis.

Fr. Fridericus [57])
Abbas Geracensis.

[49]) Vide n. 32.
[50]) Hieronymus Hirnhaim. Vide n. 1.
[51]) Siardus Falco. Vide n. 11.
[52]) Alexius Worstius. Vide n. 12.
[53]) Norbertus Pleyer, abbas annis 1660-1679.
[54]) Andreas Gebel. Vide n. 13.
[55]) Fredericus Uhl. Vide n. 9.
[56]) Godefridus Olenius, abbas annis 1650-1682.
[57]) Fredericus Urtica. Vide n. 15.

Fr. Stephanus [58])
Praepositus Doxanensis.

Fr. Michael [59])
Praepositus Chotieshoviensis.

Fr. Franciscus [60])
Praepositus Pernecensis.

Fr. Balthasar [61])
Praepositus Czarnovicensis.

Fr. Hiacynthus Hohman [62]), Capituli Secretarius.

Fr. Sigismundus, Prior Strahoviensis.
Fr. Siardus, Prior Gradicensis.
Fr. Matthaeus, Prior Lucensis.
Fr. Antonius Ponner, Prior Vincentinus.
Fr. Matthias Lenck, Prior Teplensis.
Fr. Martinus, Prior Zaberdovicensis.
Fr. Adalbertus, Prior Geracensis.
Fr. Fredericus, Prior Pernecensis.
Fr. Godefridus, Prior Neoreuschensis.
Fr. Franciscus, Supprior Siloënsis.
Fr. Michaël Felder, Supprior Plagensis.
Fr. Norbertus Kleibl, Praeses Kyritainensis.
Fr. Nicolaus Iavornicius Senior, Capellanus Doxanensis.
Fr. Carolus Mitis, professus Siloënsis Curatus Boziegoviensis.
Fr. Georgius Kysselius, Professus Gradicensis Curatus Cholinentis.
Fr. Rudolphus Neumann, professus Lucensis, Parochus Schattaviensis.
Fr. Benedictus Oss, professus S. Vincentii, S. T. D. Parochus Stürbl.
Fr. Augustinus Tap, professus Pernecensis, parochus Marchertoffensis.

[58]) Stephanus Kielmann, praepositus annis 1670-1678.
[59]) Michael Kastl, praepositus annis 1666-1698.
[60]) Franciscus von Schöllingn, praepositus annis 1677-1707.
[61]) Balthasar de Gerbert. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, p. 592.
[62]) Vide n. 19.

8

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Strahoviensi anno 1681

CAPITULUM PROVINCIALE REVERENDISSIMORUM ac Amplissimorum DD. Abbatum ac Praepositorum admodum RR. ac Venerabilium Priorum, aliorumque Canonicorum Capitularium Candidissimi Ordinis Praemonstratensis in Circaria Bohemiae et incorporatis Provinciis. Indictione Reverendissimi ac Amplissimi Domini D. Hyacinthi Hohman [1]) dicti sacri Ordinis Inclytae Ecclesiae Strahoviensis Abbatis, per Bohemiam, Ungariam, Moraviam, Austriam, Silesiam, Vicarii Generalis ac Visitatoris Pragae in Ecclesia Strahoviensi 1681, 5ta Octobris, et subsequentibus diebus canonice celebratum.

Mundo celebris et supernis grata civibus Praemonstratensis Religio, quae a suae plantationis initio, Regis aeterni fuit habitaculum virtutum splendoribus illustratum, ut eo amplius honore proficiens et honestate concrescens universalis Ecclesiae decus afferret, et decorem multimodis ampliaret, essetque (iuxta Sanct.mi Innocentii 4ti effatum [2]) in domo Domini contra tentatoris impetum ex turbine vitiorum quasi turris eburnea virtutum munita propugna-

[1]) Hyacinthus Hohman, abbas Strahoviensis (in urbe Pragensi) annis 1679-1690. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 931 s.; L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, I, p. 392.

[2]) Effatum seu encomium illud S. P. Innocentii IV ita sonat: *Sane mundo celebris et supernis grata civibus, sacra Religio Praemonstratensis Ordinis, a suae plantationis initio Regis aeterni fuit habitaculum virtutum splendoribus illustratum, quod semper honore proficiens et honestate concrescens, generalis Ecclesiae decus extulit, et decorem multimodis ampliavit. Ex hoc enim nos spiritualem in Domino laetitiam consequentes, affectu pio de ipsa Religione concipimus, ut nostrae provisionis auxilio, eius robur et pulchritudinem augeamus: ita quod ipsa in domo Domini contra tentatoris impetum et turbinem vitiorum sit quasi Turris eburnea, munita propugnaculis, in qua lectum amoenae quietis habeat veri excellentia Salomonis.* Textus iste impressus prostat in ed. Statutorum anni. 1630, Averbodii, 1898, p. IX.

culis. Reverendissimus et Amplissimus Dominus D. Hyacinthus Hohman Ecclesiae Strahoviensis Abbas, et per Circarias Bohemiae, et incorporatas Provincias Vicarius Generalis, ex singulari zelo et conformiter ad Concilium Tridentinum, sessione 24. de reformatione. Cap. 2° [3]) sicut et ad Statuta dist. 4ª, cap. 9°, N° 1 [4]), accedente authoritate Reverendissimi et Illustrissimi Domini D. Praemonstratensis etiam speciali ad id sibi commissa Capitulum Provinciale Pragae in Regia Ecclesia Strahoviensi celebrandum indixit, missis ad Reverendissimos et Amplissimos Circariae Praelatos, adm. RR. et Venerabiles Priores, Curatos, Praesides, patentibus. Ad quod in Spiritu Sancto celebrandum Reverendissimi et Amplissimi D.D. Praelati admodum RR. et Venerabiles PP. Priores aliique Capitulari Iure gaudentes promovendi decoris et boni intuitu, ac velut congregatae ad venerandum Sanctissimi Patris Norberti Sacrum corpus aquilae convenerunt [5]), dieque praefinita solitis cum coeremoniis e Regia Capella S. Rochi ad maiorem Monasterii portam in Strahoviensem Ecclesiam introducti sunt, Strahoviensi Conventu praecedente, ac eumdem Rmo et Amplmo Domino D. Vicario Generali [6]), cum suis Assistentibus Reverendissimis DD. Siloënsi [7]) et Gradicensi [8]) Pontificaliter indutis (p. 2) subsequente, ubi Missa de Spiritu Sancto per Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem, pontificaliter et solemniter decantata, ad conclave Capituli digressi, oratione ingeniosa a Reverendo P. Amando Fridenfels Canonico Strahoviensi, et in Celsissimi Principis Pragensis Archi-

[3]) In capite secundo decreti *de Reformatione* sessionis XXIX Concilii Tridentini directe non agitur de Ordinibus religiosis moderandis, sed de Synodis Provincialibus, quolibet triennio regulariter convocandis.

[4]) In hoc Statuto (Statutorum anni 1630) praescribitur: *Ut in singulis Circariis, quando Capitulum Generale non celebratur, Vicarii annue Capitulum Provinciale constituant, nisi ex iustis causis ipsi iudicent ad secundum vel tertium annum differendum.*

[5]) In ecclesiam abbatiae Strahoviensis, sub abbate de Questenberg, translatae fuerant exuviae S. Patris Norberti, anno 1627.

[6]) Hyacinthus Hohman. Vide n. 1.

[7]) Abbas Siloensis (Selau; Zeliv in hodierna Tchecho-Slovakia) tunc erat Milo Strobl, abbas annis 1678-1695. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323.

[8]) Abbas Gradicensis (Hradisch; Hradisko in hodierna Tchecho-Slovakia) tunc erat Norbertus Zelicky, abbas annis 1679-1709. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 757; N. Backmund, *Monasticon*, p. 294.

episcopi Archidioecesano Seminario 3tio Philosophiae Professore [9]), Rdmi ac Amplmi DD. caeterique Capitulares salutati sunt, qua salutatione finita, ipse Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis gravi Sanctorum PP. Sententiis et prudentium dictis refertissimo sermone pro fluida sua eloquentia demonstravit finem Capituli celebrandi in eo constitui, nimirum ut omnimoda uniformitas in coeremoniis, ritibus, cantu in Provincia introducatur, excessus corrigantur et durantes controversiae sopiantur.

Sessio 1ª

5ta Octobris, ante meridiem celeb.

1° Mota controversia ratione praecedentiae in priori Capitulo Provinciali, oborta inter Reverendissimos DD. S. Vincentii et Teplensem, visis antecedenter documentis authenticis, quibus liquido probatur Ecclesiam S. Vincentii Wratislaviae in Silesia fundationem Teplensis Ecclesiae Ordinis antecessisse. Reverendissimus Dominus Teplensis ultronee Reverendissimo Vincentino in sessione cessit [10]).

2° Negotium autem Reverendissimi Domini Pernecensis contra Reverendissimum Praepositum Cotieschoviensem antehac super eodem praecedentiae puncto controversum mansit in statu quo, eo quod originalia documenta ex archivis Ecclesiae Geracensis pro Domino Geracensi militantia, ac amodo pro asserenda praecedentia necessario producenda Reverendissimo Capitulo non fuerunt exhibita. Provisionaliter autem conclusit Reverendissimus D. Vicarius Generalis cum Amplissimo Capitulo, nullum exinde praeiudicium Reverendissimo Domino Pernecensi fore generandum, ac eundem manere in possessione ius suum remonstrandi [11]).

3° In manibus Reverendissimi Domini Vicarii Generalis promiserunt eidem et Amplissimo Capitulo obedientiam Reverendissimi

[9]) Amandus Fridenfels, vel Friedenfels, per 10 annos philosophiam docuit in seminario archiepiscopali Pragensi. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, I, p. 276-278. « Fuit vir magnae eruditionis », ita L. GOOVAERTS. *Ecrivains...*, I, p. 276.

[10]) De hac re actum fuit in Capitulo Provinciali anni 1677, sessione prima. Vide supra, p. 110.

[11]) De hac re vide acta Capituli Provincialis anni 1677, sessione octava. Vide supra, p. 122 s.

DD. Siloensis [12]), Gradicensis [13]), Lucensis [14]), Plagensis [15]), et Doxanensis [16]).

(p. 8) 4° Ipse vero Reverendissimus D. Vicarius Generalis pro usitato antehac more obedientiam Capitulo praestitit, eo quod Illmus Pater Generalis declaraverit idipsum Vicarium Personam Generalis repraesentantem non dedecere.

5° Unanimi voto conclusum est ut omnes Reverendissimi DD. Praelati in Capitulo agerent dubiorum et controversiarum occurrentium Definitores.

6° Secretarius Capituli constitutus fuit P. Franciscus Waldhauser Canonicus Strahoviensis [17]). In Notarios assumpti sunt P. Nicolaus Iavornicius, et P. Wilhelmus Slapal, Canonici Strahovienses, sicut et P. Maximilianus Pfendler Zabrdovicensis [18]), qui quatuor singulariter iuramentum fidelitatis, et silentii praestiterunt.

7° Lectae sunt litterae excusatoriae Reverendissimi D. Czarnovacensis [19]) et visa est Amplissimo Capitulo legitima excusatio, ob gravem ab ipso tolleratam aegritudinem et periculum recidivae.

8° Contra postscriptum autem earundem litterarum protestatus est Dominus Vincentinus quo Reverendissimus Czarnovacensis petiit a Capitulo confirmari articulum 4^{tum} Sess. 9^{ae} praecedentis Capituli [20]), ubi declaratum fuit eundem D. Czarnovaniense verum, legi-

[12]) Michael Strobl. Vide n. 7.

[13]) Norbertus Zelicky. Vide n. 8.

[14]) Abbas Lucensis (Louka; Klosterbruck; in hodierna Tchecho-Slovakia) erat tunc Gregorius Klein, abbas annis 1679-1697. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 93; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 299.

[15]) Abbas Plagensis (Schlägl, in Austria Superiori) erat tunc Andreas Schmidt, abbas annis 1677-1684. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 568 s.; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 310.

[16]) Superior domus Doxanenesis erat tunc Dominicus Gurnth (ita C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 641); vel Dominicus Girnth (ita N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 289); domum rexit annis 1679-1689.

[17]) Franciscus Waldhauser fuit per plures annos (1681-1689) rector Collegii Norbertini Pragensis; anno 1689, praepositus Doxanensis; moritur 12 Junii 1692. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, II, p. 360 s.

[18]) Maximilianus Pfendler eligitur anno 1682 abbas Zabrdovicensis; et remanet usque ad annum 1685. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1181; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

[19]) Abbas Czarnovicensis (Czarnowas, in Silesia Orientali) tunc erat Balthazar de Gerbert, inde ab anno 1681. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 591. De habitudine juridica inter Czarnowas et S. Vincentiam Wratislaviensem, ib., col. 592.

[20]) In mss. Actorum Capituli Provincialis praecedentis anni 1677, nihil habetur de sessione nona; quaestio vero de qua hic agitur tractata et decisa dicitur ibidem in articulo quarto sessionis octavae. Cfr. supra, p. 123 s.

timum, ac perpetuum Ordinis Praelatum esse, et desideravit Dominus Vincentinus [21]) hanc suam protestationem actis Capituli praesentis inseri.

9° Indicta est sessio per Reverendissimum D. Vincentinum Generalem in diem sequentem horis matutinis celebranda ; siquidem prima die tempore pomeridiano venerationis causa Reliquiae Sanctissimi Patris Norberti fuerunt exhibitae, ut in ea de uniformitate coeremoniarum tractetur.

*Sessio 2^da^*

Horis matutinis die 6^ta^ octobris sacro de Spiritu Sancto per Reverendissimum D. Siloënsem in Pontificalibus solemniter habito Amplmum Capitulum introducendae uniformitati Coeremoniarum [22]) accurata discussione incubuit, et ante omnia.

1° Cum decora debeat esse nostra laudatio, et tonus antiquus sit suavior auribus magisque ad devotionem excitandam moveat, statuit Amplssimum Capitulum Illmo Patri (p. 4) Generali humillime supplicandum esse, ut indulgeat Provinciae nostrae uti tono antiquo etiam ad vitandam difformitatem in Ecclesiis Ordinis, aliquibus uno, aliis alio tono utentibus, idcirco,

2° Exhibitus fuit tonus antiquus sub notis, et ab omnibus Reverendissimis DD. Praelatis acceptatus fuit ; quo se uniformitatis intuitu usuros Reverendissimi DD. adpromiserunt, excluso quocunque alio, ubi benignissimus consensus Illmi Patris Generalis accesserit.

3° Ubi in antiquis manuscriptis antiphonis, aut in Hymnis quaedam syllabae protrahuntur, quae corripiendae forent, una nota est superaddenda ut suaviorem efficiat melodiam et evitemus censuram adventantium exterorum nos cavillantium, quod quantitatem syllabarum ignoremus.

4° Diversitas quoad coeremonias intra Provinciam reperta fuit notabilis, ad quam tollendam Reverendissimus D. Vicarius Generalis fieri fecit extractum ex Ordinario, qui vitandae prolixitatis causa

[21]) Dominus Vincentinus est abbas S. Vincentii Wratislaviensis (Breslau), cujus nomen, pro annis 1673-1684, erat Andreas Gebel. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1115; L. Santifaller, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vinzenzstiftes*, in *Anal. Praem.*, XXVII, 1951, pag. spec., p. 150 s.

[22]) Michael Strobl. Vide n. 7.

actis Capituli non fuit insertus ; omnibus autem Reverendissimis Praelatis Comprovincialibus pro directione in scripto communicari iussus est, ut omnimoda Coeremoniarum conformitas in Provinciam introducatur.

5° Quia autem aliqua Ordinario videntur contrariari, quae tamen consuetudini Provinciae conformia sunt, Reverendissimus Capitulum supplicandum censuit, ut Illmus Pater Generalis gratiose condescendat, quatenus sequentia puncta ad observationem uniformem dispensentur unde

6° Benedicamus Domino, in Vesperis cantari debet sub iisdem notis quibus Ita Missa est absolvitur pro diversitate festorum.

7° Benedictio Mensae et gratiae cantentur ex integro ; Psalmo Miserere dumtaxat recitato.

8° In recreationibus communibus in quibus ex antiqua consuetudine ad persolvendas gratias Conventus ad Ecclesiam non procedit ; sed eas in refectorio complet, (p. 5) Psalmo Miserere, Psalmus Laudate Dominum omnes gentes substitui queat a Cantore inchoandus.

9° In Missis privatis, et etiam cantatis extra festum Duplex exhibitio instrumenti pacis post Agnus Dei intermittenda, cum in nullis externorum Ecclesiis ad Sacra privata adhibeatur, et sic contra communem Ecclesiarum etiam nostrarum praxim,

10° Transeuntes ab uno chori latere ad latus exterius Maiestati dumtaxat in medio inclinent, et non Choro.

11° Responsoria minora ad horas semper cantentur a duobus Fratribus, sicut et versus Responsoriorum maiorum, similiter et Gradualium.

12° Quia mori Patriae contravenit usus Planetarum plicatarum, et in paucissimis Ecclesiis Ordinis intra Provinciam usitatus erat, omittendus videtur imposterum universaliter per Circariam cum hominibus nimis sit peregrinus.

13° Credo alternatim a Choro cantetur ob faciliorem respirationem.

14° Amplissimum Capitulum servandum quoque statuit ut Sacerdotes transeuntes ad Missam extra chorum faciendam ante tabernaculum genuflectant capite cooperto, nec esse deponendum byretum nisi venerabili Sacramento exposito, genuflexio autem non sit perfunctoria sed modica, sed terram attingat.

15° Declaravit ad Completorium non esse adhibenda pallia

Choralia si templum sit clausum, et ideo in quadragesima debere esse eorum usum, cum aditus ad Ecclesiam tunc pateat.

16° In Monasteriis tenuissimae fundationis, ubi in Choro non sunt ex qualibet parte sex, poterunt Matutinae in festis Triplicibus 1ae classis recitari ob immodicam cantantium defatigationem, ita tamen, ut in iis invitatorium, Hymnus Te Deum, et Laudes non nisi cun cantu persolvantur, adeoque ubi sunt in Conventibus ad minus duodecim, Matutinae triplicis 1ae classis integrae debebunt cantari.

17° Vesperas Vigiliarum in feria vel festis trium lectionum post mensam dici solitas (p. 6) differendas usque ad ipsum tempus Vesperarum censuit Amplissimum Capitulum si post mensam cantari debeat Nona.

18° Chorus Fratrum in singulis Ecclesiis disponendus est circa altare maius, propter congruum coeremoniarum usum, quae alioquin in choris superioribus Monialium more dispositis iuxta Ordinarium nequeunt exerceri.

19° Conclusum fuit, ut iuxta antiquum modum in Missa cantata adhibeatur clausula: Et pacem tuam nostris concede temporibus, in fine ultimae collectae dumtaxat.

20° Matura [23]) in Triplicibus primae classis semper choraliter est decantanda, et horis singulis, si summum Sacrum vel horae invicem sibi non succedant, subiungatur oratiuncula: Sacrosancta sub silentio dicenda.

21° Mota fuit quaestio quidnam exemptionis a Choro concedendum sit Fratribus, qui se intra Monasterium studio Theologiae speculativae aut Philosophiae applicant.

22° Et quia Reverendissimus D. Plagensis [24]) allegavit dispensationem sat amplam, qua Fratres Plagenses a 30 annis continuo fruiti sunt, petiit eiusmodi gratuitae concessionis prorogationem, saltem usque ad Canonicam Visitationem per Reverendissimum D. Vicarium Generalem faciendam, ut cognitio super statu Ecclesiae suae incommoditatibus ex derogatione huiusmodi concessionis oborituris integrior fieri queat ; cui petitioni delatum tandem est usque ad visitationem praecise.

[23]) Matura Missa est Missa Ordinis hora maturiori cantanda aut litanda quam Summa Missa; practice coincidit cum ea Missa quae in Ordine dici solebat et solet: Missa matutinalis.

[24]) Andreas Schmidt. Vide n. 15.

23° Etiam deprehensa difformitate in cantando Graduali. Item circa faciendam inclinationem ab Officiante dum inter thurificandum tabernaculum transit, prout et genuflexionem dum Ministri transeunt, statuit Amplssimum Capitulum ut exacte in iis servetur Ordinarius.

24° Commendavit itidem statutum de faciendis quotidianis proclamationibus culparum in Capitulo ; quod laudabiliter in praxim redactum fuit ; optat tamen (p. 7) hac in parte moderamen in festis Triplicibus.

25° Quia etiam illaudabile est ad augustissimum Missae Sacrificium accedere non servato omnimodo ac possibili decore, statuit Amplm Capitulum ut nullus deinceps praesumat celebrare in crepidis.

26° Praeterea Amplm Captulum ventilavit Proprium Sanctorum Provinciae et conclusit: siquidem illud in Capitulo Generali antehac probatum, et pro Provincia admissum fuit, ac ne aliquid honoris derogetur iis Sanctis quibus specialiori cultui Provincia est obligata, ut illud maneat prout iacet.

27° Ex eadem ratione quod Provinciae haereditariae augustissima Domus Austriaca Sancto Leopoldo specialiori pietate sit addicta, accedente deprecatione Reverendiss. DD. Praelatorum Austriae imprimis Reverendimi D. Pernecensis [25]), Amplm. Capitulum elevandum censuit festum S. Leopoldi Marchionis Austriae ad triplex 3ae classis.

28° Pro corrigendis erroribus Proprii Sanctorum et conficiendo calendario, quonam die determinato quodlibet festum ibidem contentum per Provinciam debeat celebrari, duos e Monasterio Strahoviensi Amplm Capitulum deputavit.

29° Etiam ut memoria eo amplius perseveret solemnissimae illius Translationis Reliquiarum Sanctissimi P. Norberti qua vix quidpiam splendidius Pragae vidit [26]) et maiorem venerationem Sanctissimus Pater exigat, qui Sanctissimis suis exuviis Provinciam Bohemiae nobilitavit, optant Reverendissimi Dni Comprovinciales participare de gratioso statuto Capituli Generalis, quo Strahoviensi

[25]) Abbas Pernecensis (Pernegg, in Austria Inferiori) tunc erat Franciscus von Schöllingen, abbas annis 1677-1707. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

[26]) Haec translatio evenit anno 1627. Cfr. (C. L. HUGO), *La Vie de S. Norbert, Archevêque de Magdebourg et fondateur de l'Ordre des Chanoines Prémontrés*, Luxembourg, 1704, pp. 404-408; G. MADELAINE, *Histoire de saint Norbert*, Lille, 1886, pp. 492-496.

Ecclesiae indultum fuit festum Translationis Sanctissimi Patris ritu triplicis 1ae classis cum Octava celebrare.

30° Similiter ut historia eiusdem Sanctissimi Patris integra legi queat per octavam ipsius festi, undecima Iulii, iudicarunt iidem Reverendissimi duplicia tunc occurrentia esse differenda prout inter octavas Paschae et Pentecostes. Super quibus omnibus gratiosum (p. 8) assensum Illmi Patris Generalis Capitulum implorat.

31° Iudicavit coeteroquin Amplm Capitulum ad instantiam factam ut festum S. Angeli Custodis, quousque elevetur, illud interea manere in statu quo. Indicta fuit sessio in horam tertiam pomeridianam eiusdem diei, qua tractabitur de uniformitate vestitus et aliorum.

Sessio tertia

1° Reverendissimum Capitulum perpendens quod Religiosi Sacri Ordinis ad diversas functiones, quas institutum nostrum et decor religionis requirunt, se qualificare studiis debeant, pro quibus tamen modicum tempus ob Chori onera suppetit, ad complanandam quaestionem priori sess. motam [27]): quidnam exemptionis a Choro citra eius evacuationem possit concedi fratribus studiis speculativae Theologiae et Philosophiae vacantibus ; resolvit et statuit quod medietas huiusmodi studentium possit abesse a Matutino hac conditione, ut minoribus horis, quae ante Vesperas absolvuntur, intersint ; a quibus interim erunt liberi qui in Matutino fuerunt.

Post prandium illa medietas pergat ad Vesperas quae in matutino fuit, illis tunc absolutis, qui minoribus horis antemeridianis interfuerunt ; et quidem sub obligatione, ut illud totum tempus, quo a Choro dispensantur, praecise studiis impendant. Ad meditationem tamen, et ad Summam Missam sicut et ad Completorium et examen conscientiae omnes sine exceptione teneantur.

2° Providit quoque Amplsm Capitulum ne forte neglectus earum horarum a quibus eximuntur interveniat, hoc medio, ut Exempti Canonicas horas simul tempore ipsis assignando recitent.

3° Reverendmus D. Lucensis [28]) allegans possessionem exemptionis amplioris fratribus studentibus in sua Ecclesia concessam, maluit pendere a sperato favorabiliori concluso Illmi Patris Generalis cui

[27]) De hac re aliquid dictum est in secunda sessione huius Capituli, num. 2°.
[28]) Gregorius Klein. Vide n. 14.

Amplmum Capitulum ex veneratione et respectu eiusdem Illmi Generalis detulit, ut determinationem hac in parte Praemonstrati requirat.

4° Consultius fore duxit Reverendum Capitulum ut fratres maioribus ordinibus nondum initiati privatim horas Canonicas recitent, atque hoc medio ad recitationem horarum maturius assuescant.

(p. 9) 5° Et quia in publicis studiis ob continuata exercitia, et disputationes solenniores maior fructus studentium sperandus est, convenerunt Reverndmi D.D. Praelati, ut ex ipsorum Ecclesiis ad minus unus Religiosus ad studium publicum mittatur.

6° Porro ut uniformitati quoad vestitum, pro qua introducenda praesens sessio indicta fuit, congrue esset provisum, Amplmum Capitulum serio mandavit ut omnes novitates aut varietates in vestibus, quae Candidissimae Religioni minus congruunt, simpliciter ac quamprimum abrogentur, et deinceps solerti vigilantia praecaveantur ; ac in specie sequentia statuit observanda.

7° Mitrellis seu pileolis sericis sicut et muffulis pretiosis ex pellibus vel materia utentes, puniatur triduana sessione in terra.

8° Caputia in forma et dimensione aequalia sint, nec ad modum Rochetarum accedant.

9° Cingula, quae in morem retis contexta sunt, vel quae ad Praelatorum cingula accedunt, Privatis serio interdicta sunt.

10° Sublati sunt pilei grisei coloris, quibus nec in itinere constitutis uti licebit.

11° Fratres non utantur tam curtis habitibus in itinere ut femoralia appareant, vel iis qui ultra genua non descendant, nec admittatur promiscue usus curtorum habituum in quocunque egressu extra claustrum.

12° Pallia alterius coloris quam grisei albicantis districte pro usu prohibentur.

13° Commendatum quoque fuit ne capillitium aures transcendat, et ut corona debita ab omnibus portetur, aequalitasque formae barbarum per Provincias observetur.

14° Tandem in fine sessionis huius constitutus est Reverendissimus D. Pernecensis [29]) Referendarius in causa praetensae praecedentiae a Patre Rectore Seminarii Sancti Norberti Pragensis, respectu Patris Supprioris Strahoviensis. Indicta quoque fuit sessio in diem sequentem, in qua de correctione morum tractabitur.

[29]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 25.

(p. 10) *Sessio quarta*

Mane horis consuetis celebrata 7ma octobris.

Sacrum cantatum complevit in Pontificalibus Reverendissimus D. Gradicensis [30]).

1° Exposuit Reverendissimus D. Vicarius Generalis Amplmo Capitulo, quanta cura adnitendum sit, ut Religiosi nostri extra Conventus, et maxime in Parochiis existentes, in gloriam Sacrae religionis nostrae operentur ; ne forte quod verbo aedificant exemplo destruant, et lectis quibusdam punctis Parochos concernentibus ad maiorem cautelam praecavendorum excessuum Amplissimum Capitulum sequentia conclusit.

2° Quia privatio stalli ex poena plurimum a delicto retrahit, visum est Amplissimo Capitulo ut illis qui lapsu carnis delinquunt, ultra poenas a Statutis taxatas, superaddatur poena privationis in perpetuum, ac sint inhabiles (etsi semel dumtaxat deliquerint) ad Parochialem curam toto tempore vitae suae, in quo nullus Reverendissimorum Praelatorum Provinciae dispensare valebit, praeter Reverendissimum D. Vicarium Generalem et Amplissimum Capitulum Provinciale.

3° Econtra ex certis causis deprecatur Reverendissimum Capitulum Illustrissimum Patrem Generalem, ut indulgeat quoad diuturnitatem incarcerationis seu tempus per Statuta Ordinis assignatam fieri aliquam relaxationem.

4° Ad continendos pariter Parochos in officio suo, decretum fuit, ut deinceps singuli Reverendissimi DD. Praelati sive per se, sive per qualificatum substitutum Parochos suos visitent et rigorosam in vitam et actiones ipsorum inquisitionem quotannis faciant.

5° Mota autem quaestione hac in parte, quid si Parochi huiusmodi visitationem circa Parochiales functiones ab ipsis exercitas aut exercendas declinare conarentur, eo quod iuxta Statuta Ordinis dist. 2a, cap. 25 num. 36 [31]) respectu eorum quae ad curam ani-

[30]) Norbertus Zelicky. Vide n. 8.

[31]) Ita in ms. In Statutis anni 1630, non in capite 25° Distinctionis secundae agitur de Parochis sed de Monialibus. De hac re in dictis Statutis agitur vero in capite 23° dictae Distinctionis, numero 36°: *Noverint itaque Pastores, secundum Privilegia Ordinis, tam quoad morum correptionem, etiam usque ad ipsam Beneficii Pastoralis privationem, quam quoad temporale regimen, solis suis Praelatis plene se subiectos.*

marum et Sacramentorum administrationem pertinent ; Iurisdictionem eiusque Visitationem agnoscere debeant ? et declaratum est, siquidem cumulative seu per concursum potestas visitandi Parochos Regulares tam Episcopis quam Praelatis Regularibus est concessa, et non privative soli Episcopo ; ideo Iure acquisito uti oportere, et Parocho quoad animarum curam visitandos resistentesque rigorose coercendos esse.

(p. 11) 6° Et ne Parochi secundum desideria sua diffluant, vel otio torpescant, praescribendam singulis Parochis a Suis Reverendissimis Praelatis (prout Statuta loco praecedenti n° 4° ordinant) temporis distributionem esse iuxta prudens cuiuscumque Reverendissimi D. Praelati arbitrium.

7° Serio etiam monendos Parochos duxit Reverendissimum Capitulum, ut ab omnibus et singulis, quae ipsis sive ratione Clericatus sive Parochialis functionis ex iure communi, et Ordinis prohibita sunt, ad amussim abstineant.

8° Quia vero circa Parochorum revocationes vel translationes nonnumquam difficultas suboriatur, lectum fuit indulti cuiusdam instrumentum, quo Celsissimus Princeps Archiepiscopus Pragensis Benedictinis et Cisterciensibus Praelatis intra Provinciam gratiose, et sub clausulis favorabilibus indulsit, ut ipsismet Reverendissimis DD. Praelatis personaliter competat tota illa potestas administrandi Parochialia, quae alioquin Parochis conceditur, hac adiecta conditione, ut DD. Praelati per Suos ad arbitrium substitutos Religiosos Parochiales functiones exerceant, quod in — et destituere queant ad nutum, modo in — et destitutionem Celsissimo Principi per litteras insinuent, et ordinariam taxam persolvant Consistorio, complacuit sibi Reverendissimum Capitulum in tam gratiosa concessione, et ad redimendas vexas et declinanda fastidia, quae occasione in — vel destitutionis Parochorum intercurrunt, censuit Eidem Celsissimo Principi supplicandum esse, ut Ordinem nostrum tamquam Eius Candidissimus Patronus pariformi favore prosequi dignetur, ea cautela adhibita et clausulis Salvatoris adhibitis, ne exemptionis nostrae privilegio officiat.

9° Tametsi delinquentium emissiones Statuta nostra decernant, tamen ob praegnantia motiva Reverendssimi Comprovinciales censuerunt eiusmodi emissiones in praxin hic et nunc redigi non posse.

10° Voluit autem Reverendissimum Capitulum ut Religiosi Ordinis nostri sine sufficientibus testimonialibus in Provinciam nostram

adventantes quamprimum e Circaria tota depellantur, et cunctantes poenis coercitivis, etiam carceris, ad excedendum adigantur.

11° Constitutum praeterea fuit, ut illi Fratres, qui Praelatos suos molestant petendo, ad alia Monasteria, severiori coercitione, utpote voti stabilitatis memores, cohibeantur.

12° Quia etiam abusus tabaci invalescit, ad eum tollendum nemo deinceps tabaco utetur (p. 12) publice ; sed si quis privatim eo uti voluerit, ultra arbitrium medici ipsa quoque licentia proprii Praelati est impetranda.

13° Duplices supplicae lectae fuerunt quarum una restitutionem vocis activae et passivae, altera restitutionem primaevi stalli continebat, et utraque negative est expedita. Ad aliam relaxationem carceris efflagitatam conclusum fuit, supplicantem quidem ad mitiorem carcerem, ne iacturam sanitatis incurrat, posse transferri ; attamen infra anni spatium spem relaxationis non fore. Sessio indicta fuit in horas pomeridianas solitas, pertractatura materiam controversiarum.

Sessio 5ta

1° Reassumpto negotio antehac in Capitulis ventilato [32]) an, et quomodo Milovicium [33]) Monasterio Strahoviensi in perpetuum sit incorporandum, et causis ac motivis ad eiusmodi incorporationem faciendam, utrinque maturo iudicio stricte discussis, salva hac in parte Augustissima Caesareae Maiestatis authoritate, Amplissimum Capitulum statuit dictum Milovicium cum omnibus appertinentiis ac iuribus, sine ullius rei exceptione, in perpetuum esse incorporandum Monasterio Strahoviensi, modo Reverendissimus D. Hiacynthus Hohman Ecclesiae Strahoviensis Praelatus ac Vicarius Generalis, prout se obtulit, Milovicii Prioratum erigat, decem ad minus Fratribus constantem, sub his conditionibus, ut ipse Successoresque eius ac Monasterium Strahoviense Milovicio in perpetuum pleno iure in perpetuum, quo nunc, utantur ac fruantur, omnisque proprietas et dominium directe ad ipsos pertineat, atque ad hunc Prioratum erigendum et conservandum futuris temporibus nonnisi Strahovienses Professi tam Prior quam Claustrales assumantur,

[32]) Ita in Capitulo Provinciali anni 1659; sessione 4ª. Vide supra, p. 86.

[33]) Milovicium (Mühlhausen; Milevsko), in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, p. 300 s.

atque a Reverendissimi D. Abbatis Strahoviensis, et Successorum eius Iurisdictione et directione ; ut alii Strahovienses, dependeant, ipseque Prior sit ad nutum amovibilis, et nullatenus immisceat, annuique proventus, qui frugali alimentationi ad minus decem Fratrum dictorum supersunt, ex integro Monasterio Strahoviensi, nec quisquam Provincialium deinceps ius quodpiam in Milovicium praetendat.

(p. 13) 2° Praeterea Amplissimum Capitulum consultavit, utrum vindicando Monasterio Caunicensi [34]) insistendum sit, et utrum ad hunc effectum Reverendissimi D. Praelati pro rata occurrere velint in faciendis expensis, et decisum est, et fortius insistendum esse, ut si illico non recuperetur, saltem pedem in eo figamus, quod oportune fieret, si Celsissimo Principi a Dietrichem persuaderi posset, ad cedendum saltem Collaturam cum desolati Monasterii muris [35]).

3° Proinde Commissarii hunc in finem deputati sunt Reverendissimi DD. Gradicensis [36]) et Pernecensis [37]), quibus Reverendissimo D. Siloensi [38]) documenta fundationis Caunicensis extradere, alii autem Reverendissimi DD. pro vindicatione dicti Monasterii charitativo subsidio concurrere promiserunt. Indicta fuit sessio in diem crastinam ante meridiem ad residuas controversias decidendas.

Sessio 6ta

Ante meridiem horis consuetis die Octobris.

1° Retulit Amplissimo Capitulo Reverendissmus D. Pernecensis Referendarius in puncto a P. Rectore Norbertino Pragensi praetensae praecedentiae contra Suppriorem Strahoviensem, utriusque partis ex causa merita, et pro parte Supprioris Statuta, et Capituli

[34]) Kaunicium vel Kaunitium (Kounice), in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1-4; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294-295.

[35]) « Anno 1433 (monasterium Kaunicense) ab Hussitis subversum est, exinde elanguit; anno 1526 derelictum est et venit in manus laicorum. Anno 1698 aedificia et pars bonorum a comitibus de Dietrichstein donata sunt abbati Strahoviensi, qui in posterum ibi administrationem tantum instituit ». Ita N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 295.

[36]) Nicolaus Zelecky. Vide n. 8.

[37]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 25.

[38]) Milo Strobl. Vide n. 7.

Provincialis Gradicensis conclusio sess. 4ª [39]) ; pro Rectore Bulla Apostolica Urbani octavi confirmatoria Seminarii S. Norberti Pragae [40]), tum quod Rector sit formatae Communitatis, Apostolica authoritate erectae, legitimus Superior ; militanti ad complanandam hanc controversiam, ut e Statutis Capitularique concluso, tum Bullae Apostolicae suus sit vigor, visum est in Domino Reverendissimis DDnis Praelatis Capitularibus, imprimis declarare, quod Statuta et Capitularis conclusio praecitata Sess. intelligenda duntaxat sint de praecedentia P. Supprioris intra Conventum, extra quam eiusmodi praecedentia cessat ; ideoque statuit, ut P. Suppriori honor praecedentiae intra Conventum ante Rectorem competat ; extra Conventum autem P. Rectorem in actibus publicis (exceptis Capitulis Provincialibus, ubi Supprioribus cedere, eosque immediate sequi debet) praesente Communitate praecedere debere.

(p. 14) 2° Reverendissimus D. Gradicensis mentem suam Reverendissimo Capitulo exposuit, quod ad maiorem Augustissimae Matris Dei in suo Praemonstrato monte [41]) prope Olomucium Thaumaturgae, et stupendis miraculis confluxuque hominum celeberrimo, intendat aedificare residentiam pro sex suis Religosis continuo ibidem habitaturis, et officium Divinum, quantum fieri poterit, persoluturis ; adeoque petiit, ut sub authoritate Amplissimi Capituli eius Praesidem praeficere queat ; collaudataque ipsius tam sancta et plurimum profutura intentione, facileque praestito assensu de praeficiendo Praeside, idem Reverendissimus D. Gradicensis quaesivit, an huiusmodi Praesidi ante alios honor praecedentiae competere possit ? Responsum est, quod ille Praesens subsequi Suppriorem, et antecedere Seniores Ecclesiae Gradicensis dumtaxat possit, tamen sine praeiudicio aliarum Seniorum Ecclesiarum in Provincia.

3° In causa controversa ubi Reverendissimus D. Vincentinus asserit vigore Privilegii Pontificii Rssmum D. Czarnovacensem non esse verum et legitimum Praelatum, sed ad nutum amovibilem, e contra Reverendissimum D. Czarnovacensis petiit, ut conclusio

[39]) Capitulum illud locum habuit anno 1670. Vide supra, p. 104.

[40]) Praecipua contenta in hac Bulla S. P. Urbani VIII referuntur a C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 535 s., ubi historiam Collegii Pragensis exponit Annalista Hugo, De praecedentia Rectoris Collegii nihil explicite in illa Bulla contineri videtur, ita ut revera haec quaestio decidenda relicta fuerit Superioribus Ordinis.

[41]) In hoc loco venerationi fidelium proponebatur celeberrima Imago B. Virginis.

praecedentis Capituli sess. 1ª, nº 4º in ipsius favorem facta renovetur [42]), et actis inseratur, ob iustam absentiam Rssmi Domini Czarnovacenis, et non producta ab eo documenta, Amplissimum Capitulum nihil iudicare potuit, sed unanimiter compromisit in Reverendissimum D. Vicarium Generalem, ut ipse habitis et visis litigantium fundamentis in causa extracapitulariter procedat, partesque meliori modo componat aut conciliet. Et si Rssmus D. Vincentius ad pacificam conventionem inclinaret, quod haec nullam praeiudiciosam consequentiam respectu alterius manualis Praepositurae ipsius inducere debeat.

4º Petiit itidem Rssmus D. Vincentinus actis denuo inseri decretum Capituli Provincialis praecedentis sess. 8ª ; Nº 7º, quod dicit mota quaestione: an si contingat Parochiam alterius monasterii Professum habentem beneficium pertinens ad Collaturam alterius Monasterii a Praelato suo amoveri ; vel a Deo ex hac vita evocari, relictae eius substantiae dimidium Collatori sit attribuendum, uti resolutum esse videtur in Provinciali Capitulo (p. 15) Plagae 1659 celebrato ? [43]). Responsum fuit praedictam divisionem locum habere solummodo in casu mortis, non revocationis, et pro ulteriori confirmatione Amplissimum Capitulum censuit esse inserendum.

5º Propositum tandem fuit quod Rssmus D. Norbertus Pleyer [44]) pro recuperatione Monasteriorum Ordinis in Ungaria constitutus Commissarius, in Ungaria durantibus Comitiis effecerit, et quanta spes effulgeat obtinendae Praepositurae Iassoviensis cuius collatio de facto iussu Suae Sacrae Caesareae Maiestatis est suspensa, donec fuerit decretum an Ordini Praemonstratensi debeat restitui, et quaesitum an recuperationi ulterius, et quibus mediis, ultra trecentos florenos a Provincia ad recuperationis effectum collatos, insistendum sit ? Censuit Amplissimum Capitulum insistendum esse, ac Reverendissimum D. Norbertum Pleyer interim de sua Provisione debere expendere, quae necessario fuerint ; deprecandum autem esse Illmum Patrem Generalem, ut in expensis ad recuperanda

[42]) De hac quaestione controversa inter abbatem S. Vincentii Wratislaviensis (Breslau) et praepositum Czarnovicensem non agitur in sessione prima Capituli praecedentis, sed in numero 4º sessionis octavae Capituli Provincialis anni 1679. Vide supra, p. 123 s.

[43]) Vide supra, p. 125.

[44]) Norbertus Pleyer abbas fuit Lucensis annis 1660-1679. In Capitulo Provinciali anni 1677, ea quae in praesenti considerantur, ipsi commissa fuerant in sessione octava, nº 5. Vide supra, p. 124.

Ungariae Monasteria totus Ordo concurrat ; siquidem commune est Ordinis negotium [45]).

6° Petitioni eiusdem Rssmi D. Pleyer, ut litterae promotionales ad Archiepiscopos et Episcopos Ungariae a Celsissimo Principe Archi-Episcopo Pragensi impetrentur, Amplissimum Capitulum annuit, et favorem hac in parte Eiusdem Celsissimi esse implorandum censuit. Indicta fuit sessio pro pomeridianis horis.

Sessio 7ª

Post meridiem celebrata die 8 Octobris.

Proposuit Rssmus D. Vicarius Generalis an Rssmi Domini Praepositi Pernecensis [46]) et Neoreischensis [47]) debeant Illmo Dmino Patri Generali recommendari pro obtinenda dignitate Abbatiali, visumque est, siquidem Abbas sufficienti Religiosorum numero debeat esse provisus, dicti Rssmi DD. Praepositi patientiam tantisper habeant, donec fundationi Ecclesiarum Suarum tantum accreverit, ut competentem fratrum numerum alere queant.

2° Tractatum fuit de communi Novitiatu erigendo, et videbatur Reverendissimis PP. Provinciae pro moderno tempore esse impossibile.

3° Moto etiam quaestione, an quatuor Monasteria in anterioribus Capitulis pro loco Capitulari (p. 16) citra praeiudicium aliarum Ecclesiarum deputata, onus expensarum, quae pro alimentatione Capitularium et familiae erogantur, sine aliqua refusione ferre debeant ? Iudicatum est, sub qualitate discretionis tantum esse offerendum, quod 12 imperiales exaequet ipsis Monasteriis quatuor duntaxat exceptis.

4° Conclusum pariter fuit, ut Parochis aliisque extra Conventum degentibus brevia mortuorum quamprimum a Patribus Prioribus

[45]) Canonia Iaszoviensis (in Hungaria) inde ab anno 1552, « cum careret conventu, facta est commenda saecularium. Tentamen restaurationis, anno 1583 ab abbatia Teplensi initiatum, non successit. Anno 1697 pro Ordine redempta est per abbatem Pernecensem, qui eam vendidit anno 1700 canoniae Lucensi in Moravia ». Ita N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 445.

[46]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 25.

[47]) Praepositus Neoreischensis tunc erat Matthaeus Sebastansky (annis 1686-1687). Ab anno 1654 praeposti erant infulati; anno 1733 tandem dignitatem abbatialem obtinuerunt. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 302-304.

communicentur, et inviolabliter antecedens iam statutum ut ad Monasteria singula, singula quoque brevia mittantur observetur. Deinde ut si provideatur ob occursum festorum officia Defunctorum diutius esse differenda, ea omnino acceleranda esse, etiam non habito respectu ad festa duplicia, ne purgantium animae solatiis suis destituantur ; Sacris quoque Virginibus nostris in Christo Sororibus inscribendus est titulus ipsi brevi quod ad eas mittitur: Venerabiles Religiosae Virginis in Christo et Sanctissimo P. Norberto Dilectissimae.

5° Singulariter monentur Patres Priores, aliique Superiores, ut sibi commissis Religiosis serio inculcent, ne in Visitationibus, non attento iuramento, quod emiserunt, aliquid celent, quod reformatione aut cautela eget, neve Secreta Visitationis apud extraneos divulgent ; gravem poenisque Statutorum commemoratam animadversionem irremissibiliter alioquin experturi.

6° Cum solidam causam praesupponat dispensatio, eaque quae Superioribus altiori decreta sunt Praelatorum prudentia et fidei sint concredita. non subdita voluntati, et legum vigor dissolvitur, si temeraria dispensatione et levi ex causa laxentur ; charitative Rssmus Dominus Vicarius Generalis eos, ad quos dispensandi potestas spectat, cohortatus est, ut dispensationis regulas attendant ; et hinc quae a Capitulis Generalibus circa ieiunia dispensationi solius Reverendissimi D. Vicarii Generalis reservata sunt, nullius privati Praelati authoritate laxentur ; neque unus idemque dispensationis actus uno anno ad alterum, vel plures annos extendatur.

7° Proposuit itidem Rssmus Dominus Vicarius Generalis ab aliquibus male supponi quasi sibi Visitatio in temporalibus non competat, eo ipso enim quod Vicariatus Diploma in omnibus clausulis sine ulla limitatione ab Augustissima Caesarea Maiestate sit confirmatum, competit ipsi Vicario plena et omnimoda potestas temporalium statum, (p. 17) ex integro habere perspectum, non obstante quacunque allegatione Iuris aut consuetudinis in contrarium.

8° Reverendissimus autem Vincentinus [48]) petiit actis Capituli inseri Summam Pecuniarum in praecedenti Capitulo taxatam, qua Vincentina Ecclesia Pernecensi obligabatur, ex integro Ipsi Reverendissimo Domino Pernecensi fuisse persolutam, quae insertio in vicem firmioris quictantiae subserviet ; et Amplissimum Capitulum admisit, ut inseratur.

9° Similiter institit idem Reverendissimus Dominus Vincentinus,

[48]) Abbas S. Vincentii Wratislaviensis. Vide n. 21.

ut assecuretur Amplissimi Capituli testimonio actis inserendo, quod Reverendissimum Dominum Lucensem [49]) plene contentaverit ; verum D. Lucensis protestatus est contra hoc petitum et institit pro dilatione, donec in archivio Ecclesiae sua documenta discusserit, an forte non alia praetensio contra Vincentinam Ecclesiam extet ; annuit Capitulum et Reverendissimo Domino Lucensi pro dilationis termino anni dimidium a publicatione actorum Capituli computandum constituit.

10° In puncto vero praecedentiae a Rssmo Domino Pernecensi contra Reverendissimum D. Cotieschovicensem [50]) ob allegatam fundationis seu Ecclesiae Pernecensis antiquitatem, Reverendissimum Capitulum pariter in Reverendissimum D. Vicarium Generalem compromisit, ut ipse extra-capitulariter procedat ; et exhibitis sibi documentis partis utriusque, quae ipsi Reverendissimi Competitores submittere non different, negotium controversum determinet.

11° Quaesitum fuit quis versus in commemorationibus sub Laudibus habendis accipiendus sit, an ille qui habetur post Te Deum laudamus, an alter ante Antiphonam ad Benedictus ? Responsum est, quod ille ad Benedictus.

12° Pariter quaesitum fuit, an Parochi Regulares venientes ad Monasterium potestatem habeant seligendi sibi Confessarium alioquin authoritate Episcopi pro secularibus approbatum, iis neglectis quos Rssmus Dominus Praelatus pro Conventu deputat ? Et decisum est Parochis talem potestatem nullatenus competere.

13° Talliarum collector deputatus admodum R. P. Prior Strahoviensis.

14° Movit finaliter Rssmus Dominus Siloensis [51]), quod per incorporationem Monasterii Milovicensis [52]) in perpetuum videatur Monasterio suo Siloensi fieri praeiudicium, si quidem omnia Iura quae Ecclesia Siloensis in Milovicensem Iure Paternitatis quondam habuit, eo ipso sint extincta. Cui replicuit Rssmus D. Vicarius Generalis, ea ipsa Iura (p. 18) et praetensiones omnes et singulas iam pridem per specialem transactionem praehabitam Ecclesiae Siloënsi fuisse sublata ; ut vero futuris temporibus nulla emergat dubitatio

[49]) Gregorius Klein. Vide n. 14.

[50]) Abbas Chotischoviensis (Chotesov, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat tunc Michael Kastl (annis 1666-1698). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 287.

[51]) Milo Strobl. Vide n. 7.

[52]) Milovicium. Vide n. 33.

aut disceptatio super huiusmodi Iuribus ad maius firmitatis robur et pacis stabilimentum convenit inter Rssmum et Amplissimum D. Dominum Hyacinthum Abbatem Strahoviensem et Vicarium Generalem [53]) atque inter Rssmum et Amplmum D. Dominum Milonem Abbatem Siloensem [54]), ut facta inter antecessores ipsorum in priori Capitulo Zabrdovicensi [55]) conventio firma maneat, ac inviolabilis, quae hic et nunc renovata censeri debet, sublato utrique Ecclesiae Strahoviensi et Siloënsi, omni iure super praetensionibus occasione incorporationis praetactae, qualitercumque allegabilibus.

15° Demum Rssmus D. Vicarius Generalis de charitativo et pacifico Conventu Rssmorum DD. Praelatorum, aliorumque Capitularium plurimum consolatus, eorumque promptitudinis zelo pro gloria incremento Sacratissimae Religionis nostrae collaudato, omnes et singulos hortatus est ad exactissimam Statutorum Capituli praesentis ac uniformitatis quoad coeremonias observantiam ; et facta generali confessione impertitaque ac Rssmo Domino Vicario Generali solemni Benedictione praesenti Capitulo finis est impositus. Lecta ac publicata fuerunt haec omnia Anno a partu Virgineo Millesimo sexcentesimo Octuagesimo primo, die decimo mensis Octobris ; in ipso Capituli conclavi intra Ecclesiam Strahoviensem, et a Rssmis et Amplssimis D. Dnis Praelatis authographo et abbatialis sigillo, ab aliis propria manus subscriptione subsignata et roborata ; et est ita signatum.

Fr. Hyacinthus, Abbas Strahoviensis et Vicarius Generalis cum sigillo [56]).
Fr. Milo Strobel, Abbas Siloënsis cum sigillo.
Fr. Norbertus Abbas Gradicensis [57]).
Fr. Gregorius Klein Abbas Lucensis.
Fr. Andreas Abbas S. Vincentii [58]).
Fr. Fridericus Abbas Teplensis [59]).
Fr. Godefridus Abbas Zabrdovicensis [60]).

[53]) Hyacinthus Hohman. Vide n. 1.
[54]) Milo Strobl. Vide n. 7.
[55]) Locum habuit anno 1677. Vide Acta, supra, pp. 108-127.
[56]) Hyacinthus Hohman. Vide n. 1.
[57]) Norbertus Zelecky. Vide n. 8.
[58]) Andreas Gebel. Vide n. 21.
[59]) Fredericus Uhl.
[60]) Godefridus Olenius.

Fr. Fridericus Abbas Geracensis [61]).
Fr. Andreas Abbas Plagensis [62]).
(p. 19) Fr. Dominicus Gürnd Praepositus Doxanensis [63]).
Fr. Michael Praepositus Cotieschoviensis [64]).
Fr. Franciscus Praepositus Pernecensis [65]).
Fr. Matthaeus Praepositus Neoreyschensis [66]).
Hi omnes subsignarunt cum sigillo, et infra
Fr. Franciscus Waldhauser Capituli Secretarius.
Et folio verso ita subsignarunt
Fr. Erasmus Prior Strahoviensis cum parapho.
Fr. Rudolphus Prior Vincentinus.
Fr. Engelbertus Prior Teplensis.
Fr. Godefridus Prior Zabrdovicensis.
Fr. Josephus Prior Neo-Reyschensis.
Fr. Franciscus Supprior Siloënsis.
Fr. Hieronymus Flode Supprior Gradicensis.
Fr. Hugo Schmidt Collegii S. Norberti Rector.
Fr. Nicolaus Iavornicius pro Parochis Strahoviensibus.
Fr. Bernardus Wancke, pro Parochis Gradicensibus.
Fr. Augustinus Keindl pro Parochis Lucensibus.
Fr. Wilhelmus pro Parochis Doxanensibus.
Fr. Gilbertus Heil, pro Parochis Teplensibus.
Fr. Maximilianus Pfendler, Notarius Capituli, et pro Parochis Zabrdovicensibus.
Fr. Augustinus Rükmüller, pro Parochis Geracensibus.
Fr. Augustinus Koch pro Parochis Plagensibus.
Fr. Leopoldus Steixner, pro Parochia Pernecensi.

(p. 20) Michael Colbert Abbas Praemonstratensis Eiusdemque Ordinis Caput et Reformator Generalis, Christianissimo Francorum Regi a Consiliis Universis praesentes litteras inspecturis salutem. Visis per nos, examinatis, diligenterque consideratis omnibus et singulis Decretis Capituli Provincialis Circariae Bohemiae superius

[61]) Fredericus Urtica.
[62]) Andreas Schmidt.
[63]) Vide n. 16.
[64]) Michael Kastl. Vide n. 50.
[65]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 25.
[66]) Sebastianus Sebastansky. Vide n. 47.

transscripti ; lectis etiam litteris adm. Reverendi Domini Abbatis Strahoviensis nostri in praedicta Circaria Vicarii, quibus eorumdem Decretorum confirmatio a nobis humiliter postulatur. Nos postulationi annuere volentes, praedicta Decreta approbamus ; nonnullis tamen, ut sequitur, benigne explicatis.

Inprimis ad dubia circa cantum proposita penitus resolvenda, necessarium duximus usum magis magisque commendare, et illud Regulae praesertim insinuare: nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum, quod autem non ita scriptum est, etc. Hoc enim diligenter observantes, vestra erit iucunda decoraque laudatio. Ut autem omnimoda coeremoniarum conformitas in Provincia vestra cum toto Ordine introducatur, et diversitas tollatur, Ordinarii praescripta ubique observari mandamus, contrariis usibus, seu potius abusibus penitus interdictis [67]). Et quia sub praetextu religionis sive honoris erga Sanctos, festorum multiplicatio plerumque fit Defunctorum oblivio, officiique Divini imminutio, districte inhibemus novas festorum institutiones seu evectiones, sive Ecclesiae Patronorum sive Provinciarum, et in eo nihil innovetur, ultra quod Capitulis Generalibus concessum est [68]). Distributionem temporis a Capitulo Provinciali Fratribus studentibus praescriptam non tantum approbamus et laudamus, sed ab omnibus R. E. adm. D. Dominis Praelatis in scholis suis observari, cum coeteris decretis volumus, reservata nobis ex succesoribus nostris et Capituli Generali, ea vel ex toto, vel ex parte mutando vel annullando dispensandi facultate [69]). Mandamus in virtute sanctae obedientiae nostro per Circariam Bohemicam Rdo admodum Vicario ut Decreta praedicta Capituli, prout praefertur, a nobis confirmata statim publicet et ab omnibus Circariae dictae RR. admodum D. Dominis Praelatis, Religiosis et subditis acceptari et observari procuret, sub poenis contra inobedientes per Iura et statuta nostra. In quorum finem praesentes manu nostra (p. 19) et Secretarii nostri subscriptas, sigilli nostri impressione iussimus communiri.

[67]) Plura de Cantu et de praeceptis Ordinarii modo speciali servanda, proposita erant in Sessione 2ª Capituli huius, num. 1-20; 23; 28-31. Vide supra, p. 132-136.

[68]) Vide de hac re, n. 26-27 sessionis 2ae Capituli huius. Vide supra, p. 135.

[69]) Vide n. 21-22 sessionis primae, num. 1-5 sessionis secundae huius Capituli, supra, p. 134.

Datum Praemonstrati, die 11ma Januarii 1682.

Fr. Michael Colbert abbas Praemonstratensis,
et Generalis.

(L. S.)

De mandato Illmi Dni mei Praemonstratensis.

fr. Ludovicus.

Concordat cum suo originali

Fr. Hyacinthus Abbas et Vicarius
Generalis (autograph.)

(cum sigillo)

9

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Lucensi Anno 1687

Reverendissimorum ac Amplissimorum Dominorum Abbatum ac Praepositorum Admodum Reverendorum ac Venerandorum Patrum Priorum, aliorumque Canonicorum Capitularium Candidissimi Ordinis Praemonstratensis in Circaria Boëmiae et incorporatis Provinciis.

indictione

Admodum Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini Hyacinthi Hohman [1]) dicti Sacri Ordinis inclytae Ecclesiae Strahoviensis Abbatis, per Bohemiam, Ungariam, Moraviam, Austriam, Silesiam, Vicarii Generalis, et Visitatoris.

In Ducali Ecclesia Lucensi [2]) in Moravia A° 1687, 8 septembris et subsequentibus diebus canonice celebratum.

(p. 3) Plantatio coelestis ipso sanctissimi Patriarchae nostri Norberti effatu, Religio nostra Praemonstratensis, quam coelestis Pater plantavit, ne ulla ratione incipiat eradicari, aut dormientibus Patribus familias, inimicus homo zizania superseminet, quin potius multa refulgens gloria meritorum, et gratia redolens sanctitatis, palmites suos a mari usque ad mare extendere pergat, fructumque proferat in tempore suo, Reverendissimus, ac Amplissimus Dominus Dominus Hyacinthus [3]) Abbas Strahoviensis et per Circariam Bohemiae Vicarius Generalis, pro suo in propagationem sacri Ordinis zelo, et industria, conformiter ad Tridentinum Concilium sess. 24. de reformatione c. 2. decretum et statuta Ordinis distinctione 4. c. 9. puncto 1. [4]) authoritate Reverendissimi et Illustrissimi Domini Domini Pa-

[1]) Hyacinthus Hohman, abbas Strahoviensis (in urbe Pragensi), annis 1679-1690. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 931 s.; L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I, p. 392.

[2]) Klosterbruck (Louka). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, col. 87-94; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 297-299.

[3]) Hyacinthus Hohman. Vide n. 1.

[4]) Idem fere dicebatur in limine Capituli Provincialis praecedentis anni 1681, praeside eodem H. Hohman. Vide supra, p. 128 s.

tris Generalis Capitulum Provinciale in Ducali Ecclesia Lucensi, Die 8 Septembris, currentis Anni 1687 celebrandum indixit, missis prius ad omnes Ordinis nostri intra Circariam Ecclesias patentibus, quibus Reverendissimos ac Amplissimos Praelatos, Admodum Reverendos ac Venerabiles Patres Priores, aliosque qui de Iure, et consuetudine Capitulo Provinciali interesse debent, evocavit.

Quos etiam ampliandae Praemonstratensis gloriae intuitu prompte comparentes designata die, solitis cum coeremoniis et Conventuali Capitulo Lucensi ad ipsam Ecclesiam, assistentibus sub Infula Reverendissimis ac Amplissimis Dominis Dominis Siloënsi [5]), et Gradicensi [6]) Ordinis in Statutis praescripto, Pontificalibus indutos introduxit. Ubi Missa de Spiritu Sancto solemniter et pontificaliter, per eundem Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem completa, ad conclave capituli processum est, in quo decantato prius Hymno : Veni Creator Spiritus, dictoque Benedicite, Reverendissimi, ac Amplissimi Domini Domini Praelati, dictione Latina per Reverendos Patrem Coelestinum Moizhoniuzsty Ecclesiae Lucensis Suppriorem humaniter sunt excepti ; qua finita ipsemet Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Dominus Vicarius nervose et elegantissime peroravit, repraesentans Amplissimo Capitulo ex quibus motivis, perutilis, et necessaria sit Capituli convocatio, quae spes ex eadem affulgeat, ad Sacri Ordinis profectum, et incrementum dilatandum.

Postquam perorare desiit, Reverendissimi, ac Amplissimi Domini Domini Teplensis [7]), Zabrdovicensis [8]), et Neoreijschensis [9]) Praelati, in manibus Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini

[5]) Milo Strobl, abbas Siloensis (Selau, Zeliv, in hodierna Tchecho-Slovakia) fuit annis 1678-1695. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 817; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 323.

[6]) Norbertus Zelicky, abbas Gradicensis (Hradisch, Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia) fuit annis 1679-1709. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 757; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294.

[7]) Abbas Teplensis (in hodierna Tchecho-Slovakia) tunc erat Gregorius Neidhardt (abbas annis 1682-1688). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II col. 941; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 317.

[8]) Abbas Zabrdovicensis (Zabrdovice, in hodierna Tchecho-Slovakia) tunc erat Maximilianus Pfendler (abbas annis 1682-1695). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1181; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

[9]) Abbas, seu praepositus Neureischensis (Neorisium, Neureisch; Nova Rise, in hodierna Tchecho-Slovakia) tunc erat Carolus Kratschvile (abbas annis 1687-1698). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 339; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 304.

Vicarii Generalis, ipsi, et Amplissimo Capitulo obedientiam, et reverentiam flexis genibus adpromiserunt.

Assumptus est deinde in Secretarium Capituli F. Franciscus Waldhauser Ecclesiae Strahoviensis Canonicus [10]), pro Notariis assumpti sunt Admodum Reverendus Pater (p. 4) Carolus Mitis, prior Siloënsis [11]), F. Ernestus Köller Lucensis Canonicus, et F. Adalbertus Koblitz Strahoviensis, qui omnes genuflexi, et digitis supra pectus positis Iuramentum silentii, et fidelitatis Amplissimo Capitulo praestiterunt.

Complacuit autem Amplissimo Capitulo, ut more hactenus intra Provinciam usitato Definitores controversiarum agant, non singulariter deputati, sed omnes Reverendissimi Domini Praelati, commissio specialiter Reverendissimis ac Amplissimis Dominis Siloënsi et Gradicensi ut acta Capituli revidere assumant, antequam publicentur.

Ratione autem praecedentis antehac controversiae inter Reverendissimos Dominos Pernecensem ex una, et Chotieschoviensem ex altera parte [12]), in praeliminaribus nihil concludi potuit, defectu instrumentorum necessariorum, quae sub manibus Reverendissimi Domini Geracensis sunt [13]), et per oblivionem Viennae fuerunt relicta ; unde iussus est idem Reverendissimus Dominus Geracensis, ut per Cursorem proprium adhuc durante Capitulo eadem adferri, et Reverendissimis Provincialibus exhiberi faciat, ut tandem haec controversia queat terminari, idipsum flagitante Reverendissimo Domino Chotieschoviensi [14]).

Pluralitate votorum conclusum pariter fuit, ut Prior Milovicensis, redacta in qualitatem Prioratus, per antecedens Provinciale Capitu-

[10]) Franciscus Waldhauser, etiam in Capitulo provinciali praecedenti anno 1681, munere secretarii Capituli functus erat. Per plures annos (1681-1689) rector fuit Collegii Norbertini Pragensis; anno 1689 praepositus Doxanensis constitutus; moritur 12 junii 1692. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes...*, II, p. 360 s.

[11]) Carolus Mitis, canonicus Siloensis, per plures annos prior Siloensis, deinde prior Neurischensis. Scripta quaedam ipsius ad nos pervenerunt. Obiit 2 aprilis 1714. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, I, p. 596.

[12]) De hac quaestione fuse tractabatur in Capitulo provinciali anni 1677, in sessione prima, et in sessione septima. Cfr. p. 110; 122; iterum in Capitulo provinciali anni 1681, in sessione prima. Cfr. p. 130.

[13]) Abbas Gerusenus (Geras, in Austria inferiori) tunc erat Fredericus Urtica, abbas annis 1674-1693. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.

[14]) Abbas Chotieschoviensis (Chotesov, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat Michael Kastl (abbas annis 1666-1698). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 287.

lum Milovicensi ecclesiae, quae olim a secularibus usurpata [15]), et tamquam Regium Cameraticum dominium ad diversos Possessores per Tabulas Regias transiit, ab Augustissimo autem Imperatore Ferdinando secundo gloriosissimae memoriae, ad manus et dispositionem Reverendissimi Domini Caspari Questembergii p. m. Abbatis Strahoviensis [16]) restituta est, iuxta authoritatem ipsius fundati Monasterii, immediate post priorem Zabrdovicensem, alios Priores Monasteriorum iunioris fundationis, quasi iure postliminii in sessionibus praecedat.

Lectae sunt postmodum literae Reverendissimi Vincentini [17]), quibus absentiam suam propter patentem aegritudinem excusat, et iisdem procuratorem pro ea constituit suum Patrem Abbatem, admodum Dominum Lucensem [18]), cum facultate concludendi, et expediendi sub clausula, grati, et rati, et acceptata est ipsius Reverendissimi Domini Vincentini legitima excusatio.

Indicta est postmodum sessio in meridiem pro hora teria.

Sessio prima

Post meridiem octava septembris.

(p. 5) Dominus Vicarius Generalis non tantum in genere eiusdem strictam observantiam omnibus commendavit, sed etiam statuit in subsequentibus sessionibus specialiter super certis punctis ad Regularem disciplinam, et decorem Ordinis pertinentibus consultare, quo medio efficaciori possint dari executioni.

Deinde, ut tanto amplius Sanctorum cum Deo in coelo regnantium sublevemur meritis, eorumdemque ad sanctitatis, et virtutis sequelam provocemur praeconiis, statuit Amplissimum Capitulum,

[15]) Milovicium (Mühlhausen, Milevsko, in hodierna Tchecho-Slovakia). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 283-286; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 300-302. — De quaestione hic agitata, actum fuit in Capitulo Provinciali anni 1641, in sessione quinta. Cfr. supra, p. 21; et in Capitulo provinciali anni 1677, in sessione septima. Cfr. p. 146 s.

[16]) Gaspar de Questenberg, abbas Strahoviensis annis 1612-1640. « Vir omni exceptione major ». Cfr. C. L. Hugo, II, col. 290; L. Goovaerts, *Ecrivains, Artistes,...* II, p. 71-74.

[17]) Abbas S. Vincentii Wratislaviensis (Wroclav; Breslau) tunc erat Godefridus Czelechowski, abbas annis 1686-1692. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 337.

[18]) Abbas Lucensis annis 1679-1697, erat Gregorius Klein. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 93; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 299.

ut proprium Sanctorum, quorum festa intra Circariam hactenus celebrata sunt, ob defectum exemplarium reimprimantur.

Quia tamen antea editum quibusdam scatet erroribus, dum vel festa praefixa a Summis Pontificibus Martyrologio Romano, aut dioecesano Calendario, die non servato, sed in aliam transponuntur, vel etiam quaedam festa extranea irrepserunt, quorum memoria, nec in Romano Breviario, nec Dioecesi habetur, e contra omittantur alia, quorum intra dioecesim Circariae nostrae observatio est, habito quoque respectu ad decreta Illustrissimi Patris Generalis, tum confirmatorium antecedentis Provincialis Capituli, Pragae Anno 1681 celebrati [19]), quo novae institutiones, et festorum elevationes ultra Generalium Capitulorum concessionem inhibentur, eo quod iussum est in confirmatione penultimi Capituli Zabrdovicii Anno 1677 celebrati, ea duntaxat festa in provincia celebrentur, quae ita passim ab omnibus servantur, ut absque populi offensa omitti non possint. Proinde Amplissimum Capitulum censuit ex singulis Dioecesibus nostrae Provinciae certos deputandos esse, tum ex Rdmis Dominis Praelatis, tum Admodum Reverendis Patribus Prioribus, qui praetactos Proprii Sanctorum defectus examinent, et adhuc durante Capitulo in congruam formam redigant, antequam praelo committantur ; prout ad hunc actum deputavit Reverendissimos Dominos Zabrdovicensem [20]), Chotieschoviensem [21]), et Czarnovacensem [22]) ; ex Prioribus autem Strahoviensem, Vincentinum, Geracensem, nec non Suppriorem Gradicensem.

Similiter optat Amplissimum Capitulum siquidem Breviaria Parisiensia ultimae editionis in plerisque Conventibus deficerent, nec sine magna difficultate et excessivo pretio a Bibliopolis obtineri possint, ut accedente authoritate Illustrissimi Patris Generalis intra Provinciam nostram eiusmodi Breviaria reimprimantur, pro qua gratiosa concessione Reverendissimo, ac Illustrissimo Patri Generali supplicandum esse statuit [23]).

[19]) De hac re, relatio habetur in Actis Capitulo provincialis anni 1681, in sessione secunda, n° 26 et 28° (cfr. supra, p. 135); item in sessione 3a Capituli provincialis anni 1677. Cfr. supra, p. 116.

[20]) Maximilianus Pfendler. Vide n. 8.

[21]) Michael Kastl. Vide n. 14.

[22]) Abbas Czarnovacensis (Czarnowas, in Silesia orientali) erat Balthasar de Gerbert, inde ab anno 1681. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 591.

[23]) De eadem quaestione actum est in Capitulo provinciali anni 1677, sess. 3a. Cfr. supra, p. 116.

Et prout Provincia nostra in omnibus Ecclesiis defacto cum suo, extraneorumque solatio, et devotionis excitamento, graduali et Antiphonario Parisiis recenter impressis utitur [24]) ; ita prompta est, tono Epistolae, Evangelii, Collectorum, Capitulorumque ab Illustrissimo Patre Generali submisso se conformare, modo assecurari possit, (p. 6) quod eiusmodi tonus sit futurus stabilis, ne alioquin eius frequentior mutatio fiat apud seculares cuiusdam censurae, et reprehensionis occasio, cum omnis mutatio non tam periculosa, quam odiosa sit.

Propositum deinde fuit utrum nostra Ecclesia se ritui aliarum Ecclesiarum Ordinis intra Provinciam, quae non tantum Cantica, Magnificat, et Benedictus, sed et Gloria, Sanctus, Agnus Dei, cum organi decantant, tuto conformare possint ? Resolutumque est affirmative ; pro iis scilicet temporibus, quibus organa usus vigore Ordinarii permittitur ; cum praesertim constet experientia, praefatum ritum apud audientes, et cantantes mire devotionem et pietatis aestum excitare, et in speciale fratrum cedere sublevamen, qui eo stabilius in tono, organi adminiculo, et citra eviscerationem nimiam servantur, hoc tamen excepto, ut iuxta Ordinarii praescriptum c. 40, sess. 5. Symbolo Apostolico organum non intermisceatur, sed illud per chorum cantu intelligibili proferatur.

Proposita sunt deinde plura dubia crica Ordinarii, coerimonia-

[24]) De editione ista Gradualis et Antiphonarii Ordinis anni 1680 haec habet L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...* IV, p. 163, p. : « *Loiseau* (Cassien), chanoine de Vicogne (?), était estimé vers 1676 comme étant très versé dans la liturgie et la musique sacrée. Pour ce motif il dut donner ses soins, conjointement avec *trois* autres confrères, à une nouvelle édition de: 1) *Antiphonarium Praemonstratense* Amplissimi Domini *Michaelis Colbert* totius Ordinis Generalis et Capituli Generalis authoritate editum et approbatum Parisiis, sumptibus, opera et studio Guillelmi-Gabrielis Nivers, Christianissimi Regis Capellae musices organistae. 1680. In-4° seu Fol. pp. 408 et LXXXVIII. Hanc 1mam editionem ad antiqua exemplaria MSS. ecclesiae Praemonstratensis, diligenti praehabita collatione, concinnarunt de mandato Dni Abbatis Praemonst. delecti quatuor canonici, scil. Fr. *Benedictus Le Comte* Viconiensis, Fr. *Ambrosius Du bos*, Fr. *Sebastianus van den berch*, Viconiensis, et Fr. *Cassianus Loiseau*, qui illud, inceptum 14 septembr. 1676, absolverunt 5 februarii 1679. Quorum operam et studium suo calculo approbavit D. G. G. Nivers, 15 julii 1680; quo etiam die absoluta fuit impressio praedicti Antiphonarii, typis G. Blaizot, typographi Parisiensis. — 2) *Graduale Praemonstratense... Colbert...* 1680. In-4° seu Fol.: pp. 296 et CIV. Pl. LEFÈVRE, *La Liturgie de Prémontré*, Louvain, 1958, p. 30; W. ROSCHER, *Die Verbreitung, Pflege und Krisis der Liturgische Gesangskultur im Prämonstratenserorden*, in *Anal. Praem.*, XXXVI, 1960, pp. 25-28.

rumque observationem, quorum aliqua specialiter resoluta, alia ad ordinarii contextum consuetudinemque Provinciae remissa sunt, nimiae tamen prolixitatis vitandae causa, actis Capituli nota inseratur sed ad conformitatem in Ecclesiis servandam, in speciali charta consignata singulis extradentur.

Indicta est sessio in crastinum hora matutina octava.

Sessio secunda

Nona Septembris horis matutinis.

Sacrum in Pontificalibus decantavit Reverendissimus Dominus Siloënsis [25]) de Beata Virgine. Occasione paucitatis fratrum, in quibusdam ecclesiis oborta est quaestio, quis numerus fratrum requiratur ad hoc, ut iuxta praescriptum Ordinis Divinum Officium cantando persolvere teneantur ? et resolutum est, difficulter statui posse generalem Regulam ; eo quod personae cantantium viribus, et vocibus sunt impares, habendaque sit ratio vastitatis, et dispositionis Ecclesiarum aut Chori, in quibus diversa est resonantia, et voces cantantium alicubi absorbeantur, alibi sonore personent, ideoque in casu, quo ne sex quidem personae religiosae in choro inveniuntur, commissum est conscientiae Reverendissimorum Dominorum Praelatorum, et spectata praecise necessitate, et virium quantitate suorum Religiosorum, habitoque respectu ad dies Dominicos, et festivos, hac in parte statuant, quod in Domino (p. 7) iudicaverint hoc tamen proviso, ut casum necessitatis non trahant in consuetudinem ; nec non ubi sunt sex numero fratres viribus sufficientes in choro, distractis maxime in cura animarum aliis Officium divinum cantare debeant.

Et quia Illustrissimus Pater Generalis cum conventu S. Vincentii dispensavit, quoad persolutionem de media nocte, usque ad coepti Conventualis aedificii consummationem, favetur iisdem ab Amplissimo Capitulo haec gratia, quae, et ad Neoreischenses extenditur, sed pro tempore tantum aestivali, quo scilicet Religiosi per aedificantium tumultus incommodantur et perturbantur.

Aestimat Amplissimum Capitulum privilegium a Summis Pontificibus concessum Provinciae nostrae, ut fratres nostri tanquam veri Canonici, canonicorum cathedralium more sub divino officio uti possint rochetis ; hinc praecipit, ut illae Ecclesiae in quibus de facto

[25]) Milo Strobl. Vide n. 5.

usus rochetorum non est, sibi eadem eo citius comparent, et adhibeant, quoties autem rochetorum, toties et byrethorum usus esse debeat.

Festis Duplicibus occurrentibus infra octavam Assumptionis B. V., festo hoc elevato ad Triplex lae classis, praefatio in Missa dici debet, non de festo sed B. V., prout ex dispositione Missalis Ordinis in Duplicibus de Sanctis infra octavam Nativitatis Domini, et Epiphaniae occurrentibus, Praefatio de Nativitate, et Epiphaniae praefigitur.

Sub recitatione Psalmorum, et lectionum utriusque officii, itemque in Missa sub Epistola, et Offertorio, quoniam in regione nostra aura est inclementior, fratresque catharris, et defluxio magis obnoxii sunt, indulgetur iisdem, ut caput pileolo albo tegere possint.

Capituli Generalis novissimi decreta sibi corde sumens, Amplissimum Capitulum, volensque omnem luxum et curiositatem in vestitu omnino exclusum, innovat constitutiones praecedenti Capitulo A° 1681 Pragae celebrato factas, et sessione 3. et 6., et sequentibus comprehensas huius tenoris [26]).

Porro ut uniformitati quoad vestitum pro qua introducenda praesens sessio indicta fuit, congrue esset provisum, Amplissimum Capitulum serio mandavit, ut omnes novitates, aut vanitates in vestibus, quae candidissimae Religioni minus congruunt, simpliciter ac quam primum abrogentur, ac deinceps solerti vigilantia praecaveantur, ac in specie sequentia statuit observanda.

7. Mitrellis seu pileolis sericis, sicut et muffulis pretiosis ex pellibus, vel alia ratione utentes, puniantur triduana sessione in terra.

(p. 8) 8. Caputia in forma, et dimensione aequalia sint, nec ad modum mozettarum accedant.

9. Cingula quae in morem retis contexta sunt, vel quae ad Praelatorum cingula accedunt, privatis serio interdicta sunt ; et coetera quae ibidem sequuntur.

Hinc Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis advertens ab aliquibus extra dignitatem constitutis, eiusmodi cingula, quae Praelatorum cingulis, quoad formam saltem assimilantur, contra inhibitionem antea factam usurparit, ut propediem eadem deponant, neque ulterius in iis comparere praesumant, mandavit.

Et ne pariter saluberrima lex de abstinentia, et esu carnium die-

[26]) Acta hujus Capituli supra edita sunt, p. 137 et 142.

bus et temporibus in Bulla Iulii II concessis [27]) vilescat, dissimulanterque labefactetur, quae olim tot Summorum Pontificum iussionibus stabilita est, praecipit stricte Amplissimum Capitulum, non tantum omnibus, et singulis Religionis nostrae Canonicis, Parochis, Beneficiatis, studentibus, conversis, sanctimonialibus, ut se exactissime observantiae huius sacrae constitutionis foris et intus conforment, sed et ipsi Reverendissimi Domini Praelati meminerint, se formam sui gregis factos, ad haec eadem non solum, quoad vim directivam, sed et coactivam obstringi.

Praeterea quia innotuit a quibusdam Illustribus Personis ad residentias Praelatorum quandoque annuae visitationis causa accedentibus, contra Praelatorum voluntatem, quasdam committi levitates, quae dignitatem Religiosi, et Sacri domicilii minus decent ; providit Reverendissimum Capitulum, ut ad ulteriores eiusmodi levitates, et exinde metuendos abusus penitus praepediendos, formetur severissimum decretum, quo Reverendissimi Domini Praelati obligentur, ad contradicendum aut excusandum, si quispiam eiusmodi levitates attentare vellet, prout in praesentiarum omnes et singulos ad contradicendum gravissime obstringit, quod ipsum in sui executionem apud Illustres Personas deserviret. Nec minus interdum a saecularibus personae Religiosae provocantur, ut se inani et damnoso studio lusus foliorum immisceant ; iussu Amplissimi Capituli, quoniam sacris canonibus id ipsum contravenit, et non nisi ad iacturam pretiosissimi temporis (quod ad salutis meritum impendere interest) post se trahit, nonnunquam cum notabili facultatum monasterii dispendio, omnes et singuli ab eiusmodi foliorum lusu, etiam ad vitandum apud pusillos scandalum abstinere, et abhorrere teneantur.

Repraesentavit postmodum Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, non sine magno scandalo in visitationibus regularibus deprehendi dissolutiones, et lapsus Religio- (p. 9) sorum, notissimus ex hoc fonte promanare, quod Novitii probationis sui tempore debite non instituantur, vel defectu congrui, et sufficientis Magistri, vel quia ipse Novitiatus anno ad obedientias, et functiones spiritum dissipantes, vel etiam post annum unicum facta Professione illius ad

[27]) Bulla ista, anno 1503 publicata, quibus Patribus Ordinis conceditur potestas ut vetera Statuta mutent, minuant, tollant, novaque, necessitate hoc exigente, condant et promulgent, edita est in Statutis anni 1630. Ed. Averbodii, 1896, pp. XXII-XXXIII. Statuitur in illa Bulla quibus diebus a sodalibus Ordinis, ordinante S. P. Iulio II, a carnibus sit abstinendum.

studia literarum applicentur, adeoque unicum summe expediens, et necessarium remedium superesse, institutionem communis Novitiatus, in quo iuventus pietate, moribus, et ritibus Ordinis melius imbuitur, et mutuo convictu, maiori charitate secuturis temporibus in unum coalescit.

Consultatum proinde est, quo medio tam salubris cogitatio in opus redigi, et an non monasterium Caunicense [28]) in Moravia, quod plurium annorum lapsu suis in ruderibus et pulvere delitescit, saltem quoad Ecclesiam, et eam fundi partem, cui olim conventus inaedificatus erat, a Celsissimo Principe Dietrichthem, nunc boni illius possessore, ad hunc effectum impetrari posset, una cum beneficio, seu Decanatu ibidem erecto, etiamsi ius Patronatus, quod praefato Principi in eum Decanatum competit, cum alio beneficio, seu iure Patronatus ad Ordinem spectante commutari oporteret. In quem finem deputati ad hoc in praecedentibus capitulis Reverendissimi Domini Commissarii suae expeditionis successum, et Celsissimi Principis inclinationem pluribus retulerunt, addentes, tum pietatis erga Ordinis, et fundatorum Personas, quarum corpora ibidem sine honore delitescunt, animae autem indubie in coelestibus cum Christo regnant ; tum obligationis, fidelitatisque erga Sacratissimam Religionem nostram esse, ut locus ille olim Deo sacratarum Virginum non ignobile asceterium, opportunis mediis, a manibus aliorum vindicetur.

Super qua propositione, quae longiorem consultationem requirebat, tractatio dilata est ad pomeridianam sessionem.

Sessio tertia

Nona Septembris a meridie.

Discusso quibusnam mediis Kaunicensis saltem Ecclesia in casu restitutionis, et simul cessionis parochialis beneficii cum Iure Patronatus repurgari et restaurari posset, deprehensoque alia media non suppetere, nisi Domini Comprovinciales pecuniario subsidio intuitu pietatis debitae erga Ordinis fundatorum personas ibidem in Christo quiescentes opus promoveant, Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, prompte, et ex eodem motivo commiserationis erga defunctos obtulit 750 th., Reverendissimus Dominus Siloensis 500 th.,

[28]) De hac re jam actum erat in Capitulo provinciali anni 1681, sess. 5a, n. 2°. Cfr. supra, p. 141.

Reverendissimus Dominus Gradicensis (p. 10) 750 th., Revendissimus Dominus Lucensis 500 th., et procuratorio nomine pro Reverendissimo Domino Vincentino alios 500 th., Reverendissimus Dominus Teplensis 400 th. ; Reverendissimus Dominus Zabrdovicensis 450 th. ; Reverendissimus Dominus Geracensis 50 th. ; Reverendissimus Dominus Doxanensis 400 th. ; Reverendissimus Dominus Choteschoviensis 400 th. ; Reverendissimus Dominus Pernecensis 30 th. ; Reverendissimus Dominus Neoreiscensis promptam voluntatem obstante notoria suae Ecclesiae inopia, Reverendissimus Dominus Czarnovacensis 50 th. Ita tamen, ut ad ipsam charitativum subsidium citius extradere ad manus Reverendissimorum Dominorum Commissariorum pro reparationis promovendae negotio deputandorum nemo teneatur, nisi actualiter facta restitutione Ecclesiae, et spatii antiqui Conventus, et cesso beneficio cum Iure Patronatus.

Et ut eo ferventius restitutionis et cessionis negotium procederet, deputati sunt ab Amplissimo Capitulo Commissarii Reverendissimus Dominus Gradicensis [29]), et Reverendissimus Dominus Zabrdovicensis [30]), qui sua dexteritate Celsissimum Principem ad hoc sanctum opus disponere conabuntur, in quem finem iisdem Reverendissimis Dominis plenipotentia adpromissa est.

Interim donec praeconcepta de communi Novitiatu erigendo salutaris intentio hunc sortiatur effectum, provide circa institutionem Novitiorum decrevit Amplissimum Capitulum, ut Novitii ante lapsum unius et medii anni ad professionem non admittantur, quo uberius instrui, eorumdemque constantia eo securius probari queat. Deinde ut ab emissae professionis tempore intra subsequentis medii anni spatium nulli obedientiae, multo minus studiis applicentur, ne spiritu vocationis deficiant, sed spirituali profectui unice intenti, exercitia ordinaria frequentare continuent.

Prout, et Magister Novitiorum in propriis domibus pro possibili talis seligendus est, qualem Statuta Ordinis requirunt, quique nulli alteri obedientiae aut officio, maxime Prioris, applicandus, ut solum institutioni Novitiorum queat incumbere, ad quam facilitandam, promisit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis certam formam et methodum instruendi et formandi Novitios communicari ad quam faciendam omnes Magistri Novitiorum intra Provinciam obligati erunt.

[29]) Norbertus Zelicky. Vide n. 6.
[30]) Maximilianus Pfendler. Vide n. 8.

Si vero in propriis domibus aptus Magister non inveniatur ex aliis Monasteriis qualificatum petere conscientiae Reverendissimorum Praelatorum incumbit.

Quia etiam regimen animarum ars artium est, et scientia scientiarum, Reverendissimi Domini Praelati habito selectu digniorum, eos tantum ad Parochias promovere satagant, de quorum pietate, sufficienti doctrina, et in virtute constantiae notitiam habent, scientes iuxta Tridentinum sess. 7., c. 4 de reformatione, (p. 11) quod si indignos scienter provexerint, in provehentium caput refundendum sit quod promoti deliquerint, et quod omne damnum dominico gregi per tales collatum sit ab eis repetendum.

Et cum fieri assolet, ut minus apti ipsis Praelatis suis ac monasteriis graves, se impudenter nitantur ingerere et currere volunt, sed non ex Deo, hinc ad Parochias promovendi, et ad maiores ordines mittendi, etiam vitandae in Consistoriis confusionis causa, praevio domestico examine deinceps rigorissime tentandi sunt super perficientia doctrinae, et impares deprehensi, domi retineantur, ne alioquin illud Sancti Bernardi Serm. 18 in Cantica in eosdem quadret ; ad ruinam namque suam ibi fluenta coelestia alia administrant, qui ante infundere quam infundi volunt, loqui quam audire paratiores, prompti docere, quod non didicerunt, aliis praeesse gestientes, qui se ipsos regere nesciant.

Etsi quidam Parochi ignorare non debent se paupertatis voto obstrictos esse, et tamquam pauperes Christi nihil possidere posse, declarat et praecipit Amplissimum Capitulum, ut quod frugali suae sustentationi superfluit, Praelatis suis resignent, non tantum ad arbitium Visitatorum, sed etiam propriorum Praelatorum, qui etiam teneantur specificam, non tantum rerum sibi ad usum concessarum, sed et acceptarum et expensarum omnium, cum expressione creditorum et debitorum rationem reddere Praelatis suis, sub poena excommunicationis, ipso facto incurrendae ; neque reluctari debent, si ad arbitrium Reverendissimorum suorum Praelatorum, ad spiritualia exercitia in monasterio facienda evocentur, nisi pro rebellibus et inobedientibus haberi velint.

Tandem ne Parochi, vel etiam alii ullam ignorantiam circa decreta in Capitulis generalibus et Provincialibus, pro ipsis vel regularis observantiae gratia facta, in culparum suarum excusationem praetexere queant, extractus eorundem decretorum faciendus et compilandus, illisque iussu Amplissimi Capituli pro pleniori notitia communicandus, qui et singulis annis, postquam lecta sunt communia

Sacra Ordinis Statuta, idem extractus Capitulorum Generalium, et Provincialium publice legendus est.

Indicta est sessio hora matutina non in crastinum.

Sessio quarta

Habita decima Septembris horis matutinis.

Pontificaliter habuit sacrum de Sanctissimo P. Norberto Reverendissimus Dominus Gradicensis Visitator [31]).

Lecto in hac sessione decreto felicis recordationis Urbani VIII. Item (p. 12) Cap. 3. Dist. 3. Statutorum [32]), Reverendisimus Dominus Vicarius Generalis non sine gemitu retulit, etiam in Provincia nostra quosdam reperiri, qui nec culpas verentur admittere, nec poenitentiam volunt ferre, nec se cupiunt emendare, et si diutius in sacra Religione sustineantur, non abesse periculum, ne contagione pestifera plurimos perdant, quibus processus eiectionis formandus est.

Quia vero huiusmodi causae cognitio ex dispositione iuris, et sacri Concilii Tridentini, Statutisque sacri Ordinis, Reverendissimo ac Illustrissimo Patri Generali est reservata, eidemque tanquam potestas ordinaria competit, et idcirco alteri, servatis de iure servandis delegari potest, optat et instat Amplissimum Capitulum, ut Reverendissimus ac Illustrissimus Pater Generalis dignetur hanc suam potestatem Reverendissimo Domino Vicario Generali nostrae Provinciae committere, ut is cum consilio sex Abbatum instituto secundum formam Ordinis nostri processus, causisque expulsionis plene probatis, nec non aliis requisitis ad amussim observatis contra incorrigibiles procedere queat, et consideratis, ne ob itinerum distantiam, per quam difficile esset, processum Praemonstratum usque remittere, vel Capitulum Generale expectare.

Coeterum quod Provinciam nostram gravat, et in magna damna praecipitat est quod plurimi Religiosi Ordinis aliarum Provinciarum intra Provinciam nostram vagentur, praetexti nonnunquam suppositiis Superiorum literis, et licentiis ementitis, qui si tollerentur, scandala enormia perpetrant, et bonum odorem Praemonstratensium

[31]) Norbertus Zelicky. Vide n. 6.

[32]) Agitur in illo capite Statutorum de culpis gravibus. De tali Bulla iam sermo fuit in Capitulo provinciali anni 1677, sess. 6a; cfr. supra, p. 120. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 535 s.

foetere faciant, ita ut Personae Illustres Ordinem despiciant, et apta pro Religione iuventus absterreatur. Hinc Reverendissimum Capitulum deprecatur Illustrissimum Generalem, ut ad evitanda eiusmodi mala, Generale decretum eo citius edere dignetur, quo praecipiatur omnibus et singulis Provinciarum Praelatis et Superioribus localibus, ne quos Religiosos nisi ex causa urgentissima ad Provinciam nostram accedere permittant.

Et idcirco renovat Amplissimum Capitulum Constitutionem praecedentis Capituli Zabrdovicii celebrati, quo omnibus et singulis Praelatis provincialibus potestas datur, in extraneos et vagabundos inquirendi, eosdemque coërcendi et captivandi, quam potestatem denuo, et specialiter committit Reverendissimis Dominis Geracensi, et Pernecensi, eo quod maiori anni parte propter officia sua Viennae Austriae resideant, ubi maior vagabundorum est affluxus, eandemque potestatem extendit ad Parochos Ordinis, si in ipsorum Parochia contingat a tali faece scandalum perpetrari [33]).

(p. 13) Exposuit postmodum Reverendissimus Dominus Vicarius generalis, plures esse qui Sacri Ordinis nostri exemptionem et libertatem impetere Privilegiaque labefactare moliuntur, et ideo ab Amplissimo Capitulo provisio facta est, ut ad robustiorem manutentionem immunitatis nostrae et Privilegiorum, singuli Reverendissimi Domini Praelati Privilegia, sive Privilegiorum transsumpta, siquae habent, ad Reverendissimum Vicarium Generalem mittant, ut eadem revideri et compilari, ac postmodum omnibus Reverendissimus compilata, ad specialem capiendam notitiam, quid iuris et exemptionis Ordo noster habeat, communicari queat.

Singulariter Capitulum Reverendissimos Praelatos admonet, ut vigilanter intendant ne Episcopi aut loci Ordinarii in correctione Religiosorum foris degentium terminos suae potestatis excedant, dum causas contra Parochos aut Beneficiatos nostros, vel eorundem excessus, exclusa et denegata proprii Praelati potestate, ad sua Tribunalia evocant ; siquidem Doctrinaliter approbatum est, dispositionem Concilii Tridentini sic intelligendum, ut Episcopi aut fori Ordinarii, non privative, sed cumulative cum Praelatis Ordinis, potestatem habeant de causis et excessibus Religiosorum nostrorum in materia, quae tangit curam animarum et sacramentorum administrationem cognoscendi et iudicandi.

[33]) De hac re egit Capitulum Provinciale anni 1677, sess. 5a. Cfr. supra, p. 119.

Occasione huius constitutionis exposuit Pater Prior Vincentinus ; siquidem confirmatio electionis Praelatorum ad Sanctum Vincentium Wratislaviae a curia Romana obtinenda est, quae tam a praecedenti quam moderno Reverendissimo Domino Abbate, etiam impendio magnorum sumptuum hucusque obtineri non potest [34]), sed modo provisorio eis administrandi potestas conceditur, timendumque sit exinde, ne futuris temporibus id ipsum in sequelam trahatur, imo Ecclesiae Vincentinae alias ab Ordine nostro Abbas modo provisorio intrudatur ; hinc idem requisivit Amplissimum Capitulum, ut in casu suspensae ulterius aut negatae confirmationis, authoritatem suam ad evertenda praeiudicia interponere dignetur ; Cui responsum est, expectari debere quod ad ultimam Reverendissimi Domini Vincentini informationem, curia Romana resoluta, aut factura sit, promisitque iuxta casus exigentiam, suam operam et assistentiam.

Tandem pro conclusione huius sessionis moniti sunt Superiores monasteriorum, siquidem poenae in Statutis taxatae non sunt arbitrariae, sed spectatis circumstantiis, prout iacent, ordinarie imponi debent, ut ipsi eas- (p. 14) dem ad arbitrium suum non moderentur, nec sine gravi causa immutentur.

Indicta est sessio in meridiem.

Sessio 5ta

Decima Septembris post meridiem.

Cum Capitulum Generale Praemonstrati A° 1657 celebratum sessione 23 definiat, et agnoscat eos Monialium Praepositos esse perpetuos, qui a Monialibus eliguntur [35]), et a Patre Abbate, vel alio

[34]) Quaedam de hac re referuntur in Chronico edito a L. SANTIFALLER, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer St. Vinzenz-stiftes*, in *Anal. Praem.*, XXVII, 1951, pag. spect, p. 152.

[35]) Decisio ista Capituli Generalis non iisdem terminis in variis manuscriptis refertur. Ita in ms. Laon 538, p. 756 s., mota dicitur haec quaestio in sess. 23a, decisio vero refertur in sessione 24a; item in ms. Nancy 994 (1767), p. 221 b; in codice vero asservato in Curia Generalitia Ordinis,, Romae, in quo codice et acta huius Capituli anni 1657 referuntur, haec legimus ad sess. 23am: « *Ad quaestionem quaenam obedientia et subiectio debeatur Patri Abbati ex parte Praepositorum Monialium, Diffinit Monialium Praepositos vel esse manuales vel perpetuos; si perpetui, non aliam obedientiam debere Patribus-Abbatibus quam iisdem debent Filii Abbates. Si vero manuales sunt, suis Abbatibus ita esse subiectos, ut possint*

potestatem habente confirmantur, eaque de causa Capitulum Provinciale A° 1665 Lucae celebratum sessione 7, articulo 4. Reverendissimo Domino Czarnovacensi Sanctimonialium Praeposito, concesserit [36]), quem et subsequens Provinciale Capitulum Zabrdovicii A° 1677 habitum, sessione 8, Numero 4°, in specie modernum Reverendissimum Dominum Balthasarum Gerbert verum, legitimum, ac perpetuum Ordinis Praelatum agnoverit, et pro vero, legitimo, perpetuo Ordinis Praelato habendum decreverit [37]), insuper non tantum pro eiusdem antecessore, Capitulum Pragae A° 1659 celebratum, sessione 5. Eminentissimum Cardinalem ab Harrach sanctae memoriae interventionis apud Sanctam Sedem interponendae causa requiri curavit [38]), idcirco praesens Captiulum in Spiritu Sancto legitime congregatum eandem constitutionem innovat et corroborat, Reverendissimumque ac Amplissimum Dominum Dominum Balthasarem Gerbert, non obstante ea, quod in Pragensi Capitulo a pie defuncto Reverendissimo Domino Andrea Abbate Vincentino motum, et post factam transactionem extinctum fuit, verum et legitimum et perpetuum Ordinis Praelatorum, non tantum recognoscit et veneratur, sed et efficax auxilium apud Curiam Romanam pro obtinenda infula et Pontificalium usu spondet, prout et supplicam ad Suam Sanctitatem, hoc durante capitulo ad praetactum effectum expediri demandat, requirentibus id ipsum memorati Reverendissimi Domini Czarnovacensis meritis et magno Religionis zelo ad Praemonstratensium gloriam operatur.

Exposito et operose commendato a Reverendissimo Domino Vicario Generali negotio talliarum Illustrissimo Patri Generali, iuxta submissam specificationem sol- (p. 15) vendarum, lectisque insuper statutis, qua obligatione, ad earundem solutionem Provinciae adstringantur [39]), quamtumvis Reverendissimi Domini Comprovinciales promptissimam suam voluntatem contestati sint, eae tamen allatae

ad nutum et omni tempore amoveri sicut supra dictum est de Prioribus claustralibus. Diffinit etiam Capitulum eos Monialium Praepositos esse perpetuos, qui a Monialibus aliquando eliguntur, et a Patre Abbate vel alio potestatem habente, confirmantur » (l. c., p. 20 s.). In aliis mss. actorum eiusdem. Capituli Generalis dicti, idem realiter edicitur, in sessione 24a.

[36]) Acta huius Capituli non habentur in praesenti Collectario edito.

[37]) Cfr. supra, p. 123 s.

[38]) Cfr. supra, p. 89 s.

[39]) De talliis solvendis Ordini agit integrum caput VII dist. quartae Statutorum anni 1630.

politicae rationes obstant, ut censuerint Illustrissimo Patri Generali humillime supplicandum esse ut hac vice benigne condescendat.

Tallias vero, quae Procuratori Generali Ordinis Romae hactenus persolvi consueverunt, Capitulum non gravata admittit, eo quod rationum politicarum pondus circa Procuratorem cesset.

Similiter Reverendissimus Zabrdovicensis ad actum recuperandorum monasteriorum in Ungaria Commissarius [40]), repraesentato quod circa recuperationem hucusque actum sit, et quod actualiter in Budensi civitate, interventu Eminentissimi Cardinalis Collmiz domum obtinuerit, eiusque possessionem per Ordinis Religiosum capi curaverit, certaque spes affulgeat aliquorum monasteriorum recipiendorum ; siquidem sua sacra Caesarea Maiestas ad hoc est inclinatissima, et status Ungariae indubie suam opem conferet, ubi nomine praesentis Capituli in proxima celebranda diaeta, fuerint requisiti ; ad quod obtinendum subsidium pecuniarium in necessarios sumptus faciendos a Provincia postulabit, consolati sunt hac relatione Reverendissimi Capitulares, Reverendissimoque Commissario recognoscendo eius industriam et zelum ad ulteriorem effectum commissum sibi negotium impense commendarunt.

Quia tamen monasteria omnia gravibus exactionibus in subsidium belli Turcici pressa sunt, et in praesentiarum adhuc premuntur, ut aegre necessitatibus Domesticis ordinarii proventus sufficiant, precise promptam suam voluntatem offerunt, ex aliqua parte, et facultate Ecclesiarum suarum, sumptus factos, secuturis temporibus refundendi, si quodpiam actu de Monasteriis obtentum fuerit.

Interim quia necessitas soli Provinciae nostrae ad subministrandas expensas in eodem negotio non incumbit, sed universi sacri Ordinis nostri interest, commissum est Reverendissimo Commissario [41]), ut Illustrissimo Patri Generali necessitatem repraesentet, ad hoc ut in Provinciis aliis collectam ad recuperationis effectum fieri curet, vel Tallias sibi alioquin constitutas ad id applicare gratiose permittat.

In hac sessione Reverendissimi Domini Commissarii ad formandum Proprium Sanc- (p. 16) torum constituti, factam in eo festorum ordinationem Amplissimo Capitulo praesentarunt, quae dispositio

[40]) Munus recuperandi, pro posse, monasteria Ordinis in Hungaria, in Capitulo Provinciali anni 1681, commissum dicitur abbati Lucensi, N. Pleyer, qui inde ab anno 1679 munus abbatiale abdicaverat. Nunc, in Capitulo anni 1687, idem munus commissum dicitur abbati Zabrdovicensi, Maximiliano Pfendler.

[41]) Agitur de commissario seu de collectario talliarum.

approbata est, hoc annexo, ut festum Sancti Procopii 4 Iulii iuxta Dioecesis observantiam celebretur, festum vero translationis eiusdem omittatur, retenta solummodo commemoratione.

Indicta est sessio in crastinum matutinis horis

Sessio 6

Habita 11 Septembris horis matutinis.

Praelectum, et placidatum fuit ab Amplissimo Capitulo memoriale ad Celsissimum Principem a Dietrichsthem in puncto restituendi Monasterii Caunicensis [42]) ; similiter praelecta fuit supplica ad suam Sanctitatem pro impetratione mitrae et pontificalium Reverendissimo Domino Zabrdovicensi, iussumque est illam meliori forma expediri.

Ipsemet Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis curavit pariter publicari obtentam confirmationem Augustissimi Caesaris super articulo Capituli Pragensis anno 1659 [43]), sessione 4ta comprehenso, quo Milovicense Strahoviensi in perpetuum sub onere Prioratus Miloviciensis certis conditionibus erigendi incorporatur, petiitque ab Amplissimo Capitulo id ipsum ad maius robur acquisiti a Strahoviensibus iuris in Milovicense, actis huius Capituli inseri, quod nunc ab Amplissimo Capitulo est concessum.

Ad lectum Memoriale Reverendissimi Pernecensis [44]), quo tenuitatem fundationis suae et inopiam aegre in quinque personarum alimentationem exposuit, cum tamen ipse defacto mediis magna industria acquisitis solum in conventu quatuordecim religiosos alat, et sustentet, repraesentatoque quod modo venale prostet bonum preto prope 9 millium fr. cuius subsidio propter vicinitatem et commoditates, Pernecensis fundatio vere adiuvaretur et elevaretur, si autem moderni temporis occasio negligatur, in futurum illud pro Pernecensi comparandi spes nulla supersit ; proindeque pro subsidio Reverendissimos Dominos Comprovinciales interpellavit, quorum plerique ex aequis, et rationabilibus causis, se ad liberale subsidium successive persolvendum obtulerunt, hoc proviso, ut cum consilio,

[42]) De hac quaestione iam actum est in Capitulo Provinciali anni 1677, in sessione 6a. Cfr. supra, p. 121 s.

[43]) Cfr. supra, p. 86.

[44]) Abbas Pernecensis (Pernegg, in Austria Inferiori) erat Franciscus von Schöllingen (abbas erat annis 1677-1707). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

Reverendissimorum Dominorum Lucensis et Gradicensis ad id a Capitulo deputatorum circa emptionem illius praedii, et pretii solutionem, Reverendissimus Dominus Pernecensis procedat.

Tractatum deinde fuit, siquidem Capitulum Generale Leodii indicendum (p. 17) foret, an et qui Reverendissimi Domini Praelati ad illud accedere debeant ? Resolutumque est, cum rationes in accessu ad Leodiensem Civitatem quae alias provinciales Praemonstrato arcere possent [45]), omnino illud adeant Reverendissimi, et quidem Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis [46]), et Reverendissimus Gradicensis Visitator, seu Circator [47]), substituto in casum Reverendissimo Domino Pernecensi, si Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis quoque modo impediretur.

Interrogante Reverendissimo Domino Gradicensi tamquam Commissario in puncto recuperandi Caunicensis [48]), quidnam Amplissimum Capitulum decernat, si Celsissimus Princeps a Dietrichshem, Ecclesiam et partem in ruderibus iacentis Conventus quidem cedere vellet, ad cessionem Parochiae Caunicensis via commutationis nequaquam induci posset, num eo casu Ecclesia acceptanda, et ex oblato subsidio restauranda foret ? Ad quod respondet Capitulum inanes fore tunc expensas, cum nullus nostrum ibidem figere pedem et Ecclesia posset uti, conclusitque Capitulum in ulterioribus occurrentibus dubiis super puncto recuperationis Reverendissimos Dominos Commissarios debere recurrere ad Reverendissimum Vicarium Generalem, in cuius personam praesens Reverendissimum Capitulum compromisit.

Praeterea ad eiusdem Reverendissimi submonitionem nullus Patrum Abbatum sibi titulum Visitatoris usurpare debet.

Sub ipsum finem sessionis allatum est instrumentum quod in causa Reverendissimi Domini Pernecensis, contra praecedentiam

[45]) In fine Capituli Generalis anni 1686, decisum fuit Capitulum Generale proxime futurum (praevisum pro anno 1689) convocandum esse in civitatem Leodiensem. Haec dicunt Acta: *Tum Revmus Dominus Praemonstratensis ad preces Dominorum Abbatum Germanorum, una cum Capitulo Generali, indixit locum proximi Capituli Generalis, Dominica Cantate post Pascha anni 1689 celebrandi in Abbatia Belli Reditus in Civitate Leodiensi, sub beneplacito Regis Christianissimi, salvo in omnibus Iure Matricis Ecclesiae Praemonstratensis.* Ms. Nancy 994 (1767), fol. 365 r°.

[46]) Hyacinthus Hohman. Vide n. 1.

[47]) Norbertus Zelicky. Vide n. 6.

[48]) Vide n. 40.

Reverendissimi Domini Chotieschoviensis desiderabatur. Quo viso examinato, recognito, visum est ut in eodem ne mentio Ordinis Praemonstratensis fiat, quod Reverendissimus Dominus Chotieschoviensis relinquendus sit in pacifica possessione praecedentiae, donec Reverendissimus Pernecensis clariora et solidiora fundamenta produxerit, facto compromisso in personam Reverendissimi Domini Vicarii Generalis, ut iis extracapitulariter visis et examinatis utriusque partis documentis et definitivam controversiam terminet [49]).

Lecta, et publicata fuerunt haec omnia A° a partu Virgineo 1656, die 12 mensis Septembris, in ipso Capitulari conclavi, et a Reverendissimis Dominis Praelatis authographo, et Abbatiali sigillo ; ab aliis propriae manus subscriptione signata et roborata.

(p. 18) F. Hyacinthus Hohman, Abbas Strahoviensis, Vicarius Generalis. F. Milo [50]), Abbas Siloënsis. F. Norbertus Klein, Abbas Lucensis et procuratorio nomine procuratorio nomine pro Reverendissimo Abbate S. Vincentii Godefrido [51]). F. Gregorius [52]) Abbas Teplensis. F. Maximilianus [53]) Abbas Zabrdovicensis. F. Fridericus [54]) Abbas Geracensis. F. Dominicus [55]) Praepositus Doxanensis. F. Michaël [56]) Praepositus Chotieschoviensis. F. Franciscus [57]) Praepositus Pernecensis. F. Carolus [58]) Praepositus Neoreischensis. F. Balthasar [59]) Praepositus Zarnovacensis. F. Norbertus Pleijer resignatus Abbas Lucensis. F. Franciscus Waldhauser [60]) Secretarius. F. Vitus Prior Strahoviensis. F. Carolus Prior Siloenis. Frater Norbertus Prior Lucensis. F. Reimundus Prior Teplensis. F. Thomas Prior S. Vincentii. F. Gregorius Prior Zabrdovicensis. F. Alexius Prior Milovicensis. F. Engelbertus Prior Geracensis. F. Paulus Prior Plagensis. F. Petrus Prior Pernecensis. F. Henricus Prior Neoreischensis. F.

[49]) De hac re jam sermo fuerat in Capitulo Provinciali anni 1681, sess. 1a, n. 2°. Cfr. supra, p. 130.

[50]) Milo Strobl. Vide n. 5.

[51]) Godefridus Czelechowski. Vide n. 21.

[52]) Gregorius Niedhardt. Vide n. 7.

[53]) Maximilianus Pfendler. Vide n. 8.

[54]) Fredericus Urtica. Vide n. 13.

[55]) Dominicus Girnth, praepositus anni 1679-1689. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 289.

[56]) Michael Kastl. Vide n. 14.

[57]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 44.

[58]) Carolus Kratschvile. Vide n. 9.

[59]) Balthasar de Gerbert. Vide n. 22.

[60]) Vide n. 10.

Benedictus Supprior, Gradicensis, sacrae Theologiae Doctor. F. Hieronymus praeses montis Praemonstrati, sacrosanctae Theologiae doctor. F. Basilius Schuman Parochus Iglaviensis. F. Nicolaus Fromhaltz Parochus Iastoricensis. F. Ioannes Nerlich nomine Parochorum S. Vincentii. F. Wenceslaus Maij nomine Parochorum Zabrdovicensium. F. Augustinus Korb, nomina Parochorum Doxanensium. F. Ernestus Höller Notarius.

Frater Michaël Kolbert [61]) (!) Dei, et sanctae Sedis Apostolicae gratia Praemonstrati Abbas, totiusque Canonici Praemonstrati Ordinis caput, ac Reformator Generalis, Regi Christianissimo a Sanctioribus Consiliis, etc. omnibus quorum interierit, salutem.

Acta, et decreta Capituli Provincialis Circariae Boëmiae, ipsique adiunctarum Provinciarum Moraviae, Austriae, Silesiae, etc. in Ducali Ecclesia die 8 et sequentibus mensis Septembris Anno 1687 congregati et celebrati integre pervolvimus, iisque omnibus et singulis mature perpensis, et examinatis, ea omnia et singula (p. 19) ut sapienter, et salubriter Ordini sancita, rata habuimus, laudavimus, approbavimus, et confirmavimus, sicuti per praesentes rata habemus, laudamus, approbamus, et confirmamus, mandantes in virtute sanctae obedientiae ut ab omnibus dictarum Provinciarum tum Praelatis tum Religiosis, nobis subiectis ad amussim observentur. Ad proposita autem optata quibus dictum Amplissimum Capitulum in diversis sessionibus resolvit, supplicandum nobis. Primo sess. 1a, siquidem Breviaria Parisiensia in plerisque Conventibus deficiant, nec sine magna difficultate a Bibliopolis obtineri possint, ut accedente authoritate nostra in Provincia Bohemiae reimprimi possent. Secundo sess. 4ta, Cum incorrigibilium causae cognitio ad nos ex dispositione Iuris et Statutorum sit reservata, supplicat quatenus dignemur hanc nostram authoritatem Amplissimi Domino Vicario nostro Generali committere, ut ii cum Consilio et assensu sex Abbatum contra dictos incorrigibiles procedere, et ipsorum processum iuxta formam Ordinis instituere queat, cum ob itineris distantiam tales processus ad nos remittere esset difficile, sicuti quandoque Capitulum Generale expectare. Tertio eadem sessione, cum plurimi aliarum Provinciarum Religiosi supposititiis plerumque litteris, et obedientiis muniti ad Circariae Boëmiae adiunctorumque gravamen, et Ordinis scandalum per has partes saepe divagentur ; supplicat, quatenus decretum edamus

[61]) Michael Colbert fuit abbas et Dominus Praemonstratensis, durantibus annis 1667-1702.

prohibens omnibus, et, singulis provinciarum Praelatis, et Superioribus localibus, ne suos Religiosos nisi ex causa urgentissima ad Provinciam Boëmicam, nec alias adiunctas accedere permittant. Quarto sess. 5ta. Cum allatae politicae rationes ab Amplissimis Capitulantibus obstent ne tallias ab ultimo Capitulo Generali nobis constitutas persolvant, supplicat, ut hac vice benigne super dictarum talliarum solutione condescendamus. Quinto eadem sessione, cum negotium recuperationis monasteriorum Ungariae solis Capitulantium Provinciis non competat, sed et aliis Ordinis Universi Circariis, supplicat nobis, ut ad dictae recuperationis effectum, collectam in Universo Ordine fieri iubeamus, vel tallias nobis a Capitulo Generali assignatas ad dictam recuperationem applicari gratiose concedamus ; (p. 20) ut singulis per ordinem satis fiat, Respondemus :

Ad 1mum. Per nos licere non posse ut Breviaria nostra Parisiensia nec in Provincia Boëmica, nec alias reimprimantur, cum privilegium ipsa Breviaria imprimendi Domino Friderico Leonard Ordinis Typographo, nostra et Capituli Generalis authoritate ita sit concessum, ut a nullo alio praeter ipsum alibi quam Parisiis imprimi queant. Eo autem casu, quo dicta Breviaria in Circaria Boëmiae, et adiunctis deficiant, operam dabimus, ut quantocius ad dictas Circarias viliori, quo fieri poterit, pretio per viam tutiorem nobis assignandam transmittantur. Ad 2dum, attentis locorum distantia, et quandoque Capitulorum Generalium dilatione, plenariam authoritatem nostram concessimus, et per praesentes concedimus Amplissimo Domino Vicario nostro Generali Boëmiae, et adiunctarum Provinciarum, ut is cum consilio et assensu sex Coabbatum contra incorrigiles secundum formam iuris, et Statutorum possit procedere. Ad 3tium, Ne diversis Religiosorum excursionibus, et divagationibus graventur, imposterum Circariae Boëmiae, aliaeque adiunctae iustissimo Amplissimi Capituli desiderio inclinati severe prohibemus omnibus, et singulis aliarum Provinciarum Dominis Praelatis, aliisque Superioribus localibus, ne Religiosos suos, nisi ex urgentissima necessitate, et cum obedientialibus in forma debita ad dictas Provincias Boëmiae, Moraviae, Austriae, et Silesiae accedere permittant. Mandantes Amplissimo Domino Vicario nostro Generali dictarum Provinciarum, ut omnibus aliarum Provinciarum Praelatis, et Superioribus Ordinis nostri hanc praesentem prohibitionem nostram debite sine mora faciat intimari. Ad 4tum, debitarum Talliarum Ecclesiae nostrae Praemonstratensis ab ultimo Capitulo Generali constitutarum solutionem expectabimus, cum scilicet pro tempore facultatibus et commodiori rerum disposi-

tione licuerit. Ad quintum Tallias a Capitulo Generali Ecclesiae nostrae Praemonstratensi constitutas in refusionem immensarum expensarum pro Ordine alio divertere, et applicare non possumus, sicuti nec collectam super universum Ordinem imponere pro recuperandis Monasteriis Ungariae nisi intersint comitia Generalia, quantocius (p. 21) pro temporum primo dispositione celebranda.

Datum Parisiis Die 7 Decembris Anno 1677. In quorum fidem ac robur praesentes manu propria, et Secretarii nostri subscriptas, sigillo nostro iussimus communiri.

F. Michael Colbert, Abbas Praemonstratensis,
et Generalis.

(L. S.)

De mandato Reverendissimi, ac Illustrissimi in Christo Patris ac Domini mei, Domini Abbatis Praemonstratensis, ac totius Ordinis Generalis.

F. J. Benoist, Secretarius.

(autograph.) Concordat cum suo originali. Ita testor.

F. Hyacinthus Abbas Strahov.
Vicarius Generalis.

(Sigillum)

10

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Gradicensi Anno 1691

CAPITULUM PROVINCIALE REVERENDISSIMORUM ET AMPLISSIMORUM DOMINORUM PRAELATORUM, Dominorum Abbatum et Praepositorum, admodum Reverendorum ac Venerabilium Patrum Priorum, aliorumque Canonicorum Capitularium Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis in Circaria Bohemiae, et Haereditariis suae Caesareae Majestatis Provinciis ipsi incorporatis.

Indictione

Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini Norberti Zieletzky [1]) de Doczenitz eiusdem Sacri Ordinis Ecclesiae Gradicensis ad Olomucium in Marchionatu Moraviae Abbatis et per Haereditarias Caesareae Maiestatis Provincias Vicarii Generalis.

In Regia Ecclesia Gradicensi Anno MDCXCI.

Die 23 Septembris et subsequentibus canonice celebratum.

(p. 3) Ordo noster Praemonstratensis Bonifacii VIII Summi Pontificis testimonio in Ecclesia firmamento claro nitore corruscans universalemque Dominici gregis aulam illuminans, ne in gloria et nitore suo, quo per Caesareas haereditarias Provincias, Patre luminum irradiante, gloriose corruscat, aliquam maculam contrahat, aut umbra aliqua lumen eius frigescentibus illis, quorum est ignem Religiosi fervoris, mittere in terram Religionis aliquatenus involvatur, sed potius, prout in suis primordiis Nicolao IV. Summo Pontifice teste per insignem gratiarum multarum praerogativam eminentiamque sanctitatis conspectiori rutilet claritate.

Reverendissimus et Amplissimus Dominus Dominus Norbertus

[1]) Norbertus Zelicky fuit abbas Gradicensis (Hradisch, Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia), annis 1679-1709. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 757; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294.

Zieletzky de Doczemitz, Monasterii Gradicensis in Moravia Abbas et per Caesareas Provincias Vicarius Generalis, primo Vicariatus sui Anno et eo tempore quo ob fervescentia in Imperio bella Capitulum Generale celebrari non potest, ab ultimo Provinciali Capitulo in Monasterio Lucensi celebrato [2]) Anno quarto, secundum Statutorum Sacri Ordinis nostrorum Dist. 4. C. 9. [3]) et conformiter ad Sacri Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. Cap. 2 [4]) Decretum ex vi Officii sui authoritate Reverendissimi et Illustrissimi Domini Domini Michaelis Colbert [5]) Abbatis Praemonstratensis, totiusque Ordinis nostri Praemonstratensis Generalis Capitulum Provinciale in Monasterio suo Gradicensi die 23 Septembris celebrandum indixit, missisque ad omnia Sacri Ordinis nostri haereditariarum Provinciarum Monasteria patentibus litteris, omnes et singulos Reverendissimos et Amplissimos Dominos praedictarum Provinciarum, et Monasteriorum Praelatos, Admodum Reverendos, et respective Reverendos et Venerabiles Patres Priores, Rectores, Praesides, aliosque omnes qui beneficio Statutorum et Capitulorum Generalium in Capitulis Provincialibus vocem habere, aut iis interesse debere dignoscantur, authoritate qua supra evocavit. Quam indictionem et evocationem debite Reverendissimi Domini Praelati suscipientes, pridie diei pro Capitulo celebrando designata in praefato Monasterio comparuerunt, ipsaque 23. Septembris ex Capella B. Virginis Mariae ad Nives, ad ipsam Ecclesiam cum coeremoniis consuetis, et in Statutis praeordinatis, per Reverendissimum Dominum Vicarium Pontificalibus indutum assistentibus sub Pontificali amictu Reverendissimis et Amplissimis Dominis Dominis Strahoviensi [6]) et Siloënsi [7])

[2]) Capitulum hoc provinciale celebratum fuit anno 1687. Acta supra publicata fuerunt. Cfr. supra, pp. 151-173.

[3]) Caput IX distinctionis quartae Statutorum anni 1630 integrum agit de hoc Capitulo Provinciali.

[4]) In hoc capite, Concilium Tridentinum statuit quolibet triennio comitia Provincialia convocanda esse.

[5]) Michael Colbert Abbas et Dominus Praemonstratensis fuit durantibus annis 1667-1702.

[6]) Abbas Strahoviensis inde ab anno 1690 usque ad annum 1711 fuit Vitus Seipel. Anno 1701 episcopus suffraganeus Archiepiscopi Pragensis Breuer constitutus est, qua episcopus titul. Hierapolitanus. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 932; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 313; L. Goovaerts, *Ecrivains...*, II, p. 173 s.; A. Zak, *Episcopatus Ordinis Praemonstratensis*, in *Anal. Praem.*, V, 1929, p. 242.

[7]) Milo Strobl, abbas Siloensis (Selau, Zeliv, in hodierna Tchecho-Slovakia)

Abbatibus, ordine in iisdem Statutis praefixo, introducti fuerunt. Et dum ad maiorem Aram ventum fuit et solenniter decantatum *Te Deum laudamus* Deo gratiae actae sunt pro gloriosissima Victoria (p. 4) contra Christianitatis hostem nuper in Hungaria a virtutibus Augustissimi Caesaris armis reportata, Missa vero de Spiritu Sancto Pontificaliter per Reverendissimum Dominum Vicarium decantata, ad locum Capituli debito ordine Venerabilo Conventu Gradicensi praecedente, processum fuit, ubi de more decantato Hymno *Veni Creator Spiritus*, Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini Praelati, coeterique Capitulares erudita dictione per Reverendum Patrem Hermannum Schleiber Ecclesiae Gradicensis Canonicum, S. Th. Doctorem, et actualem eius Professorem perhumaniter excepti fuerunt. Ac dein omnibus vocem in Capitulo non habentibus dimissis, dicto Benedicite, omnibusque considentibus Reverendissimus Dominus Vicarius ad totum Reverendissimum et Amplissimum Capitulum sermonem habuit ; quo Capituli Provincialis pro moderni status et temporis exigentia necessitatem exposuit, et Reverendissimos Dominos Comprovinciales ad sibi assistendum in procurando per praesens Capitulum communi Ordinis, Provinciaeque bono, prout ratio Religiosi status exigit, et pro incremento eiusdem visum fuerit expedire, est adhortatus, una amanter admonens Reverendissimos Dominos, ne alieno animo resentiant, si forsan contingeret in praesentiarum ab aliquo ex Reverendissimis Dominis Capitularibus ad Iura Monasterii sui tuenda, contra alterum aliquid minus placitum apponi ; sed ita apponantur contrariae causae, quatenus charitas integra illaesaque perseveret. Finito sermone inchoata fuit.

Sessio prima

Praeliminaris 23. Septembris, horis antemeridianis, processum fuit ad praeliminaria Capitulis Provincialibus iuxta Statutorum Cap. 9. Distinct. 4. reductive ad Cap. 3. eiusdem Distinct. praemittenda. Et in primis in manibus Reverendissimi Domini Vicarii Generalis, Ipsi et Reverendissimo Capitulo obedientiam et reverentiam adpromiserunt Reverendissimi Domini Praelati, qui Capitulo Provin-

fuit annis 1679-1695. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294.

[8]) Vide n. 6.

ciali ut Praelati antehac non interfuerunt, videlicet Reverendissimus Dominus Vitus Seipel, Abbas Strahoviensis et Visitator, Reverendissimus Dominus Godefridus Czelechowsky [9]) ad S. Vincentium Wratislaviae Abbas, Reverendissimus Dominus Raymundus Willfert [10]) Abbas Teplensis, Reverendissimus Dominus Michael [11]) Abbas Plagensis, et Reverendissimus Dominus Franciscus Waldhauser [12]) Praepositus Doxanensis.

Hac promissione praestita, Revisores actorum Capituli nominati et acceptati sunt Reverendissimi Domini Strahoviensis et Plagensis Abbates assumptusque in Capituli secretarium P. Bernardus Wanche Canonicus et Prior Gradicensis, S. Th. Doctor, qui non tantum pro tempore durantis Capituli Provincialis, sed etiam pro futuro usu dum eius loco alius Vicariatus Secretarius subrogatus fuerit, ad sacrum Ordinem nostrum concernentibus, et sibi Reverendissimo Capitulo aut Reverendissimo Domino Vicario in futurum committendis fideliter complendis iuramentum emisit.

(p. 5) Denominati sunt deinde Capituli notarii RR. PP. Nicolaus Dirig, Canonicus Gradicensis, SS. Th. Doctor et Professor [14]), Josephus Wessely Canonicus Siloënsis [15]) Philosophiae professor, et Augustinus Müller [16]) Canonicus et Curatus Teplensis, qui de

[9]) Andreas Czelechowski erat abbas S. Vincentii Wratislaviensis annis 1689-1692. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1155; L. Santifaller, *Nikolaus Liebental und seine Chronik der Aebte des Breslauer S. Vinzenzstiftes* in *Anal. Praem.*, XXVII, 1951, pag. spec., p. 152.

[10]) Abbas Teplensis erat annis 1688-1724. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 118; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

[11]) Michael Pfelder, abbas annis 1687-1701. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 569; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 310.

[12]) Franciscus Weldhausen seu Waldhausen per plurimos annos (1681-1689) rector fuit Collegii Norbertini Pragensis; anno 1689 (usque ad a. 1692) praepositus Doxanensis. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 288; L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, II, p. 360 s.

[13]) B. Wanche, postea abbas Gradicensis (1709-1714). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 757; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294; L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, II, pp. 365-367. Dicitur « maximus abbas ». Moritur 22 januarii 1714. « Vixit Deo, orationi et studio ». Ita apud Goovaerts, l. c., p. 366.

[14]) J. Nicolaus Dirig, per plures annos philosophiae et theologiae lector in canonia Gradicensi. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains...*, I, p. 194 s.

[15]) J. Wessely († 10 januarii 1706), per plures annos philosophiae, et postea theologiae moralis lector in abbatia Gerusana; plurimaque scripta reliquit, partim edita. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, II, p. 384 s.

[16]) Augustinus Müller, musicae artis expertissimus. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, I, p. 613.

fideliter agendo suo officio et servando silentio iuramentum deposuerunt. Lectae demum sunt litterae absentium Reverendissimorum Dominorum Praelatorum Reverendissimi Domini Geracensis [17]) et Reverendissimi Domini Praepositi Chotieschovicensis [18]), qui aegritudinem seniumque causando absentiam suam excusarunt, et sui loco Procuratores constituerunt Reverendissimos Dominos Patres Abbates, Ille Reverendissimum Dominum Siloënsem [19]), hic vero Reverendissimum Dominum Teplensem [20]). Quarum excusationes tamquam legitimae a Reverendissimo Capitulo acceptatae sunt, et absentium loco praeinsinuati Reverendissimi Domini pro Procuratoribus admissi.

Conclusio prima

His praemissis proposuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Reverendissimo Capitulo an non placeret, ut Capituli Praeses in obventuris votationibus postquam proponenda pro utraque parte proposuit, habeat votum conclusivum, cum id moris sit in omnibus, tum saecularis, tum ecclesiastici fori iudiciis, et libertati in ferendis votis, hoc modo faveretque optimeque prospiceretur, ne respectus humanus, qui intervenire potest, operetur, ut in partem Vicarii Generalis, cognito eius voto, transeatur, quod non constringeret, si de eius mente non constaret.

Et unanimiter conclusum est pro favore libertatis, ut Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, tanquam Capituli Praeses, votum habeat conclusivum.

Conclusio secunda

Cum Archivium Vicariatus et Circariae nostrae de facto non habeatur, Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis remonstravit eius necessitatem, tum quod in casu infortunii belli aut incendii, ubi monasterium aliqua aut omnia sua privilegia Fundationis litte-

[17]) Fredericus Urtica, abbas annis 1674-1693. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.

[18]) Michael Kastl, abbas annis 1666-1698. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 287.

[19]) Milo Strobl. Vide n. 7.

[20]) Raymundus Wilfert. Vide n. 10.

ras, diversas actionum et litium complanationes deperderet, in Archivo Provinciali vidimata invenire posset ; tum quia anteacta in Archivii Protocollum translata et consignata deservire possent ad ipsas fundationes temporum iniuria in manus Saecularium devolutas Ordini facilius vindicandos, dum ex Protocollo constiterit modus iniuriosae abalienationis, et iura ac Privilegia illarum fuerint perspecta ; defectu cuius notitia Monasterium Kanicense in Moravia, et aliae plures fundationes ex universis bonis suis e manibus saecularium, Sacro Ordini vindicari non possunt. Atque ex his rationibus Reverendissimo Capitulo proposuit, an placeret ut Archivium Vicariatus seu Provinciae instrueretur ? Quod cum sigillis Vicariatus, atque novo Vicario Generali esset resignandum ? Cui propositioni consen- (p. 6)tiens Reverendissimum Capitulum, conclusit omnino Vicariatui et Provinciae Archivium exstruendum esse, ex rationibus a Reverendissimo Domino Vicario Generali allegatis tum etiam quia status et Ordo cuiusvis communitatis melius formatae exigit, ut anteactorum memoria conservetur, quatenus temporum motae controversiae ex anteactis exemplificando decidi, eorumque adductione pax in Provincia stabiliri atque Monasteriorum iura conservari queant illabata.

Indicta deinde est a Reverendissimo Domino Vicario Generali pro media nona matutina diei sequentis.

Sessio secunda

In horis antemeridianis die 4. Septembris habita.

Sub initium huius sessionis Reverendissimo Domino Teplensi praetendenti praecedentiam prae Reverendissimo Domino Vincentino, aut ut remonstratur Monasterium Vincentinum citius quam Teplense Sacro Ordini nostro accessisse, satisfactum est, exhibendo Capitulum Provinciale Strahoviense Anni 1681, quo habetur Reverendissimum Dominum Teplensem, visis authenticis instrumentis pro senioritate, quae accessum ad Ordinem Monasterii Vincentini ultronee Reverendissimo Domino Vincentino praecedentiam cessisse [21]).

[21]) De hac re actum fuit in Capitulo Provinciali anni 1681, sess. 1a, n. 1°. Vide supra, p. 130.

Conclusio 1ª

Deliberatum deinde fuit a Reverendissimo Capitulo de modo Archivium Provinciae et Vicariatus erigendi, visumque fuit Reverendissimo Capitulo, modo subsequente, et in sequentibus Archivium esse instruendum.

1. In librum ad hoc specialiter paratum inscribendae erunt fundationes uniuscuiusque Monasterii huius Provinciae, a quo videlicet fundata, quo tempore et qua ratione Sacro Ordini nostro accesserint. Ex quo monasterio ad unumquodque datae primum fuerit coloniae ? et a quo iure filiationis ac quibus de causis dependeant ?

2. Inscribenda erunt in eundem librum nomina Reverendissimorum Dominorum Praelatorum actu regnantium, et siquidem memoria eorum extat, etiam omnium defunctorum, illisque subiungenda erunt nomina omnium Professorum in praesentia viventium. Obligatosque voluit Reverendissimum Capitulum omnes Reverendos Patres Priores, ut quolibet anno circa Natalitia festa submittant, iurato Reverendissimi Domini Vicarii Generalis Secretario nomina defunctorum Religiosorum et eorum qui per Professionem Religiosam anni decursu Sacro Ordini nostro et Monasterio accesserunt, ut haec inscribi, illa vero mortuorum signo notari queant.

3. Capitulorum Generalium originales copiae ab Illustrissimo Domino Generali et Capitulo Generali subscripta, conquirendae sunt ex Monasteriis, quorum Praelati sciuntur fuisse Vicarii Generales, sicut etiam Capitula Provincialia pariter subscripta conquirenda et ad Archivium resignandae.

(p. 7) 4. Fieri debet protocollum omnium articulorum et conclusionum Capitulorum ut memoria eorum adeo pro diversis eventibus necessariorum servari queat, ne cum Capitulo finito omnia pereant et oblivioni tradantur. Promiseruntque Reverendissimi Domini Comprovinciales se, si quid similium in Archiviis suis repererint paratissime Secretario, aut ipsi Reverendissimo Domino Vicario Generali submissuros.

5. Constituit Reverendissimum Capitulum, ut liber Monasteriorum descriptionem continens, sicut et Protocollum, aliaque officium Vicariatus concernentia scripta, sub cura et custodia iurati Secretarii apud Vicarium pro tempore futurum asserventur, quo mortuo Vicario in Abbatia deponenda et obsigillanda erunt, usque ad novi Vicarii electionem et confirmationem ; Claves vero Archivii Reve-

rendissimo Domino Patri Abbati defuncti Vicarii cum sigillo et annulo Abbatiali erunt resignandae.

Conclusio 2ª

Viso et perpenso ex defectu sumptuum et expensarum unice provenire, quod negotia Sacri Ordinis nostri apud Principem, ipsam etiam Apostolicam plerumque delitescant sine spe favorabilioris expeditionis, atque ex hac causa Monasterium Kanicense [22]) modo in suis ruderibus iacent, nec spes affulgeat Hungariae Monasteria ab hoste Christianitatis olim devastata recuperandi ; et praeterea quoad innovationem et confirmationem Privilegiorum, ipsam etiam Sanctorum Canonizationem hucusque nil fuerit fructuose expeditum, proposuit rursum Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis an non placeret Reverendissimis Dominis Comprovincialibus consentire, quatenus pro communibus Provinciae sacrum Ordinem nostrum concernentibus expensis, aerarium erigatur, ex collecta aliqua tolerabili annuatim ab ipsis facienda ? Super qua propositione omnes quidem Reverendissimi Domini Comprovinciales promptissimum animum suum intuitu communis boni obtulerunt, dum tamen ob maximas expensas et gravissimas exactiones, quibus durante bello Turcico in novum Annum Monasteria plurimum gravata sunt, in maiorem summam consentire non potuerunt, unanimi voto Reverendissimi Capituli conclusum est, ut usque ad tempora pacatiora pro aerario erigendo a tempore praesentis Capituli annuatim Monasteria tolerabilem collectam faciant videlicet Monasteria Iae classis 50., 2dae classis 30. 3tiae classis florenos 20 Rhenenses deponant ? Sunt autem in Iam classem posita Monasteria Strahoviense ; Gradicense, Lucense et Vincentinum ; in secundam Monasteria Teplense, Zabrdovicense, Ge- (p. 8) racense, Plagense, Doxanense, Chotieschoviense, Pernecense, et Czarnovacense ; in Tertiam, Siloënse, et Neo-Reischense. Unaque constituit Reverendissimum Capitulam ut collectae haec interea apud Secretariatum Archivii permaneat, quousque amplius quid collectum fuerit.

[22]) De hac re actum fuit in Capitulo Provinciali anni 1681, sess. 5a. Cfr. supra, p. 141.

Conclusio 3ª

Ex causa quod post obitum piae memoriae Reverendissimi Domini Hyacinthi Hohman [23]) Abbatis Strahoviensis et Vicarii Generalis a quibusdam constituta Capituli Generalis anni 1657, sess. 5a, qua decernitur *quod vacante Ecclesia Praemonstratensi iurisdictio erit penes Vicarios Reverendissimi Domini Praemonstratensis et in casu mortis Vicariorum, erit penes Visitatores seu Circatores authoritate Capituli Generalis erectos* ita intellecta fuerint : quod vacante Generalatu Circariarum iurisdictio erit penes Vicarios, et iis deficientibus (vacante Generalatu) penes Circatores seu Visitatores authoritatem Capituli Generalis exercentes, vivente vero Generali iurisdictionem Vicariorum ad eum redire qui eam dedit. Propositum fuit a Reverendissimo Domino Vicario Generali, an pro genuino sensu huius constitutionis sit ad Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Generalem recurrendum ? Censuit et conclusit Reverendissimum Capitulum non modo super praedicta constitutione declarationem a Reverendissimo et Illustrissimo Generali et Vicario eius, an videlicet copulative, ut mortuo simul Illustrissimo Generali et Vicario eius, an vero *divisive*, ut solo Vicario mortuo, superstite ipso Illustrissimo Generali administratio Provinciae et iurisdictio devolvatur ad Visitatorem quosque novus Vicarius fuerit constitutus ; sed etiam ipsam devolutionem petendam esse Administrationis in casu mortis solius Vicarii, prouti etiam in praesentiarum Reverendissimum Capitulum id ipsum a Reverendissimo et Illustrissimo Generali submisissime petit, ut ita provideatur Provinciae nostrae, in casu mortis Vicariorum eo tempore potissimum quo Praemonstratum recurrendi difficultas non datur, et nihilominus casus evenire possent, qui citra periculum ad novi Vicarii assumptionem dilationem non patiuntur.

Conclusio 4ta

Perpendens Reverendissimum Capitulum quod ad bonum regimen apprime conducat Superiorem haberi de cuius legitima authoritate, habilitate et sufficientia nemo ambigere possit, et erga quem subordinati confidentiori ferantur affectu ; modus vero assumendi Vicarium Generalem in Capitulo Generali A° 1657 primum Circariae

[23]) Abbas Hohman obierat anno 1690.

nostrae concessus, et deinde a Capitulis Generalibus annorum 1660 et 1663 confirmatus sacris Canonibus minus conformis, videatur, (p. 9) nec in ullo prorsus Ordine per Caesareas Provincias practicetur, et quoad assumptionem duorum Vicariorum in sub - vel obreptionis suspicionem a quibusdam tractus fuerit, duos vel etiam vel tres praesentando, nec dum sufficiens notitia de habilitate et sufficientia praesentatorum, ipsis etiam quibusdam Reverendissimis forsan ignotorum, procuretur, et consequenter ne eveniat, si quiscumque a quibuscumque non spectata subiectorum idoneitate, candido gregi praeficiatur in manifestam perniciem Ordo noster Praemonstratensis deveniat, ut providissime sensere Patres Capituli Provincialis A° 1659 in Monasterio Plagensi celebrati [24]), praesertim vero cum Augustissimus Imperator Monasteriorum in ditionibus suis haereditariis pientissimus Conservator, officia non praecise spiritualem administrationem habentia nolit pura denominatione et deputatione instaurari, ac de facto denominatione Vicarii proprio motu a Reverendissimo et Illustrissimo Domino Generali, circa personam moderni Domini Vicarii factam nullatenus attendere voluerit, nec intuitu huius confirmationem quoad temporalia in his Provinciis prorsus necessariam conferre voluerit, eandemque praecise intuitu votorum immediate post obitum piae memoriae defuncti Vicarii ad Reverendissimum Abbatem Siloënsem pro tunc antiquioris Monasterii Praelatum a Reverendissimis Dominis Comprovincialibus transmissorum, quae in personam eius, ut post reserationem votorum in praesentia Reverendissimi Domini Strahoviensis, et Reverendissimi Domini Praepositi Neo-Reischensis facta, deprehensum est, confluxere ; petitam confirmationem quoad temporalia altissime memorata Sua Maiestas gratiosissime contulerit. Propositum fuit an non supplicandum esset apud Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Generalem ut salvis omnibus iuribus suis indulgeat Circariae nostrae post mortem Vicarii Generalis a Capitulo Reverendissimorum Dominorum Comprovincialium per Abbatem antiquioris Monasterii convocando, canonice eligendi sibi Vicarium Generalem, quem postmodum sibi praesentatum Reverendissimus et Illustrissimus Dominus Generalis confirmet ? Conclusitque pro specialissimo Sacri Ordinis nostri bono, quod, ex simili electione sperandum esset, Am-

[24]) De hoc re sermo non fit in relatione Capituli anno 1659 Plagae celebrati (supra, pp. 81-95), sed in Conventu Praelatorum habito Lucae, anno 1656. Cfr. supra, p. 77.

plissimum Capitulum esse de hoc intantissime supplicandum, prouti et in praesenti supplicat, speratque gratiosum Reverendissimi et Illustrissimi Domini Generalis annutum, cum tali Vicarii assumendi modo conformius ad Sacros Canones Vicarium suum instauret, et in conscientia futurus sit securior de idoneitate Vicarii, et meliori administratione inter Reverendissimos Comprovinciales expectandus sit, qui alias ut experientia docet, ex sola denominatione sperari non posset. Existimat vero Reverendissimum Capitulum per liberam Vicarii electionem, nullatenus derogatum in iuribus Reverendissimi et Illustrissimi Domini Generalis, tum quod confirmatio ipsi salva et integra maneat, tum quod alias in conscientia obligatus sit Vicarium suum constituere, quem pro hoc munere novit dignissimum, quam tamen notitiam alia via sufficienter acquirere non (p. 10) potuit, tum etiam quod sine praeiudicio Generalium suorum omnes aliae Religiones libere Provinciales, quorum loco in Sacro Ordine nostro Vicarii veniunt, sibi eligant ; tum denique quod timendum sit ne cum manifesto immunitatis et exemptionis praeiudicio, citra viam electionis nominatum et constitutum Vicarium absolute reiiciat, aliumque pro libitu quo constituat Aula Caesarea cuius utpote fundationes nostras conservantis et protegentis respectum subterfugere etiam noster Sacer Ordo minime valet aut valeat.

Conclusio 5ta

Cum vero ex gravissimis hisce rationum momentis speretur annutus Reverendissimi et Illustrissimi Domini Generalis, eventualiter provisum est a Reverendissimo Capitulo de modo Vicarium Generalem eligendi, constitutumque est 1° ut indictio et convocatio praesidiumque Capituli pro instituenda Vicarii electione sit penes Reverendissimum Dominum Abbatem antiquioris Monasterii, ita ut antiquiore Abbatia vacante, in praesidium et indictionis potestatem succedat Reverendissimus Dominus Monasterii immediate sequentis. 2° Ut electio fiat via scrutinii, uti recepto in his Provinciis modo Abbates eligi solent. 3° Scrutatores votorum sint tres Religiosi Sacerdotes, aut si commodum fuerit, Priores. 4° Legitime absentes Reverendissimi Domini Praelati in alios iuxta placitum compromittere valeant. 5° Locus electionis sit Monasterium in quo Capitulum Provinciale servato ordine Monasteriorum pro celebrandis Capitulis Provincialibus constituto, et hucusque celebrari deberet, futuro Capitulo Provinciali ad subsequens ordine Monasterium devoluto.

Conclusio 6ta

Desideratum fuit a Reverendissimo Domino Vicario Generali, quatenus a Reverendissimo Capitulo definiatur, utrum fundationes Praelatorum ex bonis adventitiis antiquitus in praesentia testium et Notarii publici, ac aliquorum ex Conventu facta et subscripta, non humana superioribus Conventus aut nomine Conventus (qualem fundationem se ad Ecclesiam suam Parochialem Cholinensem habere monstravit) subsistant, et ipsarum Conventus obligatus sit ad illas implendas ? Sicut non teneri Conventum ad Missam per Praelatum ex proventibus Monasterii fundatam, declaratum est in Capitulo Generali 1660. Sess. 8 [25]). Definivitque Reverendissimum Capitulum non posse, nec potuisse Praelatos de bonis ab amicis suis, aut occasione, vel intuitu (p. 11) ipsorum personae, tanquam reipsa, et iure ipsi Monasterio acquisitis, pro Monasterio et Conventu fundationem facere nec ex cuiuscumque testimonio easdem fundationes robur et valorem posse, aut potuisse obtinere ; proinde ad fundationem a Reverendissimo Domino Vicario Generali insinuatam adimplendam, nullo iure teneri Conventum Gradicensem, sicuti non teneri ad Missam Conventum per Praelatum fundatam, declaratum est in praenominato Capitulo Generali. His conclusis indicta fuit sessio pro horis pomeridianis.

Sessio 3ia

Ab hora tertia pomeridiana.

Conclusio 1a

Ad obviandum sciolis in materia voti paupertatis, mota fuit quaestio an Capitulum Generale Anni 1670, sess. 8. decernendo quoad determinandam quantitatem materiam proprietatis reservatam, standum esse quoad forum conscientiae opinionibus Doctorum probatorum, non ademerit potestatem Praelatis constituendi, et determinandi materiae quantitatem individuam pro casu reser-

[25]) In textibus Actorum huius Capituli hucusque nobis notis, nihil de hac re invenitur notatum.

vato proprietatis incurrendo [26]) ? Cum supponendum sit quod Capitulum Generale decretis suis observationem voti paupertatis relaxare minime voluerit, nec laxitati conscientiae ullatenus favere cum imminutione iurisdictionis et potestatis Praelatorum zelantium inferiores suos salvare, et reservatione a turpi proprietatis vitio contrahere ; Reverendissimum Capitulum resolvit doctrinaliter, decreto illo nullatenus ademptam fuisse praedictam potestatem ; supponit enim quod non pro suo praecise arbitrio, sed nedum exigentiam concurrentium circumstantiarum, maiorem, vel minorem quantitatem Praelati reservent, reservatamque in suis Monasteriis declarent, scientes ligare et solvere pro exigentia et ratione salvandi animas sibi concreditorum.

*Conclusio 2^da^*

Ad excludendam quoque ex parte Conventuum, Superiorumque Conventualium administrationem bonorum temporalium administrationi spiritualium saepius damnosam, conclusit Reverendissimum Capitulum : cum vi officii administratio temporalium secundum canones praecise et integre ad Praelatos (p. 12) pertineat, quod nullus Conventus bona ulla mobilia, aut immobilia habere possint, ea conditione ut sint extra Abbatis aut Praepositi curam et administrationem censuitque bona similia forsan ab uno alterove Conventu habita actuali administrationi et potestati Praelatorum effective subiicienda esse prouti et authoritate Reverendissimi et Illustrissimi Domini Generalis, Reverendissimus Dominus Vicarius cum Reverendissimo Capitulo omnia ea bona Praelatorum administrationi et curae subiicit, ab illis tantum subiecta esse declarat.

Nihilominus Reverendissimus Dominus Vicarius Reverendissimos Dominos Praelatos Comprovinciales commonitos voluit, quatenus ex bonis forsan ex pia intentione benefactorum praecise ad consolationem Conventus applicatis, obvenientem consolationem

[26]) In Actis Capituli Generalis anni 1670, sess. 8a, haec leguntur: *Quaesitum etiam fuit an item furti reservati de rebus monasterii; item an damnificatio in eadem quantitate deprehendatur sub furto reservato ? Respondit autem Capitulum standum esse quoad forum conscientiae opinionibus doctorum probatissimorum, quantum vero spectat ad forum externum eos qui poculenta et exculenta furantur graviter esse puniendos ut proprietarios et disciplinae regulares perturbatores.* Ms. Nancy 994 (1767), f. 333 r°.

paterne, etiam in futurum faveant, paternumque affectum cum bona benefactorum intentione conjungant.

Conclusio 3tia

Resciens Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis quod in quibusdam Monasteriis per plures annos sine dispensatione a se aut a Vicariis Generalibus antecessoribus obtenta aut petita, Religiosi Adventus et Septuagesimae tempore carnibus vescantur, desideravit Capitulariter decidi, an consuetudine in contrarium pluribus Annis practitato constitutionibus Sacri Ordinis nostri et Bullae II. [27]) de Adventuali ieiunio, et Septuagesimae abstinentia, in illis Monasteriis derogatum sit ? ut citra omnes, aut cum solius Praelati sui dispensatione, illis temporibus carnibus vesci liceat ? Siquidem vero per frequentiorem innovationem constitutionis de servanda abstinentia iis temporibus a petenda a Vicario dispensatione, continuo interrupta fuit consuetudo, et bona fides exclusa resolvit Reverendissimum Capitulum constitutionibus praedictis et praedictae Bullae, in illis Monasteriis nullatenus derogatum esse, quo minus illis temporibus a carnibus abstinere aut dispensationem quoad esum carnium a Reverendissimo Domino Vicario Generali utpote cuius solius, iuxta Capitulum Generale A. 1660 et 1666 [28]) est in praedicto ieiunio et abstinentia dispensare, petere teneantur. Qua tamen resolutione Reverendissimum Capitulum, nullatenus imminutam voluit Praelatorum potestatem dispensandi, cum particularibus Religiosis suis, in ieiunio aut abstinentia a Statutis praescipta.

Conclusio 4ta

Recognoscens Reverendissimum Capitulum biennium Novitiatus in Provincia nostra prorsus impractibile, seu alterum vero Annum in

[27]) De eadem re jam actum fuit in Capitulo Provinciali anni 1687, sess. 2a, cfr. supra, p. 158 s. — Bulla Iulii II, de qua hic sermo fit, anno 1503 publicata, habetur in editione Statutorum anni 1630, Averbodii, 1896, pp. XXII-XXIII. Statuitur, in hac Bulla, quibus diebus a sodalibus Ordinis, ordinante S. P. Iulio II, a carnibus sit abstinendum.

[28]) Sufficiat retulisse textum Capituli Generalis anni 1666 de hac re: *Quaesivit Rev. Dominus Ninoviensis, an Abbas possit quandoque pro toto conventu dispensare in esu carnium in Adventu et Septuagesima ? Respondit Capitulum non posse, sed ad Vicarium recurrendum*. Ms. Nancy 994 (1767), f. 323 r°.

Monasteriis maxime ubi studia habentur non carere difficultate Novitiatusque ad semialterum annum, prorogatione ordinaria iuventutem a sacro Ordine nostro absterreri posse, et consequenter (p. 13) Monasteria subiectis melioribus destitui, conclusit quoad Novitiatus tempus inhaerendum esse Capitulo Generali Anni 1657, sess. 4ta censuit Capitulum Lucense Anno 1687, quoad Novitiatus prorogationem ita intellegendam esse, ut unus Annus secundum Canones necessario complendus sit, alter vero dimidius in Praelatorum maneat iusto arbitrio et discretione.

Conclusio 5ta

Cum annuis visitationibus Reverendissimorum Vicariorum, Patrum Abbatum, et Visitatorum difficillimis hisce temporibus, Monasteria plurimum graventur, in expensis itinerum Visitatoribus refundendis, hi vero proprias expensas intuitu aliarum Ecclesiarum faciendo suis Monasteriis damnosi essent : deprecandum censuit Reverendissimum Capitulum apud Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Generalem, quatenus pro nostra Circaria visitationes annuales in triennales reducat, secluso necessitatis aut manifestae utilitatis casu, quo occurrente, toties Reverendissimis Visitatoribus visum fuerit, servato ordine visitare possint, et Monasteria eos acceptare teneantur, iudicavitque Reverendissimum Capitulum expedire, ut si Annus et tempus Vicarii Generalis sine visitatione transivit, habito praevio consensu Reverendissimi Domini Vicarii, Pater Abbas, aut Visitator, visitationes posset adimplere.

Conclusio 6ta

Deprehensa contradictione in Rubrica Breviarii ad festum SS. Corporis Christi et in Capitulo Generali Anni 1673 [29]), de festis Triplicibus infra Octavam occurrentibus transferendis (Capitulo statuente, quodcunque festa occurrentia transferenda vel praevenienda esse, Breviario vero ordinante ut festa triplicia aut duplicia, infra octavam occurrentia celebrentur) ut coeremoniis et solennitati in ex-

[29]) Ita in ms. — De facto, agitur de Capitulo Generali anni 1670, in quo haec habentur, in sessione 8a: *An festa quaecumque occurrentia infra Octavam Venerabilis Sacramenti differri nec praeveniri debeant ? Respondit Capitulum ea transferri aut anticipari debere.* Ms. Nancy 994 (1767), fol. 333 r°.

positione et exhibitione SS. Eucharistiae locus debitus maneat, et ut pariter festis I^ae classis solemnitas maneat integra, constituit Reverendissimum Capitulum, non tantum infra Octavam SS. Corporis Christi, sed etiam infra Octavas reliquas solemnes seu I^ae classis occurrentia festa Triplicia, si festa fori non sint, aut praevenienda aut differenda esse ; Octava Nativitatis Domini excepta infra quam occurrentia festa differri non posse obstat mos et observantia Ecclesiae universa.

Conclusio 7^ma

Quandoquidem Circaria nostra post Capitulum Provinciale Plagae Anno 1657 [30]) et Capitulum Generale A. 1657 [31]). Praemonstrati celebratum, ut par sit et conformis in tota Provincia devotionis ratio et solemnitas, indultum habet, ut Austriaci Boëmis, Moravis et Silesiis atque vicissim Boëmi, Moravi ac Silesii Austriacis in suis festivitatibus ac Patronis valeant collaetari, in confirmatione [32]) etiam Capituli in Monasterio Zabrdovicensi A. 1677 (p. 14) celebrati ad sess. 3. N. 2, quaesitum Reverendissimus et Illustrissimus Dominus Generalis statuerit ea solum in nostris Provinciis esse celebranda, quae ita passim ab omnibus servantur, ut absque populi offensa deinceps omitti non possint, festum vero Translationis SS. Patris Norberti de indulto Reverendissimi et Illustrissimi Domini Generalis in Monasteriis Strahoviensi et Doxanensi sub ritu triplicis I^ae classis, festum S. Viti in Boëmia, S. Leopoldi in Austria, et S. Hedwigis in Silesia sub ritu triplicis tertiae classis celebretur, neque praenominata festa sine offensa, sub minore ritu et solemnitate celebrari valeant. Placuit pro observando debito cultu Sanctorum Patronorum Patriae et Provinciae nostrae Reverendissimo Capitulo insistere apud Illustrissimum Dominum Generalem, quatenus per Circariam nostram videlicet Bohemiam, Austriam, Silesiam et Moraviam praemissa Sanctorum festa sub praemissis ritibus valeant celebrari, atque

[30]) De hac re, nihil in Ms. quod edimus.

[31]) De hac re, nihil legimus in Ms. Capituli huius Generalis nobis pervio.

[32]) Confirmatio huius Capituli deest in ms. quod edimus. In Indice vero alphabetico huic Actorum Collectario adiuncto haec legimus: *Festa a Summis Pontificibus indicta celebranda non sunt, nisi accedat Generalis Capituli consensus, nisi talia sunt quae sine populi offensa nequeunt intermitti Respons. Illustrissimi Domini Generalis ad Capitulum Provinc. Anni 1677 in confirmatione.* — Quaesitum Capituli Zabrdovicensis anni 1677, vide supra, p. 116.

pro hoc SS. Patronorum cultu admittendo, tanquam defunctorum oblivionem minime inducente, Reverendissimum Capitulum supplicat instantissime.

Conclusio 8ª

Praeterea cum gratitudo reciproca exigat, et nos totius pene Cleri Regularis et secularis, festum SS^mi Patris Norberti 6. Iunii sub ritu duplicis de praecepto, sicut et omnium aliorum fundatorum Religionum festa statutis diebus, sub ritu duplici celebrantis faciat, ut citra offensam et notam minoris observantiae erga Summum Pontificem solemnitates praecipientes minori ritu celebrari non valeant. Statuit Reverendissimum Capitulum festa omnium Sanctorum fundatorum et fundatricum, quorum officia sub ritu praecise 9, lect. in Breviario habentur, celebranda esse sub ritu festi duplicis.

Conclusio 9na

Ob eandem offensae rationem emergentem ex hoc quod in ipsa die propria obitus SS. Patris nostri Norberti, qui in diem 6. Junii incidit, nullo prorsus solennitas habeatur, et quandoque alia die occurrat persolvendum officium defunctorum, constituit Reverendissimum Capitulum suppliciter accedendum esse Illustrissimum Generalem, et petendum ut in Ecclesiis nostris sub ritu Maioris duplicis saltem in eo casu quo aliud festum duplex in eandem diem non incidit, officium de Sanctissimo Fundatore et Patre nostro cuius sanctissimis exuviis Provincia nostra gloriose ditata [33]) est, haberi et celebrari possit cum aliae religiones pro cultu suorum Fundatorum et Matris ac Protectricis suae facultatem habeant, aliqua dierum Sabbathi infra mensem, Officium de B. V. Maria, et die aliqua non impedito, officium de Sanctissimo Fundatore recitandi, petit etiam Reverendissimum Capitulum, favorem hunc Monasteriis nostris indulgeri.

(p. 15) *Conclusio 10ª*

Cum maximum defectum Breviariorum et Missalium Sacri Or-

[33]) Sacrum Corpus S. Norberti, opera maxime Abbatis Strahoviensis de Questemberg anno 1627, in ecclesiam Montis Sion, in civitate Pragensi sitam, solemniter translatum fuit.

dinis nostri patiatur [34]) per plures annos Provincia nostra, ita ut antecedenter perpauci, et non nisi altissimo pretio taxati huiusmodi acquiri potuerint, a sat longo autem tempore nulli prorsus sint acquisibiles, ita ut in Ecclesiis nostris Missalibus Romanis uti cogamur, ne proinde et Breviario Romano uti cogamur, non sine praeiudicio S. Ordinis nostri, Reverendissimum Capitulum pro obligatione qua succurrere volens Religiosorum necessitati, iudicavit resumendam esse in pluribus Capitulis Provincialibus ad Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Generalem submissam petitionem prout et his submisse supplicat, quatenus facultatem concedat ut in Provincia nostra Breviaria et Missalia Ordinis imprimi possint praesertim cum spes nulla affulgeat illa aliunde acquirendi, et post denegatam facultatem imprimendi, Provincia nostra continuam librorum penuriam patiatur, et neutiquam prout rescriptum fuerat, Provincia nostra fuerit provisum, speratque Reverendissimum Capitulum, Illustrissimum Dominum Generalem quoad conducendam facultatem, minus difficilem fore, cum ex impressione Missalium et Breviariorum, nec Ipsi Illustrissimo Domino Generali, nec Ecclesiae Praemonstratensi, aliquid accedat, Ordo vero noster in his Provinciis lucrum Bibliopolae curare non teneatur, praevaleatque Religiosorum Deo favente in Monasteriis plerisque numerosorum necessitas, quam saecularis hominis utilitas, quam citra gravissima Aulae nostrae Caesareae offensam moderni status ratione, nobis spectare non sinat.

Conclusio 11ma

Cum plures Illustres Personae in Provincia nostra S. Ordinis nostro specialissime afficiantur, et ex hoc affectu Confraternitatem et participationem bonorum omnium et spiritualium exercitiorum nostrorum desiderare soleant, propositum fuit quid de Confraternitate impertienda statuendum sit a quo videlicet, sub quibus conditionibus, et quali coerimonia concedenda sit ? Reverendissimum Capitulum in hoc puncto interpretatum est decisionem 7, sess. 3, sacri memorati Capituli Zabrdovicensis [35]), conclusitque participationem bo-

[34]) De hac re, actum est in Capitulo Provinciali anni 1687, sess. 1a (cfr. supra, p. 155), et in approbatione istius Capituli ex parte Illustrissimi Domini Praemonstratensis (cfr. supra, p. 172).

[35]) Haec decisio in ms. Capituli Zabrdovicensis anni 1677, quod nobis prostat, de facto non est septima, sed sexta. Cfr. supra, p. 117.

norum operum S. Ordinis totius Provinciae (prout Ordines mendicantium Patronis suis praebere solent) sine obligatione suffragia aliqua post mortem praestandi, a solo Vicario Generali concedendam esse ; Confraternitatem etiam ad unum certum Monasterium, ita ut incorporatus et in Confratrem susceptus, quoad communicationem bonorum operum, quanti pro expresso Professo habeatur, cum participatione bonorum operum et suffragiorum post mortem pro eo praestandorum in Monasterio, cui incorporatus est, et in aliis, tanquam pro extraneo Ordinis (p. 16) Professo, pariter a solo Vicario Generali concedendam esse, et concedi posse. Confrater autem denique, secundum quem praecise est incorporatio ad unum certum Monastorium, sine respectu ad alia Provinciae Monasteria concedi posse a proprio Praelato Monasterii illius, cuius incorporatio desideratur. Decrevitque Reverendissimum Capitulum, quamlibet Confraternitatem ex praemissis scripto, secundam vero, capitulariter, et non nisi ob specialia beneficia in totam nostram Provinciam redundantia, concedi debere. Et ne Confraternitatum specialissimum beneficium vilescat, monuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis non esse passim, indiscriminatim, cuivis fautori concedendam. Denique cum minus honorificum sit S. Ordini nostro adeo antiquo, quod pariter S. Patrem Norbertum nec unicum quidem habeat de alumnis suis a Romana Sede canonizatum, requirit Reverendissimum Capitulum Illustrissimum Dominum Generalem, quatenus pro zelo suo in procuranda et promovenda Ordinis nostri gloria, apud Sedem Apostolicam pro Canonizatione alicuius de Ordine nostro viri sanctitate illustris, agere et instare velit.

In fine sessionis huius exposuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis de actitanda sessione sequenti, eamque indixit pro horis antemeridianis diei sequentis.

Sessio 4ta

Horis antemeridianis habita 25 Septembris.

Conclusio 1a

Quaesitum fuit quid statuendum sit de Religiosis e S. Ordine nostro profugis, aut etiam manifestis apostatis, qui recurrendo ad Sedem Apostolicam non audito S. Ordine nostro obtinent subreptitio liberos salvipassus et conductus, quorum subsidio ad magnatum

aulas se insinuant beneficium curatae et maiores etiam dignitates adipiscantur praesidioque Magnatum fulti, a Praelatis citra maximas incommoditates Monasterio metuendas intercipi, et ad Professionis locum reduci nequeunt ? Conclusit Reverendissimum Capitulum ad ulteriora scandala, et similes promotiones efficaciter praepediendas, scribendum esse Procuratori Generali Ordinis, ut Curiam Romanam circa domnosas et praeiudiciosas subreptiones informet, et totius S. Ordinis nostri nomine supplicet, ne citra informationem Ordinis similes litterae cuiquam concedantur, utpote quibus semel profugi, et apostatae abutuntur adhibere in profugio et apostasia persistendum.

Conclusio 2da

Considerans Reverendissimum Capitulum quam indecens sit, et honori S. Ordinis nostri praeiudiciosum, nostrorum defectus etiam minores observent, quos, dum ex Monasterio dimittuntur, informatorie divulgant, consequenter minime expediens sit alterius Ordinis Religiosos in Monasteriis S. Or- (p. 17) dinis nostri fovere, communemque convictum ab illis admittere non obstante quod Generalia et Provincialia Capitula ipsaque S. Statuta admittant, ut pro studiis, in defectu Professorum Ordinis, ex alio Ordine Professores assumi queant ; consulere volens Reverendissimum Capitulum honori Monasteriorum, et personarum eiusdem, statuit, ne moderno tempore, quo Monasteria aliqua Circariae nostrae abundant subiectis pro altioribus scientiis docendis, extra Ordinem nostrum Professores, et Lectores quaerantur, et suscipiantur ; et si pro futuro forsan tales assumere necesse fuerit, id non nisi cum scitu et annutu fiat Vicariorum.

Conclusio 3ia

Remonstratum fuit a Venerabili Virgineo Conventu Doxanensi [36]), quod a tempore immemorabili, indultum sibi habuerit, sub ritu triplicis tertiae classis, celebrandi festa SS. Candidi et Materni Martyrum, atque per tempus immemorabile sub eo ritu praedicta festa

[36]) Doxan (Doxany, in hodierna Tchecho-Slovakia), monasterium monialium Ordinis. — Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 633-642; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287-289.

in Ecclesia sua celebraverit post factam vero in aliqua visitatione interdictionem per aliquot iam annos festa illa, sub illo ritu non celebrentur. Ad petitionem igitur Venerabilium Virginum, supplicavit Reverendissimus Dominus Praepositus Doxanensis apud Reverendissimum Capitulum, quatenus Virginibus Conventus sui in statum pristinum cultus SS. Candidi et Materni Martyrum restituatur, ut sub praefato ritu memorata festa valeat celebrare. Cujus petitioni utpote qua consuetudini per tempus immemorabile continuatae innititur, Reverendissimum Capitulum promptissime detulit, et celebrando festa illa, sub praefato ritu Venerabili Conventui Doxanensi indulsit.

Conclusio 4ta

Cum iuxta Rubricas officio Defunctorum in Breviario Ordinis praefixa, in festis 9. lectionum omittendum sit officium Defunctorum, dies vero infra Octavas 2dae classis, per modum festi 9. Lect. celebrari videantur, sicut ipse festorum eorundem dies octava, est per modum celebris, petendam duxit Reverendissimum Capitulum ab Illustrissimo Generali declarationem, an praedictis Octavarum diebus, obligatio sit, officium defunctorum conventualiter absolvendi, necne ?

Conclusio 5ta

Petit item declarationem Reverendissimum Capitulum an tempore durantis Capituli Generalis officia Vicariatus et Visitatoris Generalis ita expirent, ut legitime constituti alioquin Vicarii et Visitatores Generales, nullatenus, etiam in gravi urgente et exigente necessitate, et dum in mora periculum est, functiones Vicarii et Visitatoris valeant exercere ?

(p. 18) *Conclusio 6a*

Super mota quaestione quis in futurum in casu novae electionis Abbatis Plagensis [37]), praesidium electionis habere deberet ; Resolvit Reverendissimum Capitulum, quatenus salvis Monasteriorum Strahoviensis et Plagensis iuribus, praesidium maneat in statu quo,

[37]) Plaga seu Schlägl, in Austria Superiori.

prouti videlicet in Capitulo Generali de Anno 1663, super quaestione, quis moriente Domino Plagensi debeat praesidere electioni novi Abbatis ? Responsum fuit : quod Vicarius Generalis illius Circariae deberet praesidere, non obstantibus praetensionibus Reverendissimi Domini Abbatis Strahoviensis, circa ius Paternitatis ad illud Monasterium [38]). Petit nihilominus Reverendissimum Capitulum ut in controversiae huius decisione a Reverendissimo et Illustrissimo Domino Generali, et Reverendissimo Generali Capitulo ad quod decisio est remissa specialis reflexio habeatur Monasteriorum Circariae nostrae, ne illis praeteritis extra Provinciam Monasterio illi, Pater Abbas constituatur, qui ad Aulam Caesaream interpositionem non valeat functiones Paternitatis exercere.

Indicta deinde fuit sessio pro horis pomeridianis.

Sessio 5ta

Ab hora tertia pomeridiana.

Conclusio 1a

Retulit Reverendissimus Dominus Zabrdovicensis [39]), quod in causa recuperandorum Monasteriorum S. Ordinis nostri, sibi ab Illustrissimo Domino Generali et etiam Capitulo Provinciali Lucensi commissa expeditum sit [40]) : nempe cum magnis Monasterii sui expensis duas Praeposituras olim ad S. Ordinem pertinentes ab Augustissima Sua Maiestate Imperatore Nostro obtinuerit, unamque Monasterio suo fecerit incorporari ac proinde actu pedem in Ungariae Regno fixerit : Aut adhuc fructuosius iunctis nempe viribus negotium hoc apud Aulam Caesaream, ipsosque Regni Ungariae Proceres quaeri et solicitari possit, desideravit causam recuperandorum Monasteriorum in praedicto Regno fieri communem Circariae Nostrae, cui Provinciae Un- (p. 19) gariae semper fuerat unita in quem finem officium Vicariatus Generalis in Ungaria ab Illustrissimo Generali ante aliquot annos sibi collatum, Reverendissimo Capitulo

[38]) Hac ratione, ad verbum refertur decisio Capituli Generalis anni 1663. Cfr. ms. Nancy 994 (1767), fol. 265 r°.

[39]) Maximilianus Pfendler (abbas annis 1682-1695). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1181 ; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

[40]) De hac re egit Capitulum Provinciale anni 1687, in sessione 5a. Cfr. supra, p. 167.

ultronee noluit resignare. Relectae deinde sunt litterae Reverendi Patris Ernesti Krenniger Canonici Strahoviensis, quibus Reverendissimo Capitulo notificat, quod habens in Ungariae Regno Parochiam, ab Augustissima sua Maiestate Imperatore nostro, gratiose obtinuerit Praeposituram titularem atque pro bono et incremento S. Ordinis nostri in illo Regno insistere valeat, Monasteriorum recuperationi pecuniarium a Reverendissimo Capitulo efflagitarit subsidium.

Mentio denique etiam facta est Domini Casimiri Meiner S. Ordinis nostri, in Lotharingia professi, qui in Regia Civitate Leizoviensi curatum beneficium possidet, et ad titulum alicuius Praepositurae Pontificalibus insignibus est insignitus. Videns proinde Reverendissimum Capitulum, quod S. Ordo noster Praemonstratensis iam actu in Ungaria pedem fixerit, una tamen considerans quod Circariae Boëmiae difficile foret extraneae Provinciae bonum, expensis propriis, cum Monasterium suorum damno procurare, noluit quidem ex respectu debito erga Illustrissimum Generalem ultronee sibi oblatam resignationem suscipere ; censuit tamen Illustrissimum Dominum Generalem submissime requirendum, num placeret sub speciali Vicario suo Generali, Provincia Ungariae, a Circaria Boëmiae servare abstractam, aut si praeplaceret dimisso speciali Vicario memoratam Provinciam Circariae Boëmiae rursum incorporare ? Quo facto non intermitteret solicitissime iunctis viribus pro bono et incremento S. Ordinis allaborare et curare, quatenus S. Ordo in Ungariae Regno maiora et auctioriora sumat incrementa ; quia tamen adhuc S. Ordinis negotium in hoc passu ageretur, petit Reverendissimum Capitulum pro eo eventu ex toto Ordine aliquibus mediis, de ordinatione gratiosa Illustrissimum Domini Generalis, Suae Circariae succurri.

*Conclusio 2^da^*

Proposita fuit quaestio an plures et quot in electione Abbatis possint uni vota sua committere ? et resolutum fuit a Reverendissimo Capitulo : Quamvis nullo iure causatum sit, ne plures, aut incerto (p. 20) duntaxat numero, cum ex eligentibus vota sua committere valeant, nihilominus ob ponderosissimas causas vitandae electionis, pro S. Ordine et Provincia nostra, petit Reverendissimum Capitulum, quatenus a Reverendissimo et Illustrissimo Domino Generali Ipsoque Generali Capitulo constituatur, ne ex eligentibus ullus

plus quam duo vota habeat, unum videlicet proprium, et alterum ex commissione.

Conclusio 3tia

Cum etiam iuxta S. Statuta et Capitulum Generale A° 1663, in Abbatum electione Praeses electionis, in casu quo eligentium vota ita dispergantur ut in concordiam reduci non valeant, possit personam idoneam imponere, quam eligentes teneantur acceptare, ne pure consuetudinario iuri in hoc passu inhaereat ? Decerni eadem authoritate petit Reverendissimum Capitulum, per quot vices electio admittenda sit ut votis dispersis idoneam personam Praeses imponere possit, et eligentibus acceptare teneantur [41]).

Sessio 6ta

Horis antemeridianis, 27 Septembris.

Quaesitum est a Patribus Prioribus, ut si quod ad uniformitatem inducendam aliudve conventualem observantiam attinens proponendum habeant, Reverendissimo Capitulo exponant. Diversa ab ipsis proposita secundum Statutorum et Ordinarii tenorem, quantum fieri poterat, resoluta sunt quae in specialem chartam congesta Reverendissimis Dominis Comprovincialibus communicata et ad observandum in Conventibus omnibus demandata fuerunt, ac brevitatis causa actis Capitularibus inserta non sunt.

Conclusio 1a

Inter reliqua motum fuit an Patribus Philosophiae et Theologiae Professoribus aliqua praerogativa in Conventualibus prae aliis concedenda sit ? Resolvitque Reverendissimum Capitulum exemptiones

[41]) Capitulum Generale anni 1663 de hac re ita statuit, in sess. 12a: « *Casu quo in discordia fratrum de electione, si ultra, vel contra consilium Abbatum, idoneae personae pater Abbas discordantibus praesideat, hoc ipso proviso, tamquam contra Ordinis formam facta debeat esse nulla, et provisus per hoc nil iuris acquirat.? Responsum est Statuta Ordinis Dist. 4. C. 12. n. 21. providisse quod in discordia fratrum, si nequeant ad concordiam revocari, pater Abbas idoneam personam eis providere debeat, quam sine contradictione in Abbatem omnes recipere teneantur* », Ms. Nancy 994 (1767), fol. 264 v°.

Professorum actu docentium a Praelatorum pendere arbitrio, ut tempus pro studiis sufficiens habeant, finito autem studio, quod professi sunt, Theologiae scholasticae Professoribus duntaxat impertitur Reverendissimum Capitulum praerogativam, ut (p. 21) etiam extra actuale studium inter maiores de domo reputentur, et reputari debeant, relinquitur arbitrio Reverendissimorum Dominorum Praelatorum, melius meritos, et Monasteria per studium proficuos, maioribus praerogativis consolari.

*Conclusio 2^da^*

Petitum submisissime fuit a Patribus Prioribus unanimiter (eo de facto in hac Circaria Religiosi Conventuales diversis obedientiis interdiu occupentur et propter studia et curam animarum, diurnumque chorum non parum debilitentur, ita ut perpauci maiorem aetatem attingant) quatenus Reverendissimum Capitulum gratiose velit apud Illustrissimum Dominum Generalem intervenire, ut saltem hyemali tempore, ob auri rigorem et inclementiam, ex qua gravissimis catharis terras nostras aquilonares, et vehementius frigidas inpolentes opprimi solent, vesperi Matutinas generaliter absolvere queant, ut hoc modo Religiosi adiuventur, et a damnosis infirmitatibus praeserventur.

Quorum petitioni annuendo Reverendissimum Capitulum pro praeinsinuata gratia Conventibus concedenda apud Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Generalem intercedendum censuit, et praesentibus submisse intercedit.

Demum omnibus proponenda videbantur propositis et probe discussis ac resolutis Reverendissimi Domini Praelati pro occurrentibus Ordinis necessitatibus exequendis, Patri Priori Gradicensi [42]) (uti et Procuratori Generali, Tallias pro quadriennio) deposuerant singuli pro prima vice suum contingens.

Haec omnia per Reverendissimos Dominos Revisores Reverendissimum Dominum Strahoviensem [43]), et Reverendissimum Dominum Plagensem [44]) debite revisa et examinata, Reverendissimis et Amplissimis Dominis Circariae Boëmiae annexarumque haeredita-

[42]) Capitulum Provinciale praesens celebratur in canonia Gradicensi (Hradisch ; Hradisko).

[43]) Vitus Seipel. Vide n. 6.

[44]) Michael Felder. Vide n. 11.

tiarum Provinciarum Praelatis, aliis admodum Reverendis Patribus Prioribus, Praesidibus et Curatis, relata et publicata sunt die 28 Septembris. S. Wenceslai Duci Boëmiae et Martyri Sacra, ac omnium Reverendissimorum Praelatorum manibus subscripta et sigillis sigillata.

Norbertus Zieletzky Abbas [45]) Gradicensis et Vicarius.

Vitus Seipel Abbas [46]) Strahoviensis et Visitator.

Fr. Milo Strobl Abbas Siloënsis [47]) et nomine sui principalis.

Gregorius Klein [48]) Abbas Lucensis,

(p. 22) Godefridus Czelechowsky [49]) Abbas S. Vincentii.

Reimundus Willfert Abbas [50]) Teplensis et nomine Reverendissimi Domini Chotieschoviensis.

Maximilianus Pfendler [51]) Abbas Zabrdovicensis.

Michael Felder Abbas [52]) Plagensis.

Franciscus Praepositus [53]) Doxanensis.

Franciscus a Schöllingen [54]) Praepositus Pernecensis.

Carolus Kratochvis Praepositus [55]) Neo-Reischensis.

Balthasar a Gerbert [56]) Praepositus Czarnovacensis.

Fr. Bernardus Wancke Prior Gradicensis Capituli et Vicariatus Secretarius iuratus [57]).

Fr. Joachim Vitte Prior Sioneus.

Fr. Carolus Mitis Prior Siloënsis.

Fr. Leopoldus Ticzek, Prior Lucensis.

[45]) Vide n. 1.

[46]) Vide n. 6.

[47]) Vide n. 7.

[48]) Abbas annis 1679-1697. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 93; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 299.

[49]) Vide n. 9.

[50]) Vide n. 10.

[51]) Vide n. 39.

[52]) Vide n. 11.

[53]) Vide n. 12.

[54]) Praepositus annis 1677-1707. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 307.

[55]) Praepositus annis 1687-1698. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 939, scribit Carolus Kratschuille; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 304, habet Kratschvile.

[56]) Praepositus inde ab anno 1681. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, p. 591.

[57]) Vide n. 13.

Fr. Carolus Keller Prior Vincentinus [58]).
Fr. Fridericus Redman Prior Zabrdovicensis [59]).
Fr. Antonius Herl Prior Milovicensis.
Fr. Rudolphus Widerlechner Prior Geracensis.
Fr. Adalbertus Landgraff, SS. Thl. Doctor, Prior Plagensis [60]).
Fr. Petrus Langhoffer Prior Pernecensis.
Fr. Andreas Zabrzesky Prior Neo-Reischensis.
Fr. Hieronymus Praeses in S. Monte Praemonstrato, SS. Thl. Doctor.
Fr. Godefridus Praeses Kyritanensis.
Fr. Matthias Feitell nomine Parochorum Strahoviensium.
Fr. Josepus Wesseli nomine Parochorum Siloënsium Reverendissimi Capituli Notarii ; Philosophiae Professor [61]).
Fr. Georgius Kisselius Professus Gradicensis, Curatus Cholinensis.
(p. 23) Fr. Nicolaus Fromholdt, Professus Lucensis Curatus Tassovicensis.
Fr. Augustinus Müller nomine Parochorum Teplensium [62]).
Fr. Rochus Prossex nomine Parochorum Milovicensium.
Fr. Wenceslaus Majj nomine Parochorum Zabrdovicensium.
Fr. Engelbertus Stoffmaier nomine Parochorum Geracensium.
Fr. Nicolaus Ding. Notarius Professus Gradicensis, S. Thl. Doctor et Professor.
Fr. Petrus nomine Parochorum Doxanensium.
Fr. Joannes Nerlich nomine Parochorum Czarnovacensium.

MICHAEL COLBERT [63]) Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Praemonstrati Abbas, totiusque Canonici Praemonstrati Ordinis Caput et Reformator Generalis, Regi Christianissimo in sanctioribus consiliis, etc. etc. : Reverendo admodum ac Amplissimo Domino Domino Norberto Zieletzky de Poezenitz inclitae Ecclesiae nostri Gradicensis Abbatis [64]), ac nostro per Boëmiam haereditariasque

[58]) Iste anno 1697 fit abbas S. Vincentii Wratislaviensis; non recensetur in catalogo abbatum apud C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1115. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 337; L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,... I, p. 438.
[59]) Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., II, p. 80.
[60]) Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., I, p. 486 s.
[61]) Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., II, p. 384 s.
[62]) Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., I, p. 613.
[63]) Vide n. 5.
[64]) Vide n. 1.

Caesareae Maiestatis Provincias ipsi adiunctas, Vicario Generali, nec non Reverendis admodum ac Amplissimis Dominis Dominis Comprovincialibus Abbatibus ac Praepositis, Reverendisque ac Venerabilibus Patribus Prioribus, aliisque Canonicis ad dictarum Circariarum comitia Provincialia in praefata Ecclesia nostra Gradicensi die 23 Septembris et sequentibus, Anni proxime elapsi 1691, celebrandi congregatis, salutem intimumque Paternae dilectionis affectum.

Capituli vestri Provincialis in inclyto nostro Gradicensis Monasterio die 23 Septembris et subsequentibus Anno proxime alapsi 1691. Deo Optimo auspice congregati et celebrati, acta seu decreta paginis 34, comprehensis titulo praeliminari et Capitulantium subscriptionibus contenta, sex sessionibus comprehensa, et Reverendissimorum admodum Dominorum duodecim Abbatum seu Praepositorum sigillis munita, vidimus, legimus, et pro officio nostri debito examinavimus, et plerumque Statutis nostris, comitiorumque Generalium decretis apprime conformia reperimus, ac disciplinae regularis instaurationi consultissime sancita, summa cum cor- (p. 24) dis oblectatione animadvertimus ; quare illa, authoritate nostra laudavimus, approbavimus, et confirmavimus, laudamus, approbavimus, et confirmavimus, exceptis quibusdam conclusionibus, quas de Nostra ac S. Ordinis authoritate quandoque derogare, vel quarum resolutionem a Capituli Generalis iudicio plerumque pendere iudicavimus ; quibus quidem pro materiae casuumque diversitate, diversimode respondere censuimus, easque hic per ordinem recensere. Scilicet.

Sessione secunda, Conclusione 3, ad quaestionem Nobis propositam super constitutione et *decreto Capituli Generalis 1657, sess. 5, in quo sic legitur, Capitulum decernit quod vacante Ecclesia Praemonstratensi, iurisdictio Circariarum erit penes Vicarios D. Praemonstratensis, et in casu mortis Vicariorum, erit penes Visitatores seu Circatores authoritate Capituli Generalis creatos.*

Utrum illud decretum copulative, ut mortuo simul Illustrissimo Generali et Vicario eius, an vero divisive, ut solo Vicario mortuo, superstite Illustrissimo Generali, administratio Provinciae et Iurisdictio devolvatur ad Circatorem ? Respondemus hoc decretum copulative, uti luce meridiana clarius patet, intelligendum esse, cum editum sit ex hypothesi quod vult Ecclesia Praemonstratensis. Verum propter difficultatem recursus quandoque ad Nos, Amplissimorum Capitulantium petitioni benigne annuentes, suprema qua in Ordine pollemus authoritate, indulgemus et concedimus, ut Boëmiae ad-

iunctarumque Circariarum Vicario Nostro Generali mortuo, in posterum iurisdictio et administratio Provinciarum ipsarum, etiam non vacante Ecclesia Praemonstratensi, ad Capituli Generalis Circatorem devolvatur.

In ipsamet sessione conclusione 4. Amplissimum Capitulum definit supplicandum instantissime Capitulo ac Illustrissimo Domino Generali quatenus Domini Comprovinciales Praelati possint in posterum sibi Vicarium Generalem eligere, qui electionis suae confirmationem ab Illustrissimo Generali pro tempore existente petat. Circa hanc conclusionem dolemus certe quod dictorum Amplissimorum supplicationi hac in parte benignam aurem praebere non possimus ; electio quippe illa foret omnino sacrae Ordinis, ac Nostrae iuris- (p. 25) dictioni contraria, cum iuxta Statutorum praescriptum, Vicarii non eligantur, sed omnino instituantur, atque eo minus eligendi facultatem possumus indulgere, quod nulla ratio ad id Nos impellere videatur ; ex parte quidem Augustissimi Imperatoris, non enim alius Boëmiae adiunctarumque Circariarum instituitur Vicarius, nisi subiectus ex ditione Sacrae Caesareae Maiestatis de cuius quidem fide nullus suspicandi locus esse potest ; ex parte autem Ordinis, rectaeque disciplinae nihil Nos movere debet, cum Capituli Generalis A° 1657, sess. 8, decreto eiusmodi electionem inducere potuissemus. Sacra res est Ordinis authoritas, de qua nefas est decerpere aliquid. Neque ob id Amplissimi Domini Nobis infensi atque invisi esse debent, cum Sacra Ordinis iura nobis commissa tueri et defendere, ac pro iis, quasi pro aris decertare, etiam Sacramento, teneamur.

Sessione 3, Conclusione 5ta, cum per visitationis annuas hisce difficillimis bellorum temporibus, et Visitatores, et Monasteria plurimum graventur, conclusum est, deprecandum apud Nos, quatenus annuas visitationes in triennales commutemus, stante semper apud Visitatores potestate visitandi toties quoties, in casu vel necessitatis vel manifestae utilitatis, ordine servato inter Vicarium, Patres Abbates et Circatorem ; huic petitioni benigne annuimus, quamdiu bellum durabit ; quo finito mandamus Vicario, Patribus Abbatibus, et Circatori ut officium suum, quisque respective, secundum Statutorum dictamen resumat et fideliter adimpleat.

Conclusionem 8, quoad evectionem festorum SS. Fundatorum Ordinis ad gradum festorum duplicium ; ad Capituli Generalis decisionem remittendum iudicavimus.

Petitioni Amplissimi Capituli in Conclusione 9ª contenta pro debita Beatissimo Parenti Nostro gloria devote consentimus.

Ad Conclusionem 10ma, Amplissimi Capituli proposito, Missalia et Breviaria Ordine Typis in Boëmia mandandi, consentire non possumus, eo magis quod indilate, ab Ordinis electo Typographo Frederico Leonard nova tum Missalia tum Breviaria imprimi debeant, iuxta Privilegium ipsi a Capitulo Generali indultum, necdum finitum.

(p. 26) Ad supplicationem Capituli in conclusione 11ma, ut apud Sanctam Sedem pro Canonizatione alicuius Beati Alumni ex Ordine insistamus zelo quidem pro Ordinis gloria, ad id abundamus, sed aere ad id necessario Sacrum Ordinem deficere nemo nescit.

In Sessione 4ta, Conclusione 4ta, petitionem Capituli quoad recitationem officii defunctorum infra Octavas Triplicium secundae classis, ad Capitulum Generale remittendam censemus, et remittimus resolvendam.

Ad eiusdem sessionis conclusionem 5tam, Respondemus, Vicariorum seu Visitatorum Capitulo Generali ex legitima causa non adstantium, sedente et durante ipso Capitulo, authoritatem et potestatem plene subsistere atque ad significatam ipsismet Vicariis et Visitatoribus, Vicarii seu Visitatoris alterius institutionem.

Ad conclusionem 6tam accepta receptaque a Nobis ratione petitionis non constituendo alio Patre Abbate Monasterio Plagensi, quam ex Boëmia et coetera Novalium, nisi ex Provinciis vestris, a Nobis nominandum spondemus.

In sessione 5ta, Conclusione 1ª, ad expositionem Amplissimi Domini Zabrdovicensis proponentis Unioni Boëmiae, et resignantis officium Vicariatus ipsi a nobis collatum, dum velit Capitulum causa recuperationis Monasteriorum Nostrorum in Ungaria fieri communem ipsi Boëmiae, coeterisque adiunctis Provinciis ; conformiter ad Capitulorum Generalium Decreta, consentimus Ungariam denuo incorporari Boëmiae, coeterisque adiunctis Provinciis ; et revocato speciali ipsius Ungariae a Nobis collato Vicariatu, ab ipsomet Boëmiae Vicario gubernari, ac iuvandarum dictae Boëmiae coeterarumque adiunctarum ipsi Provinciarum gratia in recuperatione Monasteriorum Ungariae pro obtinendo subventionis auxilio, apud proximum Capitulum Generale omni Nostra authoritate, omnibusque viribus allaborabimus.

Ad petitionem Capituli, conclusione secunda contentam ut videlicet nullus in electione Abbatum possit plus quam duo vota habere, unum scilicet proprium et aliud unicum ex commissione. Responde-

mus quod quamvis in electionibus Abbatum liceat eligentibus, secundum iura, compromittere unum ; nihilominus tamen supplicationi Amplissimi Capituli favere volentes (p. 27). Provisionaliter indulgemus ut in Boëmia, coeterisque unitis Caesareis Provinciis possit compromitti nisi conformiter ad petitionem Amplissimorum Comprovincialium, atque ad primum Capitulum Generale, cuius erit statuere quod libuerit.

Ad petitionem Conclusione 3ª factam quot vicibus Pater Abbas obligetur in electione Abbatum, non concordantibus inter se electoribus, novam electionem admittere, ut possit valide et licite proprio et pleno iure personam idoneam nominare, et electores teneantur acceptare. Resp. : Tali dubio sufficienter per Statuta distinct. 4, Cap. 12, et per Capitulum Generale Anni 1663, provisum fuisse, nec facile vices connumerari et determinari posse quibus in tali casu electio nova admitti debeat, sed hoc a prudentia et iudicio Patris Abbatis, seu Praesidis, et Coabbatum consilio dependere.

In Sessione 6ta ad conclusionem secundam pro iuvandis Religiosis in functione obedientiarum tam intus quam foris, proque praeservandis ipsis a plurimis infirmitatibus, morbisque quibus plerumque propter Patriae aurae inclementiam laborant petitioni Reverendissimorum ac Venerabilium Patrum Priorum gratiose annuimus, sicut et Amplissimi Capituli benigneque indulgemus ut hyemali tempore a festo scilicet Omnium Sanctorum usque ad Pascha, Religiosi Conventuales vespere Matutinas persolvant, Matutinarum ipsarum horam per aestivum tempus, prudentiae, discretioni et charitati Amplissimi Domini Vicarii Nostri relinquentes.

Quae autem passim intacta silentio praetermisimus, haec a Nobis ratihabita, approbata et confirmata declaramus. De coetero mandamus Amplissimo Domino Vicario Nostro, quatenus praesentem Nostram Capituli Vestri confirmationem et approbationem, iudiciumque et decisionem super quibusdam contentis in eo conclusionibus vobis omnibus et singulis debite notificari faciat.

Datum in Archi-Coenobio Praemonstratensi die 14 mensis Iunii Anno 1692. In quorum fidem ac robur praesentes manu propria et Secretarii Nostri subscriptas, sigillo Nostro jussimus communiri.

D. Michael Colbert, Abbas
Praemonstratensis et Generalis.

L. S.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi in Christo Patris ac Domini mei Abbatis Praemonstratensis ac totius Ordinis Generalis.
F. J. Benois Secretarius. (autograph.)

(p. 29) PUNCTA CAPITULI PROVINCIALIS REVERENDISSIMORUM DOMINORUM CIRCARIAE BOHEMIAE, et unitarum Provinciarum Praelatorum, in Monasterio Gradicensi ad Olomucium celebrati, quo consensu omnium Reverendissimorum Dominorum conclusa, acceptata, ad observandum decreta, ac demandata fuerunt. A^{d} 1691, die 20 Septembris et sequentibus.

Primo : decretum est ab omnibus simpliciter Praelatis, quoad dispensationem cum Conventibus in Adventuali ieiunio et abstinentia Septuagesimae ad Vicarium Generalem esse recurrendum, ab eoque petendam esse dispensationem.

Secundo : Concessae erunt Concionatoribus ordinariis, aliis obedientiis distractis, etiam extra Urbes ad populum dicentibus antecedentes duae dies a Choro vacandi, vesperis Sabbathinis, aut primis festi occurrentis exceptis, quibus interesse tenentur.

Tertio : Festum Lanceae Domini die Veneris post Dominicam in Albis celebrari debet, etiamsi illa die novem lectionum occurrat.

Quarto : Officium Defunctorum duabus primis maioris hebdomadae diebus choraliter absolvendum est.

Quinto : In festo Corporis Christi quoad solemnem Processionem cum cantu quatuor Evangeliorum ritui Dioecesano Monasteria Se conformari debent.

Sexto : Constitutum est, ut si in Archiviis Monasteriorum aliqua documenta Monasterium Kaunicense concernentia invenirentur, ea ad manus Reverendissimi Domini Vicarii quantocius resignentur.

(p. 30) Septimo : In brevibus defunctorum ad Monasteria Monialium destinandis ly « Sorores » ad titulum interiorem addendum est.

Octavo : Commendatum est Reverendissimis Dominis Praelatis et Patribus Prioribus ratione usus tabacae, ne sine Medici ordinatione quis illa utatur sub poena in Capitulis praecedentibus constituta.

Nono : Genuflexio in exitu ad Sacrificium celebrandum dum maius Altare transitur Sacratissimo semper facienda est deposito byreto.

Decimo : Semper ad terram usque non perfunctorie faciendae sunt genuflexiones.

11mo : Grisei coloris pilei inhibiti sunt portari in Monasteriorum vicinia et Civitatibus, admissi vero longius iter agentibus.

12mo : In Adventu Sacro matutinali de Beatissima Virgine, Rorate dicto, dum lectum fuerit, omnes Conventuales interesse teneantur, cum cantatum fuerit interesse non sunt obligati.

13to : Gloria, in Rorate solenniter cantato, cantandum est.

14to : Nona canonica cum cursu, dum colloquium in prandio futurum est, ante, sine illo post prandium oranda.

15to : Inclinationes sub Gloria Patri ad initium horarum versis ad invicem vultibus, sive in Officio Canonico, sive in cursu Sanctissimae Virginis semper faciendae prout praescribit Ordinarius.

16to : Collectae omnes in cursu erectim, et vultu versus Maiestatem converso orandae sunt, eodemque situ a Conventu excipiendae, uti et psalmus Deus misereatur, etc.

(p. 31) 17mo : In Cursu Beatissimae Virginis inclinationes sub Gloria Patri post psalmos semper sedendo faciendae.

18vo : Officium Defunctorum sicuti et psalmi poenitentiales in quadragesima absolvi possunt in Choro a 6 Religiosis aut etiam 4 juxta indultum Capituli Generalis de Anno 1660. Sess. 9 [65]).

19mo : Officium defunctorum in festo Annuntiationis Beatissimae Virginis duabus primis hebdomadae diebus occurrente in Sacello domestico absolvendum est. Psalmi poenitentiales in Choro orandi.

20mo : Vesperae Canonicae Officium defunctorum quodcumque mediate subsequentes orari possunt exceptis illis in quibus Antiphonae cantandae sunt sub fine Adventus, et nisi occurrat festum 9 lectionum, aut maius.

21mo : Psalmi poenitentiales a Clericis hebdomadatim secundum obligationem orari soliti non choraliter sed privatim sunt absolvendi.

22do : Capucia semper portanda sunt a Conventualibus intra Conventum existentibus.

[65]) Ita habet Capitulum Generale anni 1660: *R. D. Parcensis quaesivit an non videatur aliquod mutandum in decreto ultimi Capituli generalis* (anni 1657), *sess. 28a, quod sic habet: Item Capitulum decernit ut in Quadragesima possint legi deinceps in choro septem psalmi post Sextam a quatuor canonicis per Superiorem deputandis; similiter decernit quod Vigiliae defunctorum in eadem Quadragesima a quatuor recitari recitari poterunt; et utrobique omnes interesse debebunt, ubi deputatio non fuerit a Superiore facta; Capitulum definit intactum relinquendum esse decretum* ». Ms. Nancy 994 (1767), fol. 237 b.

23to : Festa Ordinis ad calcem Breviarii apposita suo die occurrente celebrentur.

24to : Dum festa duplicia plura occurrunt sibi succedentia, Officium defunctorum pro defuncto Confratre haberi potest cum commendatione et Sacro aliqua die ipsorum festorum.

25to : Benedictio mensae et gratiarum actio oranda est, petitio benedictionis et ipsa Lectoris benedictio in prandio et coena cantanda. In collatione etiam hac preces orandae sunt.

(p. 32) 26to : Psalmus Laudate Dominum omnes gentes post prandium in Refectorio semper dicendus est, dum ob futurum colloquium nono ante mensam fuerit absoluta.

27to : Diebus Dominicis a Sacerdote officiante non tantum Chorus sed etiam populus in navi Ecclesiae existens aspergendus.

28vo : Sub aspersione versus *Asperges* integre resumendus est post Gloria Patri, et non praecise a *Lavabis*.

29no : Byretum impositum totius processionis tempore extra stationem et introitum Chori haberi debet.

30mo : Cantor et Succentor in Officio defunctorum solemni non pluvialibus, sed Rochetis et stola utantur.

31mo : Commendatio media in Servitiis fratrum hora Canonica immediate Sacrum antecedente persoluta absolvatur. Post Cursum persolutum horae eiusdem Sacrum est inchoandum.

32do : Sacrum Conventualiter cantatum pro defuncto Confratre praemitti potest mane, Officio defunctorum eadem die post meridiem orando.

33to : Byretorum usus dum Conventus cappis in Choro utitur abrogatus est.

34to : Capilli ultra aures non defluant, sed ita breves sint ut extramitas aurium appareat.

35to : Prior in Conventu, ubi copiosior numerus est Sacerdotum, tenetur habere Officium duntaxat in Triplicibus tertiae classis ; et duplicibus Solennioribus.

(p. 33) 36to : Supprior in Conventu simili, tenetur habere officium in omnibus festis duplicibus minoribus et ob hoc cursui non est adscribendus.

37mo : Circator etiamsi sit in parte Prioris, mensae semper ex parte Supprioris praesideat.

Ad haec Reverendissimum Capitulum constituit et declaravit quatenus in electione Reverendissimorum Dominorum perpetuorum Sanctimonialium Sacri Ordinis nostri Praemonstratensis Praeposito-

rum modus et forma in omnibus prorsus servetur, qui in statutis nostris de Abbatum electione praescriptus est, et de facto in Circaria nostra complurium annorum spatio observatur.

Primo quidem Praeposito sive per mortem sive resignationem aut translationem cedente dies electionis determinanda erit a Reverendissimo Domino Patre Abbate qui die constituta electioni praesidebit.

2do : Ad actum electionis invitabuntur de consilio Patris Abbatis a Conventu vacante duo sacri Ordinis nostri Praelati pro electionis assistentia qui scrutinio actui electionis praemittendo ut ante Abbatum electionem consuetum est intererunt. In ipso electionis actu scripta eligentium Virginum vota colligent, revidebunt et Reverendissimo electionis praesidi ea exhibebunt.

3^{tio} : Pater Abbas ex suo Monasterio Virgines Conventui tres Religiosos, vita, scientia, moribusque probatos et utroque regimine aptos, quos pro Praelati munere dignos ; (p. 34), maiores et seniores de domo rite nominaverint. Ex quibus unum Conventui Virgineo, si Patri Abbati placuerit, proponet, praesentatumque a Reverendissimo Patre Abbate tanquam ipsi melius, quam Sibi notum Conventus eligere poterit.

Ad interventionem Reverendissimi Domini Praelati et totius Venerabilis Conventus Teplensis submisi toti Reverendissimo Capitulo supplicanti Patri Michaeli Treboer eiusdem Monasterii Professo gratia conceditur, ut secundum arbitrium Reverendissimi Domini Praelati sui, stallo non quidem pristino, altiori tamen quam nunc tenet, et tenere deberet, stallo restituatur, tempore quo Reverendissimo Domino Praelato visum fuerit.

Haec omnia die 28 Septembris capitulariter relecta et ad observandum in omnibus huius Circariae monasteriis publicata, et Reverendissimi Domini Vicarii Generalis, totiusque Reverendissimi Capituli, nomine subscripta et sigillata fuerunt die ut supra A° 1691.

(L. S.) Norbertus Zieletzky Abbas Gradicensis et Vicarius [66]).
(L. S.) Vitus Seipel Abbas Strahoviensis et Visitator.
(L. S.) Fr. Milo Strobel Abbas Siloënsis, et nomine sui Principalis.
(L. S.) Gregorius Klein Abbas Lucensis.
(L. S.) Godefridus Czielechovsky Abbas S. Vincentii.

[66]) Nomina hic apposita, practice eadem sunt ac illa ipsis Actis Capituli supposita (cfr. supra, p. 199 s.) ; non semper stricte eadem ratione utrinque scribuntur haec nomina.

(L. S.) Reymundus Willfert Abbas Teplensis et nomine Reverendissimi Domini Chotieschoviensis.
(L. S.) Maximilianus Pfendler Abbas Zabrdovicensis.
(L. S.) Michael Felder Abbas Plagensis.
(p. 35) (L. S.) Franciscus Praepositus Doxanensis.
(L. S.) Franciscus Praepositus Pernecensis.
(L. S.) Carolus Kratschil Praepositus Neöraüschensis.
(L. S.) Balthasar a Gerbert Praepositus Czarnovacensis.
Fr. Bernardus Wancke Prior Gradicensis Capituli et Vicariatus Secretarius iuratus et Sanctae Theologiae Doctor.
Fr. Joachimus Vitte Prior Sioneus.
Fr. Carolus Mitis Prior Siloënsis.
Fr. Leopoldus Tuczek Prior Lucensis.
Fr. Carolus Koller Prior Vincentinus.
Fr. Fridericus Redmann Prior Zabrdovicensis.
Fr. Antonius Herl Prior Milovicensis.
Fr. Rudolphus Widerlechner Prior Geracensis.
Fr. Adalbertus Landgraf Sanctae Theologiae Doctor, Prior Plagensis.
Fr. Petrus Langhofer Prior Pernecensis.
Fr. Andreas Zabresky Prior Neöreüschensis.
Fr. Hieronymus Flade Praeses in S. Monte Praemonstrato, Sanctae Theologiae Doctor, Professus Gradicensis.
Fr. Godefridus Vollauff Praeses Kyritainensis.
Fr. Mathias Feitel nomine Parochorum Strahoviensium.
Fr. Josephus Wessely nomine Parochorum Siloënsium, Reverendissimi Capituli Notarius, Philosophiae professor.
Fr. Nicolaus Dirio, Reverendissimi Capituli Notarius, Sanctae Theologiae Doctor, Prof. Gradicensis.
Fr. Georgius Kyselius, Prof. Gradicensis. Parochus Cholinensis.
(p. 36) Fr. Nicolaus Tromholt Prof. Lucensis, nomine Parochorum Lucensium.
Fr. Augustinus Miller Prof. Teplensis, nomine Parochorum Teplensium.
Fr. Wenceslaus May, pro Parochis Zabrdovicensibus.
Fr. Engelbertus Stoffmaijer, nomine Parochorum Geracensium.
Fr. Joannes Nerlich nomine Parochorum Czarnovacensium.

(L. S.)

Concordat cum originali.
Norbertus Zieletzky Abbas Gradicensis
et Vicarius Generalis (autogr.).
De mandato Reverendissimi Domini Vicarii Generalis
Fr. Bernardus Wancke Prior Gradicensis, Capituli Secretarius juratus.
Pro Monasterio Gradicensi.

Iunctim cum approbatione Cap. Prov. Gradicensi 1691

Extractum ex Actis et Decretis Capituli Generalis Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis, habiti et celebrati in Archi-Coenobio Praemonstratensi Anno 1657, die 29 Apprilis & seqq.

Ex Sessione 8. die secunda Maii post meridiem.

Capitulo Generali exposuerant humiliter R. R. D. D. Westphaliae, Sueviae, Bavariae, Boëmiae, Poloniae, Ungariae, et Moraviae deputati, se habere in commissis petere, ut cum in dictis Circariis defuerint Vicarii Reverendissimi Domini Praemonstratensis, Praelati earundem Circariarum possint eidem Reverendissimo Praemonstratensi per litteras ab ipsis subsumptas suggerere duos vel tres, quos putaverint ad Vicariatus Officium idoneos, ut Reverendissimus Dominus Generalis posset unum ex ipsis, vel etiam, si ipsi videbitur, alium assumere Vicarium. Capitulum concessit et concedit, indulsit et indulget praedictis Circariis Westphaliae, Sueviae, Bavariae, Boëmiae, Poloniae, Ungariae et Moraviae, ut adveniente casu quo defuerit in iis Vicarius Reverendissimi Domini Praemonstratensis, Praelatus antiquioris Monasterii Circariae, vel Circariarum unitarum de consilio Comprovincialium suorum per litteras ab ipsis subscriptas Reverendissimo Domino Praemonstratensi, intra duos menses a defectu Vicarii computandos, notificando, suggerere possint eidem Reverendissimo Domino Praemonstratensi duos vel tres eiusdem Circariae, vel Vicariarum unitarum Praelatos, quorum unum, vel etiam alium, si ita videbitur Reverendissimus Dominus Praemonstratensis in Vicarium assumat. Quod si infra semestre non fuerit facta eiusmodi suggestio, Reverendissimus Dominus Praemonstratensis pro suo arbitrio providebit, et erunt omnes Vicarii ad nutum Reverendissimi Domini Praemonstratensis semper amovibiles.

Concordare cum originali testor.
f. Michael Colbert Abbas Praemonstratensis.

Concordat cum suo originali.
J. Benois, Illustrissimi Domini Generalis
Secretarius.
(L. S. Vicarii)

Norb. Zieletzky, Abbas Gradicensis
et Vicarius Generalis.
(autogr.).

De mandato mei Reverendissimi Domini Praelati
et Vicarii Generalis.
Fr. Bernardus Wancke, Prior Gradicensis et
Vicariatus Secretarius iuratus.
(autogr.).

11

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Strahoviensi Anno 1700

(p. 1) CAPITULUM PROVINCIALE Reverendissimorum, Perillustrium et Amplissimorum Dominorum Dominorum Praelatorum, Abbatum ac Praepositorum, admodum Reverendorum Venerabilium ac Eximiorum Patrum Priorum, aliorumque Canonicorum Capitularium Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis, in Circaria Bohemiae et Haereditariis sacratissimae Caesareae Maiestatis Provinciis Ipsi incorporatis.

Indictione

Reverendissimi Perillustris ac Amplissimi Domini Domini Norberti Zieletzky [1]) ex Equitibus Moraviae de Doczenitz eiusdem Sacri Ordinis Regiae Ecclesiae Gradicensis ad Olomucium in Marchionatu Moraviae Abbatis, et per haereditarias Caesareas Maiestatis Provincias

Vicarii generalis

Pragae in Regia Ecclesia Strahoviensi
Anno Millesimo Septingentesimo
Die Nona Maii et subsequentibus canonice celebratum.

Sessio I[ma]

Dum compositis belli motibus diu desiderata Pax vicinis Provinciis restituta et in Provincia hac nostra stabilita est, ut et pax vera (quae Sanctissimo Legislatori nostro Augustino est tranquillitas Ordinis) in Candido et Canonico nostro Praemonstratensi per hasce Imperatorias Hoereditarias Provincias, etiam armis perstrepentibus,

[1]) Norbertus Zelicky, aut Zeletsky fuit abbas Gradicensis (Hradisch; Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia) annis 1679-1709. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 757; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294.

Deo pacis et dilectionis praestante, integra et inviolata perseverans, amplius stabiliretur, unitasque Norbertini Spiritus (p. 2) in vinculo pacis firmius arctiusque constringeretur, Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus Dominus Norbertus Zieletzky ex Equitibus de Doczenitz Abbas Monasterii Gradicensis et per Caesareas haereditarias Provincias Vicarius Generalis, authoritate Illustrissimi et Reverendissimi Domini Domini Michaelis Colbert [2]), Abbatis Praemonstratensis, et totius Sacri et Canonici Ordinis nostri Praemonstratensis Generalis, Capitulum Provinciale in celeberrima Regiaque Ecclesia Strahoviensi Pragae nona die Mensis Maii et sequentibus celebrandum indixit et convocavit, quo etiam omnes Reverendissimi Domini Comprovinciales Praelati (unico excepto Reverendissimo Domino Plagensi [3]) cum plerisque admodum Reverendis ac Eximiis Patribus Prioribus et aliis quibusdam beneficio Statutorum simili Capitulari actui interesse valentibus, pridie ante diem designatam convenerunt, ubi die sequenti, ipsa nempe Nona Maii, Sanctissimi Patris nostri Norberti sacratissima Translatione celeberrima, cum consuetis, et per Statuta praeordinatis Coeremoniis introductio Capitularis ex Regia et Parochiali S. Rochi Capella ad ipsam Ecclesiam Strahoviensem, instituta et peracta fuit, vices in hoc actu Reverendissimi et Amplissimi Domini Vicarii Generalis, ob ex perpessa infirmitate remanentem debilitatem, functionem hanc peragere non valentis, supplente Reverendissimo et Amplissimo Domino Visitatore et Abbate Strahoviense [4]), qui Pontificalibus indutus, assistentibus pariter in Pontificali amictu, Reverendissimis et Amplissimis DD. Abbatibus Siloënsi [5]) et Lucensi [6]), pro more Ecclesiam ingredientes lustrali aqua conspersit et benedixit.

[2]) Michael Colbert, Abbas et Dominus Praemonstratensis fuit durantibus annis 1667-1702.

[3]) Abbas Plagensis (Schlägl, in Austria Superiori) tunc (1687-1701) erat Michael Pfelder. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 569; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 310.

[4]) Abbas Strahoviensis, inde ab anno 1690 usque ad annum 1711, fuit Vitus Seipel. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 932; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 313; L. Goovaerts, *Ecrivains*,... II, p. 173 s.

[5]) Abbas Siloensis (Selau, Zeliv, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat Sigismundus Bernbach (annis 1698-1703). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294.

[6]) Abbas Lucensis (Klosterbruck; Louka, in hodierna Tchecho-Slovakia) erat Carolus Kratschuille (annis 1698-1712). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 93; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 299.

Dum ad Ecclesiam Sioneam ob praesentem Solennitatem Sanctissimi Patris Norberti, qua Regni Bohemiae Coelestis Patroni concursui e Triurbe Pragensi refertam, ventum fuisset, venerabunde praevie salutato Corpore eiusdem Sanctissimi Patris Norberti, inibi gloriose requiescentis [7]), et Reverendissimis ac Amplissimis DD. Comprovincialibus (p. 3) Praelatis ad stalla Chori se recipientibus, Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Abbas Siloënsis sacrum non quidem de Spiritu Sancto sed ex respectu praesentis primariae festivitatis, de ipsa Translatione Sanctissimi Patris pontificaliter ad alte memoratum Sanctissimum Corpus habuit, Reverendissimo Domino Vicario ob praeinsinuatam causam ibi celebrare non valente.

Missa hac solemnitate, ad conclave Capituli celebrandi processum fuit, ubi post decantatum hymnum Veni Creator Spiritus, considentibus Reverendissimis et Amplissimis Dominis Comprovincialibus Praelatis, coeterisque admodum Reverendis et respective Eximiis Patribus Capitularibus, eximia facunda oratione ab admodum Reverendo Religioso et Doctissimo Patre Cyrillo Fromm [8]), Canonico Strahoviensi, Venerabili Conventu Strahoviensi praesente, eiusque nomine Reverendissimum et Amplissimum Capitulum salutatum fuit ; qua salutatione finita et recedente praedicto Conventu, Sessio I^ma^ et praeliminaris inchoata fuit zeloso sermone, quo Reverendissimus et Amplissimus D. Vicarius Generalis, imprimis Reverendissimos Dominos Comprovinciales Praelatos, aliosque Capitulariter congregatos amanter salutavit, deinde causam celebrandi Conventus Provincialis, videlicet stabilimentum pacis, quae in Ordinis seu Religionis tranquillitate ipsiusque Tranquillitatis debita regulae sacrae et Statutis conformi coordinatione consistit, exposuit, atque ad ferventer amanterque sibi assistendum in occurrentibus Sacri Ordinis negotiis expediendis admonuit, ac demum ne charitas et pax in hoc Reverendissimo Conventu aliquatenus laederetur, sed prouti in optima Concordia ad montem hunc Sion, in quo pacis Angelus placidissime requiescit, simul convenerunt, in eodem concordiae et pacis osculo, ab illo recedere, et ad propria valeant redire, adhortatus est, quatenus forte minus placita quae occasione tractandorum intercurrere possent Reverendissimi et Amplissimi DD. Comprovinciales aequo animo suscipiant, ac meliori modo stabi-

[7]) Inde ab anno 1627, sacrum corpus S. P. Norberti in ecclesia Strahoviensi asservabatur.

[8]) Cyrillus Fromm per plures annos prorector erat in Collegio Norbertino Pragensi. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 283.

liendae paci, Concordiae et (p. 4) Charitati consulant, triplici hoc funiculo arctius colligato se invicem sibi obstringentes et devincientes.

Post hoc secundum constitutionem sacrorum Statutorum Reverendissimo et Amplissimo D. Vicario Generali, nec non Amplissimo Capitulo obedientiam reverentiamque promiserunt Reverendissimi Domini Praelati, qui ut tales alicui Capitulo Provinciali nondum interfuerunt, videlicet Reverendissimi Domini Abbates Sigismundus Berenbrock Siloënsis [9]), Carolus Keller Vincentinus [10]), Engelbertus Hazek Zabrdovicensis [11]), Engelbertus Hoffmeijer Gerusensis [12]), et Reverendissimi Domini Praepositi Bruno Krenoresky Doxanensis [13]), Andreas Fabritius Chotiessoviensis [14]) ; Bernardus Leipold Neoreischensis [15]) ; Thomas Sheffarezek Czarnovacensis [16]).

Hac promissione praestita Revisores Actorum Capituli nominati et acceptati sunt Reverendissimi et Amplissimi Domini Strahoviensis et Vincentinus [18]) Abbates, manente vero Secretario instituto in Capitulo Provinciali Gradicensi Anno 1691, celebrato, P. Ber-

[9]) Nomen huius Abbatis (vide n. 5) tam apud HUGO, l. c., quam apud BACKMUND, l. c., scribitur Bernbach.

[10]) Carolus Keller fuit abbas S. Vincentii Wratislaviensis, durantibus annis 1697-1710. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 337. Non recensetur a C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1115, inter abbates S. Vincentii. Cfr. etiam L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 438.

[11]) Abbas fuit annis 1695-1712. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320, qui scribit: Hajek. Apud C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 291, non recensetur in catalogo Abbatum.

[12]) Abbas fuit durantibus annis 1693-1712. Apud C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 742, nomen eius scribitur: Hoffmeyer; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291 habet: Hofmayr.

[13]) Praepositus annis 1692-1709. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 641 scribit: Kunowski; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 289, habet: Kunovski. Cfr. etiam L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 472: Kunowski Bruno.

[14]) Praepositus durantibus annis 1698-1706. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 487; C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 560, scribit: « Fabricius ».

[15]) Leipold, abbas Neorisensis (Nova Rise; Neureisch, in hodierna Tchecho-Slovakia) fuit primus abbas e gremio conventus; abbas fuit durantibus annis 1698-1708. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 348; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 304, scribit: Bernardus Leipoldus de Löwenthal.

[16]) Abbas Czarnovacensis (in Silesio orientali) fuit Thomas Schaffarazek (cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 592, scribit Schaffarazech.

[17]) Vide n. 4.

[18]) Vide n. 10.

nardo Wancke [19]), Priore Gradicensi, SS Theologiae Doctore et antea eiusdem Professore, nominati sunt tres Notarii Capitulares admodum Reverendi et Eximii PP. Norbertus Jancke, Prior Zabrdovicensis, Nicolaus Dirig, Canonicus Gradicensis SS. Theologiae Doctor et actualis Professor, Pro-Praeses Sacri Montis Praemonstratensis [20]), Anselmus Swelecky Canonicus et Concionator Strahovie, Parochus Caesareae S. Rochi intra muros Urbis Pragensis Curatus qui etiam consuetum iuramentum de bene agendo suo officio deposuerunt.

Expositae post hoc a Reverendissimo D. Vicario fuerunt Reverendissimis Dominis Comprovincialibus literae excusatoriae Reverendissimi Domini Abbatis Plagensis [21]), quas Reverendissimum Capitulum tanquam legitimam excusationem absentiae continentes, acceptavit.

Indicta demum Sessio secunda pro horis antemeridianis diei sequentis, et simul in hac tractanda puncta breviter exposita.

(p. 5) *Sessio 2da*

habita die decima Maii horis antemeridianis.

Sacrum de Beatssima V. Maria habuit Reverendissimus Dominus Vincentinus [22]).

1

Resolvit ante omnia in hac et futuris sessionibus tractanda, Reverendissimum Capitulam quo ad votum Reverendissimi D. Vicarii Generalis [23]) inhaerendum esse Conclusioni Capituli Provincialis A° 1691 Gradicii celebrati, ut nempe habeat non primum sed ultimum conclusivum [24]).

[19]) B. WANCKE, postea abbas Gradicensis (1709-1714). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 757; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294; L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 365-367, qui scribit, p. 366: « Vixit Deo, orationi et studio ».

[20]) J. Dirig. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 194 s. — Mons Praemonstrati, de quo hic mentio fit, erat sanctuarium, cui hospitium adiunctum erat, in honorem B. Virginis Mariae erectum versus finem saeculi decimi septimi. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, col. 329-332.

[21]) Michael Pfelder. Vide n. 3.

[22]) Carolus Keller. Vide n. 10.

[23]) Norbertus Zelicky. Vide n. 1.

[24]) Vide supra, p. 178, sessio prima, concl. prima.

2

Relectae sunt literae Illustrissimi et Reverendissimi Domini Generalis, quibus elevationem Ecclesiae Pernecensis, et Reverendissimi eiusdem Praepositi P. Francisci a Schollinger ad dignitatem Abbatialem notificavit [25]) et Tallias ab Anno 1670 sibi a Circaria nostra Bohemiae restare existimatas solvi et transmitti desderavit. Gratanter quo ad nuntiatam promotionem, Reverendissimi Domini Abbatis Pernecensis literas has, suscepit Reverendissimum Capitulum, et unanimi affectu Reverendissimo Domini Neo-Abbati congratulabatur. Quo ad Tallias autem iudicavit Illustrissimo et Reverendissimo Domino Generali deprecandum esse, tum quod etiam reducta pace exactiones gabellarum in hac Provincia non modo non cessent sed et augeantur ; tum quod citra notam Aulae Caesareae cuius respectum observare necessarium habet, in hisce Provinciis Sacer Ordo noster, tum quod ab eadem aula Caesarea, si resciret pecunias extra Provinciam a Monasteriis mitti solvendas de gabellis maximas restantias confestim exigeret ; tum quod Provincia nostra modernis temporibus ad reductionem Monasteriorum Hungariae in incremen- (p. 6) tum ad reflorescentiam Sacri Ordinis nostri fructuose cessuram, pecuniis summe indigeat, in quem finem a nulla Provincia, nec ab ipsomet Illustrissimo Reverendissimo D. Generali subsidium aliquod sperandum habet. Et cum Talliae secundum Sacra Statuta nostra dist. 4, c. 7, non nisi in Capitulis Generalibus eorumque auctoritate, atque in manifestam utilitatem Ordinis, aut communi necessitate exigente imponi debeant, salvo omnimodae debitae obedientiae observantiaeque despectu, petendum iudicavit Reverendissimum Capitulum, quatenus Illustrissimus et Reverendissimus D. Generalis gratiose dignaretur Provinciam informare, quaenam expenae ab Ecclesia Praemonstratensi, in emolumentum et necessitatem Sacri Ordinis factae sint, ut solutione Talliarum refundi et compensari deberent cum die huiusmodi expensis Provinciae nostrae nihil penitus constet.

3^io

Monuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Reveren-

[25]) De ista promotione pauca quaedam refert C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 536, dicitque acceptationem huius tituli ex parte abbatis Francisci von Schöllingen factam esse « Ordinis id desiderantis voluntati ut obtemperaret ».

dissimos DD. Comprovinciales : quatenus pro obligatione conscientiae suae cordi sibi ducant instructionem et informationem Novitiorum et expositionem Religiosorum ad curam animarum, ne Magistrum Novitiorum minus idoneum constituendo et minus idoneos ad curam animarum exponendo, perniciose in damnum Communitatis sibi concreditae agant, et deficiendo in iis, a quibus et religionis stabilimentum et animarum salus maxime dependet, in ruinam una cum sibi concreditis, agantur. Hinc innovavit Reverendissimum Capitulum Capituli Provincialis A° 1687 in Lucensi Monasterio celebrati, Conclusionem 4. Sess. 3ae qua praecipitur, ut Magister Novitiorum pro possibili talis seligatur, qualem Statuta Ordinis requirunt, qui videlicet excellat pietate, doctrina effulgeat, et ad juventutem discrete regendam et ad omnes Regularis vitae perfectionem formandam sit commodissimus [26]). Sicuti et eiusdem Sessionis Concl. 5m qua mandatur, ut habito selectu digniorum, eos tantum ad Parochias promovere satagant, de quorum pietate, sufficienti doctrina et in virtute constantia, (p. 7) notitiam habent. Constituitque Reverendissimum Capitulum ut Reverendissimi PP. Abbates, de idoneis Personis pro Magistro Novitiorum ex suis Monasteriis provideant Monasterio filiali, casu quo in eo idoneus pro hac obedientia non reperiatur.

4to

Ad communitatem perfectam in bonis temporalibus restituendam, confirmavit et executioni dandam mandavit Reverendissimum Capitulum Capituli Provincialis A° 1691 in Gradicensi Monasterio celebrati, Conclusionem 2dam Sess. 3, quatenus Monasteriorum bona etiam Conventibus specialiter adscripta a solo Reverendissimo Domino Praelato et Officialibus exteriorum ab ipso constitutis administrantur [28]).

5to

Lectae fuerunt literae Reverendissimi D. Milonis Abbatis S. Nicolai Furnensis, quibus miserandum Ecclesiae suae statum remonstrando, pro eiusdem, post bellorum truculentas calamitates supera-

[26]) Vide supra, p. 161.
[27]) Vide supra, p. 162.
[28]) Vide supra, p. 186.

tas, casuali incendio sub finem anni praecedentis exitialiter desolatos restauratione [29]), charitativum subsidium petiit, cum a vicinis Provinciis ipsaque Provincia Gallica nullum subsidium subsequi possint, aut sperare in hac sua necessitate valeant. Qua calamitatum remonstratione commotum Reverendissimum Capitulum consensit in charitativum subsidium adeo desolatae alias celeberrimae Ecclesiae praestandum, illudque non obstante temporum difficultate, Monasteriorumque in aliis magnis expensis praegravatione, compatienti affectu Reverendissimo Domino Loci pro facultate sua obtulit transcribendum.

6^to^

Proposuit Reverendissimus D. Vicarius Generalis Reverendissimis DD. Comprovincialibus utrum Breviarium novissime a° 1698 [30]) editum, et per Bibliopolas ad has partes delatum ac venum expositum acceptari, et in usum deduci debeat ? Integerrime, salvo (p. 8) debito respectu erga Illustrissimum et Reverendissimum D. Generalem resolvit Reverendissimum Capitulum Breviarium hoc novum absolute non posse recipi et in usum deduci ob gravissimas sequentes rationes. 1^mo^. Quod breviaria haec maximam in Antiphonis, Hymnis, Lectionibus et Responsoriis, contineant mutationem, ut impossibile sit, illa cum breviariis praecedentis editionis et hucusque usualibus concordare, et consequenter antiqua cum magno Ecclesiarum damno abici, novaque cum magnis expensis et gravamine Monasteriorum pro omnibus Religiosis procurari deberent. 2° Quod subreptitia merito censeantur eo quod nulla ab Illustrissimo et Reverendissimo P. Generali in literis Reverendissimo D. Vicario perscriptis de eorumdem impressione, transmissione et receptione hucusque sit facta mentio. 3. Quod sciatur privilegium imprimendi breviarii a Capitulo Generali A. 1662 ad annos duodecim Frederico Leonard Typographo Parisiensi concessum iam dudum expirasse, de cuius innovatione, qua authoritate Capituli Generalis dumtaxat fieri potuit, non constat. 4. Quod breviario eidem praefigatur editum esse authoritate Capituli Generalis, cum tamen in Capitulo Generali

[29]) Sub praelatura abbatis Milonis Abordyn (1694-1723) abbatia S. Nicolai Furnensis variis maximisque calamitatibus obnoxia fuit. Die 3 Decembris 1699 « in favillas redacta fuit ». Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 353.

[30]) Anno 1698, Parisiis, editum fuit Breviarium Ordinis, 4 partibus constans in-12°; 2 partibus constans in-8°. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, IV, p. 235.

A. 1667 celebrato nulla edendorum breviariorum fiat mentio, nec ullum ab eo tempore Generale Capitulum fuerit congregatum. 5. Quod Officium de S. Marcellino Papa et Martyre cuius sicuti et concilii Sinuessani acta ad infringendum ius Regaliae pro Primatu Summi Pontificis principaliter a Doctoribus adducuntur et allegantur, in 26 Aprilis cum festo S. Cleti incidens omissum et expunctum sit ; qua expunctione manifeste favere videtur Iuri Regaliae, et propositioni secundae de Maioritate Concilii Generalis supra Papam a Sede Apostolica saepius damnatae, cui per receptionem eiusmodi innovationis aliquatenus favere in his terris nec libet nec licet [31]). 6. Quod Privilegium breviario praefixum et Typographo quasi authoritate Capituli Generalis concessum contineat contradictionem (p. 9) dum in hoc permittitur venditio et distractio antiquorum breviariorum, quorum tamen usus in literis ipsiusmet Illustrissimi et Reverendissimi Domini Generalis breviario pariter appositis, sub poenis et censuris districte interdicitur, et consequenter quae vendi permittuntur Typographo, nobis demandantur abicienda. 7. Quod adeo frequens immutatio librorum Ordinis maxime Breviarii Sacro Ordini minus honorifica sit et plurima indecora, ac summopere officiat uniformitati in Sacris Statutis et Pontificum Sanctionibus, quo ad Officium divinum aliis Ordinis nostri Monasteriis conformiter ad Ecclesiam Praemonstratensem praescriptae, et consuetudine ac usu per tempus immemorabile roboratae, quam conservare, recepto hoc novo Breviario est impossibile. 8. Quod eorum usus Senioribus Religiosis perdifficilis et nimium onerosus esset, et in Monasteriis Monialium absolute introduci nequeat. 9. Demum quod in quaestionem trahi possit : an per orationem adeo innovati Breviarii praecepto de eius oratione satisfieri valeat, cum sanctae memoriae Pius V et Clemens VIII illorum Breviariorum usum dumtaxat admiserint, quae a 200 annis ante editionem Bullae Breviariorum quorumdam abrogatoriae apud eosdem in usu fuere. Quibus aliisque, huc non insertis

[31]) Synodus Sinuessana (Sinuessa, iuxta mare, ad occidentem Capuae, in Italia meridionali) iuxta documentum antiquum (de quo nunc constat, ipsum non esse authenticum), in casu accusationis Papae Marcelli († 304), qui dicitur thurificasse coram idolis, ac fidem tradidisse, inter alia proclamavit : « primam Sedem a quoquam non iudicari ». Cum autem postea sic dicti « Gallicani » tenerent Concilium oecumenicum iudicium ferre posse de Summo Pontifice assertum Concilii Sinuessani (inauthenticum in forma historica sub qua profertur) Gallicanis sane non placebat. Ex alia parte, ut videmus in hoc Capitulo, Praemonstratenses inhabitantes regiones extra Galliam invigilabant ne ideae « Gallicanorum » influxum exercerent in Breviario Ordinis.

gravissimis rationibus momentis accedentes necessario in hisce partibus DD. Comprovinciales, conclusum fuit, unanimiter procuretur ne in usum assumatur praetactum Breviarium unaque submississime requirendum duxit Illustrissimum D. Generalem, quatenus gratiosam reflexionem facere dignaretur super Provinciam hanc nostram eandemque a gravaminibus in lucrum Typographi et Bibliopolarum pene unice cedentibus deinceps relevare ; nec adeo uti praeinsinuatae Breviario praefixae literae praeseferunt, peremptorie et sub poenis (p. 10) Censurarum nobis imponat libros a se editos vel edendos sine attenta Monasteriorum indemnitate recipiendos, sed conformiter ad Bullas Clementis et Urbani VIII Summorum Pontificum indemnitati Monasteriorum paterne consulere velit. Praeterea Reverendissimum Capitulum apud Illustrissmum et Reverendissimum D. Generalem insistendum conclusit : quatenus ad propediendas Typographorum et Bibliopolarum Provinciae nostrae damnosas fraudulentias ac librorum subreptionem gratiose dignaretur per literas a se subscriptas et Officio sigillo munitas super editione librorum Ordinis, dum deinceps aliqua imprimentur legitime facta, Provinciam nostram certiorare, pro qua certioratione et Paterna quoad librorum relevatione in praesentiarum Reverendissimus Capitulum instat urgentissime.

7

Demum exposuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis quomodo Reverendissimus Dominus Pernecensis [32]) duas Praeposituras olim ad Sacrum Ordinem nostrum pertinentes in Regno Hungariae ab Augustissimo Imperatore qua Rege Hungaria pro suo Monasterio Pernecensi obtinuerit et actualiter possideat, Iassow et Leles nominatas, quas Reverendissimo Capitulo pro condigna satisfactione pecuniae cedere cupit, dataque est occasio Reverendissimo Domino Pernecensi, ut de modo cessionis Reverendissimo Capitulo se expectoraret, et de reductionis pretio declararet. Exposuit quidem Reverendissimus D. Pernecensis fusius quomodo dictas Praeposituras Monasterio acquisiverit ; quia tamen ob varias praevisas difficultates in actuali hac Capitulari sessione, praecise termi-

[32]) Franciscus a Schöllingen, cuius promotio ad dignitatem abbatialem in eodem hoc Capitulo nuntiata fuit. Vide n. 25. Vide supra, p. 217.

[33]) Abbas Lucensis erat Carolus Kratschvile (vide n. 6); Vincentinus erat Carolus Keller (vide n. 10); praepositus Doxanensis, Bruno Kuminski (vide n. 13).

nari negotium hoc non posse Reverendissimum Capitulum existimavit, ideo pro eodem extra Capitulariter pertractando determinavit quatuor (p. 11) Reverendissimos DD. Commissarios, videlicet : Reverendissimos Dominos Visitatores, Lucensem, Vincentinum, et Doxanensem, qui de modo et mediis exequendae reductionis cum Reverendissimo Domino Pernecensi agant et actitata Reverendissimo Capitulo ad concludendum referant.

Sessio 3ia

Horis pomeridianis

1

Resciens Reverendissimum Capitulum Acta Capituli Generalis A. 1686. celebrati Typis mandata [34]) Viennae in foro scrutario venum exposita fuisse, ad consulendum honori, et secreto Sacri Ordinis nostri submissione Illustrissimum ad Reverendissimum D. Generalem requirit, quatenus Capitula Generalia deinceps typis non mandentur.

2

Ob reverentiam et cultum specialem quem Augustissimo Eucharistiae Sacramento Candidus Ordo noster debet, Reverendissimum Capitulum decrevit Missas Votivas, uti et Requiem (Missa de Domina ex obligatione Ordinis celebranda duntaxat excepta) per Octavam Sacratissimi Corporis Christi celebrandas non esse.

3

Ad manutenendam Exemptionem Sacri Ordinis nostri, quo ad benedictionem Abbatum, censuit Reverendissimum Capitulum recurrendum esse ad Illustrissimum D. Generalem, quatenus a Sacra Sede Apostolica speciale Decretum et mandatum generale pro toto Ordine ad interpositionem Eminentissimi Cardinalis Protectoris procuraret, vigore cuius Abbates et Praepositi totius Circariae nostrae ab Ordinariis absque praestanda (p. 12) eis obedientia valeant bene-

[34]) Acta huius Capituli impressa fuerunt « Parisiis, apud Fredericum Leonard, Regis, Cleri, et Ordinis Praemonstratensis Typographum; Via Jacobea, 1686 ».

dici. Pro quo Decreto impetrando Reverendissimum Capitulum in praesentiam submisissime supplicat.

4

Resolvit Reverendissimum Capitulum ad emergentes in utilitatem et honorem Provinciae expensas facilius conquirendas aerarium in Capitulo Gradicensi A. 1691 institutum [35]) esse continuandum, et in eum finem compromissam pecuniam annue a Reverendissimis DD. Comprovincialibus Secretario Provinciae transscribendam. Reducta autem est pro tunc Monasteriorum Classificatio ad duos Ordines, et una constitutum ut in prima classe, sint Strahoviense, Gradicense, Lucense, Vincentinum, Teplense, Doxanense, et Chotieschoviense. In secunda vero, Siloense, Zabrdovicense, Plagense, Gerustense, Pernecense, Neo-Reischense, et Czarnovacense, ita ut Monasteria 1^{mae} classis 50, et 2^{dae}, 30 fr. annue pendant. Reservavit tamen sibi Reverendissimum Capitulum ne expensio congregatae pecuniae fiat sine scitu Reverendissimorum DD. Comprovincialium.

5

Constituit Reverendissimum Capitulum ut in casibus amotionis aut mortis Parochorum Reverendissimi D. Praelati non accipiant ex Parochiis omnia mobilia, et remanentes fructus, nec valeant in Parochiis relinquere, ea lege : ut adaequatam solutionem Neo-Institutus Parochus pro iis rependat, siquidem eiusmodi taxatio et exsolutio bono Communitatis directe officit, et religiosae paupertati adversatur, utpote causam praebens, quod expositus Neo-Parochus statim in suo ad Parochiam ingressu, debita ad exsolutionem relictorum contrahere cogatur, quae, deficiente per insperatam mortem Parocho aut male oeconomiam administrante, Monasterio solvenda remanerent. Hinc Reverendissimum Capitulum in hoc casu benigne providere volens constituit, amoto aut mortuo Parocho Successori de mobilibus et remanentibus fructibus tantum de mediis relinquendum esse, ut tam honeste (p. 13) ac competenter sicut in Conventu vivere valeat et sufficienter familiae suae cum speratis obventuris novis proventibus de victu et salario providere possit.

[35]) De hac re statuit Capitulum Provinciale Gradicense anni 1691, in sess. 7^{a}, concl. 1^{a}. Cfr. supra, p. 189.

6to

Utrum in Electionibus Praelatorum dicendi sint Conspiratores, poenisque Conspiratorum per Statuta dist. 3. c. 9. subiiciendi, qui prava intentione mediisque indebitis eligentes in unum aliquem congregant et conscribunt, muneribusque ac promissionibus ad dandum votum minus digno disponunt, praeterito digniore, declarari ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Generali petit Reverendissimum Capitulum.

7°

Decisum est non esse audiendos, qui in Electionibus Praelatorum in praevio scrutinio obstacula sive ex parte eligentium sive eligendorum, non proposuere, et primum electione facta ea proponere satagunt, si sciatur vel probari aut praesumi possit, quod ea obstacula ante electionem scrutinii tempore ipsis ex post factam electionem impraegnantibus nota fuerint.

8°

Resolutum est per Seniorem Conventus inter Maiores de domo secundum Statuta dist. 1. c. 15. computandum venire Seniorem illum, qui in Conventu permanens est, et pondus diei et aestus cum aliis portat, licet Professione iunior sit respectu alterius aut aliorum Professione Seniorum extra Conventum degentium.

9

Quaesitum fuit : utrum incorrigibilibus adnumerandi sint, qui poenitentiam pro culpis reiteratis suscipiunt quidem, et patienter peragunt, nec tamen se emendant. Resolutum fuit in hoc passu habendam esse rationem culparum et materiae in quas et circa quam externe poenitentes et poenam sustinentes relabuntur, sicuti et observandum esse modum quo poenitentia a delinquentibus suscipitur et peragitur, utrum videlicet ex fragilitate aut continua (p. 14) ta in animo malitia in pristina relabantur delicta, animo contrito et humiliato, an simulate et pervicaci poenas sustineant. Si primum, incorrigibiles dici non possunt, si vero secundum, pro incorrigibilibus omnino habendi sunt, et poenis incorrigibilium coercendi.

10

Ad impediendos efficaciter excessus in quos inferiores extra Superiorum suorum invigilantiam constituti prolabi quandoque solent, Constituit Reverendissimum Capitulum Reverendissimo Domino Abbati Windbergensi [36]), in Bavaria, scribendum esse quatenus deinceps dum mutationem Religiosorum, qui spiritualia et temporalia in Parochia et Bonis Bohemiae ad eius Monasterium pertinentibus administrent, fecerit, noviter transmissos Religiosos saltem per litteras Reverendissimo Domino Vicario Circariae huius vel Visitatori, aut viciniori Abbati sistere velit, eorumque potestati subiicere, ut vitae et moribus Religiosorum longius a Monasterio Professionis constitutorum intendere et excessus ex quibus Sacro Ordini macula aspergi posset, praepedire valeant.

Indicta fuit Sessio horis antemeridianis diei sequentis.

Sessio IV

Die Undecima, horis antemeridianis.

I

Sacrum de Spiritu Sancto, cum prima die, ob solemnitatem festi haberi non potuerit, Pontificaliter decantavit Reverendissimus Dominus Teplensis [37]).

II

Tractatum est in Conclavi Capituli a quatuor deputatis Reverendissimis DD. Praelatis praesente Reverendissimo Domino Vicario negotium reducen (p. 15 dorum Monasteriorum Hungariae eidemque Conferentiae potissimum tempus antemeridianum concessum est, nondum tamen ad finem deductum.

[36]) Abbas Windbergensis tunc erat Franciscus Knodt (abbas annis 1691-1717). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1168; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 57. Testante N. Backmund, l. c., p. 56, abbatiae Windbergensi una paroecia, cui nomen Albertskirchen, incorporata erat.

[37]) Raymundus Wilfert, abbas Teplensis annis 1688-1724. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1181; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

III

Recedentibus dein aliis Reverendissimis Dominis Vicariis Comprovincialibus coeterisque Capitularibus Reverendissimus Dominus Vicarius reseravit literas a Domino Maximiliano Pfendler [38]). Ex abbate Zabrdovicensi ipsi Reverendissimo Domino Vicario et toti Reverendissimo Capitulo inscriptas, quarum relectionem et reseratum Reverendissimus Dominus Vicarius commisit Reverendissimo Domino Teplensi et sessionem pro horis pomeridianis indixit.

Sessio V

Horis pomeridianis

I

Ad impediendas supervacaneas Religiosorum cum Saecularibus correspondentias et indecoras Sacro Ordini nostro Canonico mendicationes, inconvenientesque ac paupertatis voto noxios mercationes atque praecavendas iustas eorundem querelas, Reverendissimus D. Vicarius specialis commendavit omnibus Reverendissimis DD. Comprovincialibus : quatenus Religiosis suis in vestimentis sufficientem convenientemque faciant provisionem et in hunc finem vestiaria communia in omnibus Monasteriis instruantur, ad quae tam lanea, quam linea vestimenta tempestive pro Religiosorum numero procurentur eorundemque pro cuiusque indigentia fiat distributio. Quod se facturos Reverendissimi DD. Comprovinciales promptissime adpromiserunt, simul tamen Reverendissimum Capitulum severe commonitos voluit omnes Conventuales Religiosos ex communi vestiario amictum accipientes, ut sibi concessorum vestimentorum curam habeant commendatam, et conscientiae contrarium ducant vestes sine licentia Superiorum cuiquam donare aut quod damnabilius est, cum proprietatis noxa eas divendere.

(p. 16) II

Commonuit Reverendissimus Dominus Vicarius omnes Reverendissimos DD. Comprovinciales quatenus sibi condi sumant acta

[38]) Abbas erat Maxim. Pfendler usque ad annum 1695. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

Capitulorum Provincialium et relicta Visitationum Canonicarum, cum Actorum Capitularium executionem in virtute S. Obedientiae Illustrissimus et Reverendissimus D. Generalis in clausula confirmatoria in Capitulorum Provincialium praecipere soleat, et relictorum executio in Statutis Dist. 4. c. 17. districte demandetur. Adpromiserunt Reverendissimi DD. Comprovinciales se pro sua obligatione curaturos, ut et acta Capitularia et Visitationum relicta debite adimpleantur. Quod ipsum a Reverendissimo Capitulo specialiter demandatum est PP. Prioribus, eorumque denique conscientias desuper voluit esse aggravatas.

III

Resciens D. Vicarius in uno alterove Conventu non servari moderamen in recreationibus et conservationibus mensae pro Religiosorum in commotione et consolatione concedendis, adeo, quod cum dispendio Chori et cultus divini aestivo tempore nimium frequentes habeant, debitum moderamen consolationibus posuit, consentientibus Reverendissimis DD. Comprovincialibus, constituendo ut PP. Priores non nisi bina vice Conventualibus eiusmodi consolationes, tamen sine dispendio Chori et cultus divini concedere audeant, nec sine expressa Reverendissimi Domini Praelati sui licentia tertia vice concedere valeant.

IV

Declaravit Reverendissimum Capitulum Reverendissimos DD. Comprovinciales accedentibus sufficientibus motivis dispensare quandoque posse in abstinentia diebus Mercurii, non tantum cum particularibus Religiosis, sed etiam cum toto Conventu, nec excedere Praelatorum potestatem in abstinentia tribus ultimis post Septuagesimam ante diem Cinerum diebus dispensandi.

V

Pro praerogativa exemptionis a plurimis Summis Pontificibus (p. 17) Canonico Ordini nostro Praemonstratensi concessa, amplius innotescenda voluit Reverendissimum Capitulum, ut titulis Religiosorum quacunque ratione inscribendis aut imprimendis inserantur termini *Exempti Ordinis* ; et ne exemptionis Privilegio ac immunitatis apud quascunque Ecclesiastici et saecularis fori instantias prae-

iudicetur, resolutum fuit Capitulariter prohibitumque ne ullus Religiosorum a Reverendissimis DD. Praelatis permittatur in quacunque causa spirituali aut temporali iuramentum, etiam in evidens emolumentum Ordinis aut Monasterii deponere, nisi praesente Ordinis Praelato, et illud ex legitima commissione suscipiente. Pro quo Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis adduxit rescriptum Caesareum, quo in certo Monasterium Ordinis concernente negotio Augustissimus Imperator Dominus noster Clementissimus declaravit iuramenta a Religiosis Exemptorum Ordinum (Canonicum Ordinem nostrum Praemonstratensem expresse nominando) non nisi a Superiore eorundem Ordinis esse excipienda.

VI

Doctrinaliter decrevit Reverendissimum Capitulum Canonicum nostrum Ordinem Praemonstratensem (salva omnimoda reverentia obedientiae debita erga Sacram Sedem Apostolicam) non obligari ad Observantiam et acceptationem decretorum Sacrae Congregationis Rituum, etiam ab ipso summo Pontifice approbatorum, in quantum ipsum Breviarium et alios libros qui ex Breviario ortum habent, ut Missalia, Diurnalia etc. concernunt. Hinc non attenta eliminatione festorum et Officiorum Beatorum Sacri Ordinis nostri in novissimis Breviariis asserta Reverendissimum Capitulum resolutione in Confirmatione Capituli Provincialis Zabrdovicensis A° 1677 celebrati, ab Illustrissimo D. Generali rescriptae, quo et festorum receptionem et celebrationem censuit integre esse adhaerendum [39]).

VII

Ratione Confraternitatis ad Sacrum Ordinem nostrum concedendae revocatio facta est ad Conclusionem 11. Sess. 3. Capituli Gradicensis de Anno 1691 [40]).

VIII

Consenserunt Reverendissimi DD. Comprovinciales Tallias Re-

[39]) Confirmatio Capituli Provincialis Zabrdovicensis anni 1677 hucusque nobis pervia non fuit. — Decisio huius numeri VI, in approbatione praesentis Capituli, ex parte illustrissimi Domini Praemonstratensis improbatur. Vide infra, p. 235 s.

[40]) Vide supra, p. 191 s.

verendissimo Domino Pro- (p. 18) curatori Generali nunc ad Curiam Romanam existenti etiam deinceps et quidem annue dandas esse, earundemque Collectorem constituerunt Eximium P. Joachimum Cancellariae Strahoviensis Directorem ; petunt tamen ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Generali praedictum P. Procuratorem submoneri, ne Reverendissimi, quo ad particulares expeditiones obtinendas ad Romanam Curiam plus iusto ab eo taxentur et graventur ut quod alii Religiosi gratis obtinent, et Monasteria Ordinis nostri alia via similiter aut levioribus expensis obtinere possent, sumptibus maioribus sibi ipso agente, procurare cogantur.

IX

Propter ius Paternitatis respectu Ecclesiae Milovicensis olim Monasterii Siloënsi competens praetendit Reverendissimus D. Siloënsis [41]) ius Paternitatis hucusque controversum super Ecclesiam Plagensem, quae a Milovicensi ex causa, quod ex hac ad illam in accessu ad Sacrum Ordinem nostrum traditae fuerint primae Coloniae tanquam filialis dependebat. Contra excepit Reverendissimus D. Strahoviensis [42]) opponendo omne ius quod quolibet modo in Milovicensem Ecclesiam Siloënses Abbates habuere, extinctum, aut absolute translatum esse in Ecclesiam Strahoviensem, per incorporationem et omnimodam Unionem Monasterii Milovicensis ad Ecclesiam Strahoviensem cum omnibus iuribus, possessionibus et bonis nullo penitus excepto in Capitulo Strahoviensi Anni 1681 factam [43]), et authoritate Sedis Apostolicae, Augustissimi Imperatoris, et Illustrissimi D. Generalis roboratam, qua omne ius praedicti Milovicensis Monasterii simpliciter et absolute Ecclesiae Strahoviensi accessit Adduxitque pro iure Paternitatis sibi adiudicando super Ecclesiam Plagensem decisionem Capituli Generalis Anni 1663 celebrati [44]), quo declaratum est : quo, quando Monasterium habent ius Paternitatis alteri unitur, cum illo praedictum ius Paternitatis

[41]) Sigismundus Bernbach. Vide n. 5.

[42]) Vitus Seipel. Vide n. 4.

[43]) Hac de re statuit Capitulum Provinciale Strahoviense anni 1681 in sess. 5ª, art. 1º. Vide supra, p. 140 s.

[44]) Capitulum generale anni 1663 haec statuit in sess. 12ª: *Ad aliud dubium, casu suo Monasterium quod habuerat ius paternitatis, alteri Monasterio uniatur, an cum illo transeat ius paternitatis ad secundum Monasterium ? Responsum est, transire sicut accessorium cum suo principali.* Ms. Nancy, 1767, fol. 265 rº.

transeat ad secundum Monasterium, sicut accessorium cum suo principali. Simul etiam remonstravit in praedicto Strahoviensi Provinciali Capitulo (ad protestationem Reverendissimi D. Siloënsis, quod per incorporationem Monasterii Milovicensis in perpetuum videatur Monasterio suo Siloënsi fieri praeiudicium) vigore conventionis in Capitulo Provinciali Zabrdovicensis A. 1677 factae, decisum fuisse utrique Ecclesiae Strahoviensi (p. 19) et Siloënsi, omne ius super praetensionbus occasione incorporationis praetactae qualitercunque allegabilibus sublatum esse [45]). Quia tamen controversia haec ad Capitulum Generale iam ante plures annos avocata est, noluit Reverendissimum Capitulum eandem decidere, sed ultimate in praesentiarum decidendam Illustrissimo et Reverendissimo Domino Generali submittit, eiusque decisionem propter diversas necessitates Monasterii Plagensis maturandam petit.

X

Finaliter in Sessione hac commonitio facta est, ut a Religionis omnimoda Sacro Ordini nostro conveniens et in statutis ac Capitulis Provincialibus praescripta modestia et religiositas observetur, atque omnis mundana vanitas in capillis et vestibus evitetur. Distractiones etiam Statui Religioso inconvenientes, et Sacris Canonibus vetitae, ut sunt venationes et iaculatoriae cum saecularibus concertationes, interdictae sunt, ob quam causam etiam Parochis prohibita bombardarum superflua et supervacanea conservatio, quae Conventualibus absolute maneat interdicta.

Indicta demum fuit sessio pro horis antemeridianis diei sequentis.

Sessio VI

Die duodecima Horis antemeridianis

I

Conformiter ad statuta dist. 2, c. 23, commendatum et demandatum fuit, ut Parochi aliique extra Monasterium permanentes, dum ad illud veniunt Praelato absente, vel impedito sine ulla extra Con-

[45]) De hac re egit Capitulum dictum anni 1677 in sess. 6ª, num. 3º. Vide supra, p. 120.

ventu mdiversione eundem intrent et P. Priorem pro benedictione consueta accedant, nec sine eiusdem licentia inde exeant aut recedant, vel ad Civitatem aliaque loca divertere praesumant. Et cum extra Conventum constituti in Conventualibus oneribus charitative a Conventualibus supportentur, sicut ad Conventum venientes Conventualibus competentem in Sacra Regula praescriptum honorem deferre, affectumque charitativum pro fratrerna supportatione citra partialitatis notam rependere.

II

Ad conservandam Superiorum Conventualium potestatem ipsis a Reverendissimis (p. 20) DD. Praelatis commissam, pacemque in Conventibus stabiliendam, constitutum est, ne Religiosi sine gravi causa ad Praelatum se revocent et recurrant, recurrentibus (ad elidendam forte poenitentiam pro excessibus impositam) poenitentia augeatur. Qui vero iusta de causa Reverendissimum D. Praelatum accedere voluerint, accessum suum praevie P. Priori insinuare teneatur.

III

Commissum sibi referatum fecit Reverendissimus D. Teplensis [46]) super literas a Reverendissimo Domino Maximiliano ex-Abbate Zabrdovicensi [47]), cui ex speciali commissione Illustrissimi et Reverendissimi D. Generalis necessariam Personae ipsius, quo ad habitationem et sustentationem provisionem fecit, Reverendissimum Capitulum, et super hac provisione specialibus literis censuit Illustrissimum D. Generalem informandum.

IV

Cum religiones non alia de causa discolis et in scandalosos excessus ipsumque incorrigibilitatis profundum ruentibus onerentur, quam quod sine delectu et absque suscipiente proba, ac saepe etiam ex respectu ad facultates et substantias temporales, quas ad religionem aspirantes ex paterna haereditate possident, aut sperandas habent, ad religionem admittantur, aut etiam quod peius et

[46]) Raymundus Wilfert. Vide n. 37.
[47]) Maximilianus Pfendler. Vide n. 38.

damnabilius est, ad ipsum religionis ingressum indebitis modis et blandimentis alliciantur, in ipsoque novitiatu mundanis consolationibus et distractionibus temporalibus foveantur, ne rigorosius et observantius habiti iugum religionis excutiant, et Monasteria spe consequendarum pecuniarum destituantur, constitutum est ut iuvenes ad sacrum Ordinem nostrum aspirantes, antequam ad Novitiatum admittantur, bene examinentur et probentur, atque in admissione exacte serventur, quae de admissione, Magistro et cultura Novitiorum in Statutis dist. 4, c. 15, 19 et 20 sunt praescripta.

V

Conclusum est ut Reverendissimi DD. Comprovinciales in sacro Pontificaliter celebrando, quo ad ritus et Coeremonias, ritibus et Coeremoniis in unaquaque Dioecesi ab Episcopis loci practitatis se conforment et pro hoc in usum deducendo facultatem ab Illustrissimo D. Generali submississime petunt.

(p. 21) VI

Retulit Dominus Vicarius Generalis Reverendissimo Capitulo ea, quae hucusque in privatis Conferentiis circa negotium reluendorum Hungariae Monasteriorum a Reverendissimis DD. deputatis Commissariis se praesente, cum Reverendissimo Domino Pernecensi [48]), acta et tractata fuere modumque Reverendissimis DD. Comprovincialibus proposuit, quo Reverendissimus D. Pernecensis contentari et Sacro Ordini duo superius memorata Hungariae Monasteria possint (quamvis non sine gravamine Provinciae nostrae) reincorporari [49]). Quem modum unanimiter approbarunt et in illum consenserunt Reverendissimi Domini Comprovinciales, atque amore communis boni pro dilatando Sacro Ordine nostro mediis coeteroquin sibi onerosissimis ad secundandum et terminandum negotium succurrerunt, offerentes Reverendissimo Domino Pernecensi in dictorum Monasteriorum reluitionem Centum quadraginta millia florenorum Rhenensium. Quod offertum Reverendissimus Dominus Pernecensis etiam suscepit, et hoc medio transactio conclusa ac negotium rehabendorum dictorum Monasteriorum terminatum fuit, erecto

[48]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 25.

[49]) De hac re iam egerat hoc idem Capitulum in sess. 2ª, n. 2º. Vide supra, p. 221 s.

cessionis, et transactionis, et reluitionis instrumento, quod a Reverendissimo Capitulo et Reverendissimo Domino Pernecensi subscriptum et sigillatum est.

VII

Exhibitum fuit, quod pro Archivio Provinciae, Protocollo, et libro Monasteriorum a tempore ultimi Capituli Provincialis conquisitum, consignatum et compilatum fuit, et continuatio ad prosecutionem Archivii secretario commendata.

VIII

Resoluta sunt quaedam dubia a PP. Prioribus in scriptis praevie proposita, quorum resolutio in specialem chartam congesta a Reverendissimis Dominis Comprovincialibus subscripta et ad observandum in communitatibus demandata fuit.

(p. 22). Deinde descendit Reverendissimum Capitulum e Conclavi ad honorandas Sanctissimi Patriarchae Norberti reliquias publicae Venerationi depositas et reserata a Reverendissimo Domino Visitatore theca Reverendissimis DD. Comprovincialibus exhibitas.

Demum omnibus quae proponenda occurrebant propositis discussis, et resolutis in chartam congestis atque per Reverendissimos DD. Visitatorem et Abbatem Vincentinum revisis Acta praesentis Capituli Reverendissimis et Amplissimis Circariae Bohemiae annexarumque haereditariarum Provinciarum Praelatis admodum Reverendis PP. Prioribus, aliisque praesentibus Capitularibus Canonicis relecta et publicata ac omnium Reverendissimorum Dominorum Praelatorum subscriptione sigillorumque appressione roborata sunt, die 13 Maij. A. 1700.

Norbertus Zieletzky (L. S.) [50], Abbas Gradicensis et Vicarius.
(L. S.) Vitus Abbas Strahovien-sis et Visitator [51].
(L. S.) Sigismundus Abbas Siloënsis [52].
(L. S.) Carolus Abbas Lucen-sis [53].
(L. S.) Carolus Abbas S. Vincentii [54].

[50]) Vide n. 1.
[51]) Vitus Seipel. Vide n. 4.
[52]) Sigismundus Bernbach. Vide n. 5.
[53]) Carolus Kratschvile. Vide n. 6.
[54]) Carolus Keller. Vide n. 10.

(L. S.) Raymundus Abbas Teplensis [55]).
(L. S.) Engelbertus Abbas Geracensis [57]).
(L. S.) Bruno Praepositus Doxanensis [59]).
(L. S.) Bernardus Praepositus Neoreischensis [61]).
(L. S.) Engelbertus Abbas Zabrdovicensis [56]).
(L. S.) Franciscus Abbas Pernecensis [58]).
(L. S.) Andreas Praepositus Chotieschoviensis [60]).
(L. S.) Thomas Praepositus Czarnovacensis [62]).

Fr. Bernardus Wancke Prior Gradicensis SS. Theologiae Doctor Vicariatus Provinciae Secretarius juratus [63]).
(p. 23) F. Candidus Leres, Prior Strahoviensis.
F. Leonardus Kotziak Prior Siloënsis.
F. Gregorius Kvasriczka Prior Lucensis.
F. Arnoldus Zetlizer, Prior Teplensis.
F. Norbertus Janke Prior Zabrdovicensis.
F. Joannes Holczbauer Prior Geracensis.
F. Carolus Post, Prior Pernacensis.
F. Georgius Wessely, Prior Milovicensis [64]).
F. Godefridus Stehr, Collegii S. Norberti Rector [65]).
F. Nicolaus Dirig, Pro-Praeses Sacri Montis Praemonstrati [66]).
F. Anselmus Swetelsky, Parochus Strahoviensis [67]).
F. Methodius Jurzina, Canonicus Gradicensis pro Parochis.
F. Nicolaus Tromsolt, Decanus Znoijmensis in vicem Parochorum.
F. Henricus Zahorintsky, Parochus Ecclesiae Milovicensis.
F. Ludovicus Skurba Parochus Doxanensis [68]).
F. Hermannus Kröchner, Parochus Neo-reischensis.
F. Andreas Sadovius, Parochus Czarnovacensis.

[55]) Raymundus Wilfert. Vide n. 37.
[56]) Engelbertus Hajek. Vide n. 11.
[57]) Engelbertus Hormayr. Vide n. 12.
[58]) Franciscus von Schöllingen. Vide n. 25.
[59]) Bruno Kunowski. Vide n. 13.
[60]) Andreas Fabricius. Vide n. 14.
[61]) Bernardus Leipoldus de Löwenthal. Vide n. 15.
[62]) Thomas Schaffarazech. Vide n. 16.
[63]) Vide n. 19.
[64]) L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...*, II, p. 384.
[65]) L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...*, II, p. 202.
[66]) Vide n. 20.
[67]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...*, II, p. 228.
[68]) L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...*, p. 185 s.

Approbatio Capituli

F. Michael Colbert, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Praemonstrati Abbas totiusque Praemonstratensis Ordinis Caput ac Generalis Reverendo admodum ac Amplissimo Domino Confratri nostro F. Norberto Zeletzky Abbati Gradicensi nostro per Bohemiam, Silesiam et Moraviam Vicario Generali, coeterisque Dominis D. Coabbatibus salutem et paternam benedictionem.

Viso capitulo provinciali in dicta Circaria Bohemiae et hoereditariis Sacratissimae Caesareae Maiestatis provinciis ipsi incorporatis, Die 9ª Maii et seqq. 1700 Pragae in Ecclesia Strahoviensi celebrato, visisque eius Secretis, et ordinationibus, quaedam nobis visa sunt reprehensione digna, nonnulla non vituperanda quidem, at minus probanda, alia vero maxime laudanda : inter ea autem quae emendanda visa sunt.

Primum est quod decernitis in sess. 2ᵈᵃ, num. 2, circa tallias ab anno 1670 usque ad annum 1686 ex concessione ultimi Capituli Generalis nobis debitas, quas quidem nobis perperam denegatis, est contra Statutum quo prohibetur, ne in capitulis provincialibus aliquid fiat quod decretis capituli generalis, iusque iurisdictioni ullatenus contrarietur, et si quod tale fiat nullius sit roboris, et efficaciae.

Secundum quod in eadem sess. num. 6, statuistis circa novum breviarium recens Parisiis authoritate nostra nec non Commissariorum pro emergentibus negotiis ab ultimo Capitulo Generali nominatorum consensu editum, quo uti recusatis, est contra dispositionem bullarum Summorum Pontificum, et contra Ordinis nostri Statuta quibus cavetur ut omnes Circariae pro uniformitate Ordinis, in usibus et Coeremoniis, in breviario et aliis divinum cultum spectantibus, communi Matri Ecclesiae Praemonstratensi sese conformare teneantur.

Tertium quod habetur in sess. 5, num. 4. Circa potestatem quam (p. 2) Dominis Abbatibus arrogatis, ut non solum particulares aliquos, sed etiam totum Conventum diebus Mercurii, et tribus ante cineres ab abstinentia dispensare conceditis, est omnino contra diploma Iulii 2. qui abstinentiam perpetuam in hanc, et alias inibi contentas commutavit, nec possumus in eo dispensare.

Quartum, quod eadem sess. 5ª, num. 6, doctrinaliter decerni-

tur, non obligeri Capitulum ad observantiam, et acceptationem decretorum S. Congr. Rituum etiam a Summo Pontifice approbatorum, in quantum breviarium, Missalia, et diurnalia concernunt, est contra debitam Sanctae Sedis Apostolicae reverentiam ; et obedientiam quam primae illi debemus, laedit et penitus improbamus.

Quintum, quod sess. 6, num. 5, conclusum est comprovinciales in Sacro pontificaliter celebrando ritibus, et coeremoniis, ab Episcopis practicatis uti debere. Sicut et quod specialem quam Augustissimo Eucharistiae Sacramento Candidus Ordo noster debet, Missas Votivas et requiem excepta missa de Domina ex obligatione Ordinis celebrandas non esse, ad Capitulum Generale remittimus.

Haec omnia tam propter rationes supra allatas, quam propter alias in nostra ad Amplissimum Dominum Vicarium Epistola quam huic nostro decreto adiungi volumus reiicimus et improbamus.

Ex his omnibus quae nobis minus probanda videntur :

Illud est quod habetur sess. 3, num 1, decreta Capitulorum Generalium non esse typis mandanda, propter honorem et secreta Ordinis. Id certe ea ratione factum est, ut ea decreta quae omnes tangunt, omnibus communicari commode valeant, eundem usum in Cisterciensi ordine observari videmus, nec alias facile esset ea exscribere, et ad omnes ad quos spectat, transmittere. Quo ad honorem Ordinis ipsiusque secretum, Statuta nostra publici sunt iuris, quamvis multa gravia et secreta in iis contineantur.

Quod postulatis eadem sess. num. 2. Circa dispensationem de praestanda Episcopis obedientia inter Abbatialibus benedictionis solemnia, non videtur omnino necessarium, illa enim obedientia privi- (p. 3) legiis, ac immunitati nostrae nihil obstat, quippe quae mere reverentialis, et coeremonialis est, non secus ac ea quae ab Episcopis ipsis Episcopus vel Archiepiscopo consecranti adpromittitur.

Quae cum ita se habeant circa breviarium hoc vobis pio honore et uniformitate Ordinis in virtute salutaris obedientiae, iniungendum esse duximus et tenore praesentium iniungimus, vel novo breviario Parisiis edito uti quamprimum debeatis, in gratiam tamen Seniorum in tam parvo charactere legere non licet, antiqui breviarii usum indulgemus, donec maiora edita in lucem fuerint, quibus typis mandandis Dominus Leonardus typographus noster serio incumbet, dum parva in singulis Monasteriis distributa fuerint : ut autem in dicto maiori breviario typis proxime mandando, nullae difficultates suboriantur, mandamus Amplissimo Domino Domino Vicario, ut ad nos

quod de immutationibus circa breviarium factis, aut faciendis, Domini suae Circariae Abbates sentiant, rescribere, animadversionesque mittere non moretur.

Circa autem tallias in eadem virtute obedientiae iniungimus Amplissimo Domino Nostro Vicario Generali, ut eas secundum mentem seu dispositionem ultimi Capituli Generalis colligat quantocyus, et ad nos transmittat.

Quo ad coetera vero in vestro Capitulo contenta quae restituendae ac conservandae Sacri Ordinis disciplinae unitati ac paci conducere plurimum prosunt, ea omnia laudamus, approbamus, et authoritate nostra confirmamus, districte praecipiendo mandantes omnibus et singulis dictarum Circariarum Praelatis et Religiosis tam claustralibus quam beneficiatis, ut ea exactissime observent et observari curent.

Datum in Archicoenobio nostro Praemonstratensi die 16 Decembris 1701. In quorum fidem ac robur praesentes manu propria ac Secretarii nostri subscriptas sigilli nostri adpressione communiri iussimus.

Fr. Michael Colbert Abbas Praemonstratensis et Generalis.
(L. S.).

De mandato Illustrissimi in Christo Patris ac Domini mei D. Abbatis Praemonstratensis ac totius Ordinis Generalis.
I. Dumesnil Secretarius.

(p. 4) Concordat cum suo originali Norbertus Zielitzky Abbas Gradicensisi et Vicarius Generalis (autogr.)
(L. S.).

De mandato mei Reverendissimi admodum Abbatis et Vicarii Generalis.
fr. Bernardus Wancke, Prior Gradicensis, Vicariatus Provinciae Secretarius juratus (autogr.).

Contractus

Pragae 1700

Notum sit omnibus quorum interest et interesse debet : quod die duodecima Maii Anni currentis 1700 Reverendissimi Domini

Domini Comprovinciales circariae Boëmiae in Spiritu Sancto congregati cum Reverendissimo Domino Francisco a Schöllingen [69]). Abbate Monasterii Pernecensis Sacri Ordinis nostri Praemonstratensis circa Praesposituras in Regno Hungariae a Sua Maiestate Imperatore nostro LEOPOLDO semper Augusto Iaschow et Lelesch [70]) obtentas, et circa bonum Helmetz parata pecunia coëmptum, sequentem contractum inierit :

Reverendissimi Domini Domini Comprovinciales, ex amore erga Sacrum Ordinem nostrum optantes, ut iterum Sacer Ordo noster, alias in Regno Hungariae florentissimus et iam ultra Saeculum integre extirpatus reflorescerat, offerunt dicto Reverendissimo Domino Pernecensi pro dictis duabus Praeposituris et bono Helmetz centum quadraginta millia florenorum Rhenensium 140 R et quidem sequenti modo : conabuntur Reverendissimi Domini Domini Lucensis 40 R. Reverendissimus Dominus Strahoviensis 10 R. Gradicensis 10 R. Teplensis 10 R. Doxanensis 10 R. Chotischoviensis 10 R., et sic universim 90 R. usque ad festum B. V. Visitantis Anni currentis, vel etiam citius quisque suum Monasterium obligando, mutuo accipere et supradicto Reverendissimo Domino Pernecensi deponere ; Residua vero 500 R. remanebunt ad triennium pro evictione apud Reverendissimos Comprovinciales usque ad Capitulum proximum Lucae [71]) inamissibiliter a nobis, et Successoribus nostris celebrandum, in quo adpromittit Reverendissimus Dominus Lucensis se Praeposituram Iaschow tanquam Filialem redempturum.

Alteram vera Lelesch dictam sperat Reverendissimus Dominus modernus ad Sanctum Vincentium [72]) medio hoc tempore pro suo Monasterio pariter 10 R. reluiturum, ut sic Reverendissimi Domini Domini Comprovinciales quilibet pro rata facti et dati mutui una cum Reverendissimo Domino Pernecensi contententur, et ab hoc onere debiti liberentur. In quem finem etiam consensit Reverendissimum (p. 2) Capitulum ut ad Praeposituram Iaschow Reverendissimus Dominus Lucensis, et ad Praeposituram Lelesch et Helmetz, Reverendissimus Dominus Vincentinus suarum Ecclesiarum Professos pro capienda nomine Circariae Boëmiae possessione quantocius expediant, et renuentes, aut ire nolentes in virtute sanctae obedien-

[69]) Vide n. 25.

[70]) Canonia Iassoviensis (in Hungaria) (in hodierna Tchecho-Slovakia) ; Leles similiter in Hungaria.

[71]) Abbatia Lucensis (Louka Klosterbruck), in hodierna Tchecho-Slovakia.

[72]) Abbatia S. Vincentii Wratislaviensis.

tiae, etiam adstringere et cogere (cum sit in decus et honorem Sacri Ordinis) possint. Quibus Reverendissimi Domini Pernecensis Religiosi omnia et singula, ut stant et iacent, nihil sibi aut communitati suae ab hodierna die reservando, vel in fraudem abaliginando, vel debitis gravando, vel etiam census praevie exigendo vel levando, facto inventario extradere, Religiosi vero foras expositi suis Reverendissimis districtas rationes dare tenebuntur ; ex quibus proventibus dicti duo Reverendissimi, Reverendissimo Domino Pernecensi propter restantiam 50 R., 5 pro cento interesse annue solvent, residuum vero in restaurationem oeconomiae et aedificii ac sustentationem suorum Religiosorum convertent et applicabunt. Ex residuis vero 90 R., quae supra Monasteria aliqui Reverendissimorum acceperunt, pro solvendis interesse adpromiserunt sancte omnes Reverendissimi Domini Domini Comprovinciales et adpromittunt ; quod per hoc triennium subsequenti modo succerrere et dicta interesse solvere velint : Reverendissimi Domini, Vicarius, Visitator, Lucensis, Vincentinus, Teplensis, Doxanensis, Chotieschoviensis per 514 R. 17 Xr.

Reverendissimi Domini Domini Siloënsis, Saberdovicensis, Plagensis, Gerusensis, Pernecensis, et Czarnovacensis per 300 R. universim 5400 R.

In casu autem si nec Reverendissimus Dominus Lucensis, nec Reverendissimus Dominus Vincentinus, aut saltem alteruter illorum, de causis ponderosis et approbabilibus, has Praeposituras in futuro Capitulo exsolvere possent, ne dicti Reverendissimi Domini Domini, qui hocce Capitali 90 R. sua Monasteria gravarunt, gravati maneant, adpromittunt pariter et fideliter et sancte omnes Reverendissimi Domini Domini Comprovinciales (p. 3) se totam hanc Summam 140 R. in totam Circariam reposituros et quisque pro rata supra suum Monasterium suum contingens acceptaturum, econtra adpromittit pariter sancte et fideliter, Reverendissimus Dominus Pernecensis Reverendissimo Capitulo, Se omnia urbaria et documenta, sicut et omnia oeconomica, ac quaecunque ille comparaverit vel ab Hungarica Camera redemit relicturum, et mittendis illuc ex Lucensi, et Vincentino Religiosis extraditurum.

Si autem dictae duae Praeposituraе, una cum coëmto bono Helmetz interesse, reservant sibi ius Reverendissimi Domini Domini Comprovinciales illi ex restantibus 50 R. pro rata defalcandi. Obligat se etiam secundo Reverendissimus Dominus Pernecensis procuraturum se suis sumptibus a Sua Maiestate Augustissimo nostro Impe-

ratore clementissimum consensum, incorporationem nostri in Regnum Hungariae, et clementissimam indulgentiam, ut non citius adigamur a Regno Hungariae ad formandos formales Conventus, et Communitatem, quam dicti Reverendissimi qui has Praeposituras redemerint, refusionem factarum expensarum suis Ecclesiis praestent et faciant.

Quibus obtentis et Reverendissimo Domino Generali Vicario exhibitis Reverendissimi Domini Domini promissas pecunias eidem extradent, et nunc etiam consentiunt ut Praepositura Czornensis Monasterio Pernecensi ad Abbatialem dignitatem evecto, ita tamen ut nunquam nisi Ordini abalienari possit, in subsidium incorporetur, et incorporata maneat.

Acta haec sunt et signata Pragae in Monte Sion die 13 Maij A. 1700.

(p. 4) Norbertus Zieletzki (L. S.), Abbas Gradicensis et Vicarius [73]).

(L. S.) Vitus Abbas Strahoviensis et Visitator.
(L. S.) Carolus Abbas Lucensis.
(L. S.) Raymundus Abbas Teplensis.
(L. S.) Engelbertus Geracensis Abbas.
(L. S.) Bruno Praepositus Doxanensis.
(L. S.) Bernardus Praepositus Neoreüschensis.
(L. S.) Sigismundus Abbas Siloënsis.
(L. S.) Carolus Abbas Vincentinus.
(L. S.) Engelbertus Abbas Zabrdovicensis.
(L. S.) Franciscus Abbas Pernecensis.
(L. S.) Andreas Praepositus Chotieschoviensis.
(L. S.) Thomas Praepositus Czarnovacensis.

fr. Bernardus Wanke Prior Gradicensis, SS. Theologiae Doctor, Provinciae Vicariatus Secretarius iuratus.
fr. Candidus Lerch Prior Strahoviensis.
fr. Leopoldus Ketzink Prior Siloënsis.
fr. Arnoldus Kwasniezka Prior Lucensis.
fr. Arnoldus Brüchner Prior Vincentinus.
fr. Crispinus Zetlizer Prior Teplensis.
fr. Norbertus Jancke Prior Zabrdovicensis.
fr. Georgius Wesseli Prior Milovicensis.

[73]) Eadem nomina hic occurrunt ac in subscriptionibus ipsis Actis Capituli. Cfr. supra, p. 233 s. Nomina eorum qui non sunt abbates vel praepositi, aliqualem diversitatem prae se ferunt, maxime relate ad rationem qua scribuntur eorum nomina.

fr. Joannes Holzhauser Prior Geracensis.
fr. Carolus Post Prior Pernecensis.
fr. Godefridus Stehr Collegii Sti Norberti Rector.
(p. 5) fr. Nicolaus Dirig SS. Theologiae Doctor Pro-Praeses Sac. Montis Praemonstrati.
fr. Anselmus Swetelosky Concionator Pro-Parochus Strahoviensis.
fr. Methodius Jurzina Canon. Gradicensis pro-Parochus Gradicensis.
fr. Nicolaus Trombholdt Decanus Znoymensis in vicem Parochorum.
fr. Hermannus Kürcher Parochus Vincentinus.
fr. Henricus Zahorinsky Parochus Eccle : Milovicensis.
fr. Ludovicus Hruza Canon. : Neo-reüschensis pro-Parochus.
fr. Andreas Sadovius Parochus Czarnovacensis.

Concordat cum suo originali.
Norbertus Zielitzky (autogr.) (L. S.).

De mandato Rmi Domini Vicarii Generalis.

fr. Bernardus Wancke Prior Gradic. Vicariatus Provinciae Secretarius juratus (autogr.).

Puncta Capituli Provincialis

Reverendissimorum Dominorum Dominorum Circariae Boëmiae in Regia Ecclesia Strahoviensi A° 1700 a die 9. Maii ad 13 inclusive celebrati quae Reverendissimorum DD. unanimi voto conclusa acceptata et ad observandum demandata fuerunt.

1.

Mandatum fuit ut puncta in Capitulo Provinciali Gradicii Anno 1691. celebrato et extra acta capituli conscripta ad amussim observentur.

2.

Te Deum laudamus in officio Votivo B. V. Mariae tempore Septuagesimae celebrando oretur, et in Missa Votiva Gloria cantetur.

3.

Officium Votivum de B. V. Maria semel duntaxat per Mensem Sabbato non impedito celebretur.

4.

Officium menstruum de SS. P. Norberto per modum trium Lectionum celebretur assumendo in primis Vesperis Psalmos de Communi Confessoris Pontificis, secundis vero careat, et in primis Vesperis festi subsequentis commemorationem non habeat.

(p. 2) 5.

Conformiter ad conclusionem Capituli Provincialis Gradicii A. 1691 celebrati festum Translationis SS. Patris Norberti sub ritu Triplicis primae classis in omnibus Circariae huius Monasteriis celebretur.

6.

Festum Lanceae semper celebretur die Veneris Dominica in albis immediate subsequente, et occurrens ea die festum duplex anticipetur aut transferatur.

7.

Matutina in festis primae et secundae classis figuraliter valeant decantari.

8.

In Processione Paschali et etiam quovis alio tempore in et extra conventum habenda officians Conventum sequatur.

9.

In festo Sti Marci praescriptum in Statutis ieiunium, non vero in Missali insinuata abstinentia servetur.

10.

Die Parasceves Religiosi Conventuales iusculo pari modo et parte piscis reficiantur.

11.

Usus nigrarum mitrellarum in Conventu maneat interdictus, extra illud permittitur, holosericia absolute prohibentur.

(p. 3) 12.

In transitu laterium altarium, versus celebrantes non fiat inclinatio sive apposito sive deposito byreto, post consecrationem fiat genuflexio.

Norbertus Zieletzky (L. S.), Abbas Gradicensis et Vicarius.
(L. S.) Vitus Abbas Strahovien-sis et Visitator.
(L. S.) Carolus Abbas Lucensis
(L. S.) Raymundus Abbas Te-plensis.
(L. S.) Engelbertus Geracensis Abbas.
(L. S.) Bruno Praepositus Do-xanensis.
(L. S.) Bernardus Praepositus Neoreüschensis.
(L. S.) Sigismundus Abbas Si-loënsis.
(L. S.) Carolus Abbas Vincen-tinus.
(L. S.) Engelbertus Abbas Zabrdovicensis.
(L. S.) Franciscus Abbas Per-necensis.
(L. S.) Andreas Praepositus Chotieschoviensis.
(L. S.) Thomas Praepositus Czarnovacensis.

Fr. Bernardus Wancke, Prior Gradicensis SS. Theologiae Doctor, Provinciae, Vicariatus Secretarius iuratus.
Fr. Candidus Lerch Prior Strahoviensis.
Fr. Leopoldus Kerzink Prior Siloënsis.
Fr. Gregorius Kwasniezka Prior Lucensis.
Fr. Arnoldus Zetlizer Prior Teplensis.
Fr. Norbertus Jancke Prior Zabrdovicensis.
(p. 4) Fr. Gregorius Wesseli Prior Milovicensis.
Fr. Joannes Holtzhauser Prior Geracensis.
Fr. Carolus Post Prior Pernecensis.
Fr. Godefridus Stehr Collegii S. Norberti Rector.
Fr. Nicolaus Dirig SS. Theologiae Doctor Pro-Praeses Sac. Montis Praemonstrati.

Fr. Anselmus Swetelesky, Concionator pro-Parochus Strahoviensis.
Fr. Methodius Jurzina Canon. Gradicensis pro-Parochis Gradicensibus.
Fr. Nicolaus Tromholdt Decanus Znoymensis in vicem Parochi.
Fr. Hermannus Kürchner Parochus Vincentinus.
Fr. Henricus Zahorinsky Parochus Eccl. Milovicensis.
Fr. Ludovicus Skurba Parochus Doxanensis.
Fr. Norbertus Hruza Canon. Neo-reüschensis pro-Parochus
Fr. Andreas Sadovius Parochus Czarnovacensis.

Concordat cum originali.
Norbertus Zieletzky (autogr.) (L. S.).

De mandato Rmi Dni Vicarii Generalis,
fr. Bernardus Wancke (autogr.) Prior Gradicensis, Vicariatus Provinciae Secretarius iuratus.

12

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Gradicensi Anno 1710

CAPITULUM PROVINCIALE Reverendissimorum, Illustrissimorum, Perillustrium, Eximiorum, Amplissimorum D. Dominorum Praelatorum, Dominorum Abbatum et Praepositorum. Admodum Reverendorum, ac Venerabilium, nec non respective Eximiorum, Praecellentium, uti P. P. Priorum, ita et aliorum Canonicorum Capitularium, Sac. Can. et exempti Ordinis Praemonstratensis in Circaria Boëmiae et haereditariis Sac. Caesareae Maiestatis Provinciis, ipsi incorporatis.

Indictione

Reverendissimi ac Illustrissimi D. Domini Viti Christophori [1]) Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Hierapolitani suffraganei Pragensis, praefati Sacri Ordinis Ecclesiarum Strahoviensis et Miloviensis Abbatis, et per haereditarias Sacrae Caesareae Maiestatis Provincias Vicarii Generalis.

In Regia Ecclesia Gradicensi [2]) in Moravia ad Olomucium Anno 1710 die 31. Augusti et sequentibus, canonice fuit celebratum et publicatum die 3a Septembris.

Reverendissimus ac Illustrissimus D. Dominus Vitus Christophorus Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Hierapolitanus, suffraganeus Pragensis, Abbas Montis Sion et Milovicensis, Sac. Can. Ord. Praemonstratensis per Boëmiam, Ungariam, Austriam, hisque an-

[1]) Vitus Seipel, abbas Strahoviensis, ab anno 1690 usque ad annum 1711. Anno 1701, episcopus suffraganeus archiepiscopi Pragensis, Breuer, constitutus est. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 302; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 313; L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...*, II, p. 173 s.; A. ZAK, *Episcopatus ordinis Praemonstratensis*, in *An. Praem.*, V, 1929, p. 24.

[2]) Gradicium (Hradisch; Hradisko, in hodierna Tchecho-Slovakia). Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 749-760; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291-294.

nexas Provincias Caesareas Vicarius Generalis : pro suscepto divina dignatione huiusce Vicariatus Generalis ministerio, cupiens curarum a suo eo in munere meritissimo Praedecessore Reverendissimo, Perillustri, ac Amplissimo D. Domino Norberto Zieleczky ex Equitibus de Poczenitz [3]) in vindicandis postliminio quibusdam Sac. ac Can. Ord. nostri Praemonstratensis Ungaricis Praeposituris per 10 Annos indefesse gestarum inhaerere sollicitudinibus, ita tamen ne ubi in ampliationem (p. 2) Candidissimae et Canonicae Religionis nostrae per Regnum Ungariae suam desiderat impendere, ob moderni constitutionem temporis aerumnosam periculum subeat ruinae unius alicuius fundationis, sive Ecclesiae suo Vicariatui Generali in haereditariis Provinciis Caesareis substantis.

Reminiscens igitur alte memoratus Illustrissimus D. Dominus Episcopus et Vicarius Generalis illud Salomonis prov. 18. v. 19 : frater, qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma, dicere liceat cum Innocentio IV contra tentatoris impetum, et turbinem vitiorum, quasi turris eburnea virtutum munita propugnaculis, facere voluit, quod agere consuetum, et usuvenit illis, qui gravium sollicitudine conflictati, curisque consauciatum pectus habentes non parvae consolationis loco ducere solent, si quibusdam pari animi sensu praedictis ea exponere queant, propter quae animo discernantur.

Atque adeo insistens Sac. Ord. nostri Praemonstratensis sanctionibus dist. 4. C. 9. n. 10 septennio post ultimi Capituli Provincialis in Celeberrimo Zaberdovicensi Moraviae ad Brunam Coenobio celebrationem [4]), evoluto, Reverendissimis, Perillustribus, Eximiis ac Amplissimis D. Dominis Praelatis Boëmiae, Ungariae, Austriae, Moraviae, et Silesiae Abbatibus, Praepositis, Prioribus, Praesidibus, et Curatis authoritate Reverendissimi ac Illustrissimi D. Domini Praemonstratensis sibi tanquam Vicario, ipsius, non tantum generaliter, sed et specialiter ad hoc commissa et delegata, secundo Vicariatus Sui anno,Capitulum Provinciale in Regia Gradicensi ad Olomucium Moraviae Ecclesia 31 Augusti in Statutis Ordinis praescripto celebrandum indixit ; ad quod Reverendissimi D. Domini Praelati, coeterique in Capitulo Provinciali vocem habentes, sese unanimiter contulerunt, et die praefinita solitis cum Coeremoniis praecedente Venerabili Gradicensium Canonicorum Conventu de loco Capituli

[3]) Norbertus Zelicky, abbas Gradicensis, obiit anno 1709.

[4]) Ex hac declaratione sequitur anno 1703 habitum fuisse Capitulum Provinciale in abbatia Zabrdovicensi. Acta huius Capituli nobis nota non sunt.

quotidiani intra Conventum, in Ecclesiam Gradicensem Divae Virginis in coelos assumptae sunt ingressi.

Introeuntes vero aqua lustrali conspersit et benedixit Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Episcopus Hieropolitanus [5]) indutus Pontificalibus, Cui in infulis adstitere Reverendissimi ac Amplissimi D. Domini Hieronymus Hlyna [6]) Siloënsis, Bernardus Wanke [7]) Gradicensis et Carolus Spatochwile Lucensis [8]) Abbates. Consistentibus omnibus in Choro Ecclesiae, Summa Missa de Spiritu Sancto per Illustrissimum D. Dominum Episcopum Hierapolitanum et Vicarium Generalem decantata fuit, qua finita Reverendissimi ac Amplissimi D. Domini Comprovinciales, aliique beneficio Statutorum praesentes processerunt ad locum celebrandi Capituli, praecedente rursus Venerabili Conventu Gradicensi ; ubi iterato per Solemnem hymni : Veni Creator Spiritus, cantum implorata Divini Numinis assistentia dictoque per Reverendissimum D. Dominum Vicarium Benedicite, consederunt, atque a Reverendissimo Domino Gradicensi Bernardo Wanke, per Admodum Reverendum, ac Eximium Patrem Augustinum Gruber [9]) canonicum Gradicensem SS. Theologiae Doctorem, eiusque facultatis Professorem, facundo, et sermone mellifluo, salutati sunt, qua (p. 3) salutatione finita, dimissis illis, qui Reverendissimos Dominos Comprovinciales, ad conclave deduxerunt processionaliter, advocati fuerunt in illud Reverendissimi D. Domini Neo-Electus Abbas Vincentinus, et Neo-Praepositus Iassoviensis [10]), qui ex causis infra recensendis, ad conclave Capituli non intraverant et sic subsecuta fuit in Spiritu lenitatis adhortatio gravis, facta per Illustrissimum D. Dominum Vicarium Generalem, in qua potissimum demonstrabat, quod praeter hucusque conservatum feliciter unitatis

[5]) Vitus Seipel, Vicarius Generalis Ordinis, et praeses huius Capituli. Vide n. 1.

[6]) Hieron. Hlyna abbas fuit Siloensis durantibus annis 1703-1725. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817 s.; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323.

[7]) B. Wancke, abbas Gradicensis, annis 1709-1714. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 757; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294; L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., II, p. 365-367.

[8]) Carolus Kratschvile (scriptor horum Actorum scribit: Spatochvile) abbas fuit durantibus annis 1698-1712. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 93; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 299.

[9]) A. Gruber. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., I, p. 332.

[10]) Nicolaus Fromhold. In Actis huius Capituli dicitur neo-praepositus iam anno 1710 (cfr. sess. I[a], infra, p. 248); dum N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 467, hunc Fromhold praepositum dicit per annos 1712-1714.

et charitatis, pacis, et concordiae vinculum, magnum illud pondus reluitionis Praepositorum Ungaricalium, magna desideret consilia, quatenus non sit rebus ipsis, quae in subsecuturis sessionibus Capituli gerendae essent, inferior libra iudicis ; atque ita omnis materia Capituli ad tria praecipue puncta reducta fuit, ut patebit ex sequentibus. Quatenus autem ordinatius agerentur omnia, inchoata fuit die 31 Augusti horis antemeridianis.

Sessio Prima

Numerus Primus

Cum Reverendissimus ac Amplissimus D. Dominus Arnoldus Brückner [11]) neo-electus Abbas Vincentinus hodiedum praestoletur Romae suam confirmationem Electionis, eaque nondum obtenta, stallum in Capitulari loco capere, atque votare nequivisset ; idcirco praefatus Dominus Abbas providit sibi apud Reverendissimum ac Illustrissimum Iulium Piazza Nuntium Apostolicum cum facultate legati a latere Viennae Austriae commorantem de dispensatione, tenore cuius Ei administratio Monasterii Sancti Vincentii intra Vratislaviam, per trimestre a Die 20 Augusti anni currentis computandum, commissa fuit, ut in praesenti Capitulo Provinciali, nomine dicti Monasterii assistere, Eaque omnia ac singula agere, gerere, et ordinare posset ac valeret, quae pro eiusdem exigentia occursura forent, una delegatis, dicti Domini ac Illustrissimi D. D. Nuntii authoritate legationis, omnibus facultatibus desuper necessariis, et opportunis. Cuius dispensationis instrumentum ubi Reverendissimus Dominus Vincentinus Reverendissimo Capitulo in originali exhibuisset praelegendum, omnium Reverendissimorum Dominorum Comprovincialium consensu permissus fuit, suam inter Reverendissimos Comprovinciales sedem capere, et gaudere voce tam activa, quam passiva.

Numerus secundus

Pariter quoque accidit cum Reverendissimo Domino Nicolao Fromholt [12]) Neo-nominato et confirmato Praeposito Ecclesiae Iasso-

[11]) A. Brückner, abbas S. Vincentii Wratislaviensis durantibus annis 1710-1717. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1115; N. Backmund, *Monasticon*, p. 337.

[12]) Vide n. 11.

viensis in Hungaria (p. 4) postquam et ipse in authentica forma Clementissimam suae personae in praefata dignitate quoad temporalia Confirmationem Caesaream palam produxisset ; qui accepit postremum inter Reverendissimos Dominos Comprovinciales stallum, reservato tamen sibi iure ad stallum suum accipiendum, postquam de tempore fundationis Ecclesiae Iassoviensis, secuturis temporibus quid certius constiterit, et ipse novas in Conventum Iassoviensem reinduxerit fratrum colonias.

Numerus tertius

Adpromiserunt in manibus Reverendissimi Domini Vicarii Generalis [14]) ipsi et Reverendissimo Capitulo reverentiam, obedientiamque, Reverendissimi Domini Gradicensis [15]), Vincentinus [16]), Pernecensis [17]) Abbates, Doxanensis [18]), Chotieschoviensis [19]), Neoreischensis [20]), Iassoviensis [21]) praelati et Praepositi.

Revisores Capituli constituti sunt Reverendissimi Domini Gradicensis, et Pernecensis Abbates. Aerarii vero Provinciae Examinatores Reverendissimus Dominus Zaberdovicensis [22]) Abbas, et Reverendissimus Dominus Chotiessoviensis. In Secretarium Capituli, et inclyti Vicariatus Boëmiae authoritate ipsius Reverendissimi Capituli assumptus, et facto fidelitatis prius iuramento, a toto Reverendissimo Capitulo confirmatus fuit Admodum Reverendus ac Eximius Pater Hieronymus Kichler [23]), Canonicus Strahoviensis, Sacro-Sanc-

[13]) Vide n. 10.

[14]) Vitus Seipel. Vide n. 1.

[15]) B. Wancke. Vide n. 7.

[16]) A. Brückner. Vide n. 11.

[17]) Ambrosius von Schöllingen, praepositus annis 1707-1735. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 307.

[18]) I. Mika, praepositus annis 1703-1733. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 642; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., I, p. 588.

[19]) Dominicus Peterka, praepositus ab anno 1707 usque ad annum 1737. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287.

[20]) Petrus Paulus Credis, praepositus annis 1708-1724. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 304.

[21]) Vide n. 16.

[22]) Engelbertus Hajek (abbas annis 1695-1712) (In actis Capituli Provincialis anni 1700 scribitur. Hagek). Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

[23]) Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., I, p. 442 s.

tae Theologiae Doctor, eiusdemque facultatis Professor emeritus, et authoritate Pontificia notarius Apostolicus.

Pro Notariis Capituli deputati fuere Admodum Reverendus ac Eximius Pater Albertus Unferzak, Canonicus Lucensis Sac. San. Theologiae Doctor, eiusdemque facultatis Professor emeritus. Admodum Reverendus Pater Albertus Orticzki Canonicus Teplensis et in Celeberrimo Parthenone Choteschociensi Provisor ; qui omnes pariter fidelitatem, et secretorum tenacitatem Reverendissimo Capitulo promiserunt.

Numerus quartus

Post haec legebantur litterae Reverendissimorum D. D. Praelatorum Teplensis [24]), Plagensis [25]) et Czarnovancensis [26]), quibus suam absentiam ponderosis ex causis excusabant. Procuratorem tamen constituit nomine sui D. Teplensis D. Praepositum Chotiessoviensem. Dominus Plagensis compromisit in Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem, Czarnovancensis vero in Dominum Gradicensem ; post allegatarum pro absentia causarum approbationem, annutus illico sequebatur in nominatos Procuratores, et indicta fuit in crastinum.

(p. 5) *Sessio secunda*

Horis antemeridianis consuetis

Numerus primus

Sacrum de Beata Virgine Maria in Pontificalibus decantavit Reverendissimus Dominus Dominus Abbas Siloënsis, quo finito congregati fuere in Conclave Capituli Domini Capitulares, et

Numerus secundus

Propositum fuit, quae summa sit debitorum passivorum funda-

[24]) Raymundus Wilfert, abbas annis 1688-1724. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1181; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

[25]) Siardus Worath. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 569 s.; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 370; L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., II, p. 409 (abbas fuit durantibus annis 1701-1721).

[26]) Thomas Schaffarazek (Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, scribit: Schaffarazech). Abbas fuit durantibus annis 1695-1712.

tionem Pernecensium prementium ? Ad quos respondit Reverendissimus Dominus Abbas Pernecensis [27]), iuxta confessionem nuper in quorundam Reverendissimorum D. Dominorum Comprovincialium Praelatorum Conventu, Lucensi, in Abbatia instituto factam ; Summam debitorum Monasterii sui ascendere ad ducenta prope florenorum Rhenensium millia.

Numerus tertius

Cum autem in praefato quorundam Reverendissimorum D. Dominorum Comprovincialium (erant hi Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Abbas Strahoviensis, Reverendissimus Dominus Abbas Gradicensis, Reverendissimus Dominus Abbas Lucensis, Reverendissimus Dominus Abbas Gerussensis, et Reverendissimus Dominus — cuius negotium fuit motivum non infimum congregandi praesens Capitulum — Abbas Pernecensis) amico Collegio, aliqualiter de medio salvandi Ecclesiam sive fundationem Pernecensem Ecclesiam nuper spectantibus, et sat importunis creditoribus a moderni Reverendissimi Domini Abbatis Pernecensis Praedecessore in hypothecas constitutis, provisum fuerit nomine totius Provinciae, sive Circariae Boëmiae fide iubendo pro centum florenorum milibus.

Numerus quartus

Ut de hac ipsa fideiussione expresse constaret toti Reverendissimo Capitulo instrumentum desuper authentice erectum, in consessu totius (p. 6) Candidissimi Coetus praelegere iussus fuit Capituli Secretarius ; quo perlecto Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, aliquorum isto in instrumento non subscriptorum Dominorum Comprovincialium exploravit sensum, consensumque. Omnibus, nemine reclamante, actitata in mentionata conventione Lucensi probantibus.

Numerus quintus

Visum fuit esse necessarium, ut Reverendissimi D. Domini Comprovinciales fraterna commiseratione tacti erga Ecclesiam Pernecensem, et inducti perfecto zelo propagandi Sacri Ordinis nostri in

[27]) Ambrosius von Schöllingen. Vide n. 17.

Regno Ungariae, spretis omnibus modernorum, quae vivimus fere ferrea, temporum obstaculis, in spem contra spem euntes, vestigiis velint insistere Reverendissimorum et Amplissimorum D. Dominorum Praelatorum Gradicensis, et Lucensis, quorum quisque, et Ille quidem Czornensi, Hic autem Iassoviensi, et Lelessiensi Praepositus Ungaricalibus inhaerens, aes alienum quinquaginta millium florenorum suscepit exsolvendum dummodo coeteri Reverendissimi D. D. Comprovinciales, cum suis Venerabilibus Conventibus venire vellent in partem sollicitudinis.

Numerus sextus

Si quidem dictam summam quinquaginta millium florenorum conflabit Reverendissimus D. Dominus Lucensis ex triginta sex millibus capitalis, quo Ipse iuxta conclusa Capituli Zaberdovicensis Anno 1703 [28]) obstrictus et ex quatuordecim millibus florenorum, usurarum nomine restantium et necdum, ut oportuisset, quibusdam D. Dominis Praelatis Provinciae solutarum, modo qui sequitur.

Primo. Ut Reverendissimi D. Domini Abbates quatuor, Strahoviensis, Gradicensis, Vincentinus et Teplensis, item duo Reverendissimi D. Domini Parthenonum Praelati Doxanensis et Chotieschoviensis, non habeant a se, aut suo Monasterio Lucensi praetendenda 36 florenorum millia ; sed patientiam habeant, donec Promontorii S. Stephani [29]) Praepositura in Ungaria, per vigilem quidem futuri Oeconomi sive Administratoris oculum, restituta fuerit in talem statum, in qua dicta Praepositura fructus ferre valeat exoptatos ; Ex quibus fructibus sensim et successive debeant contentari Reverendissimi D. D. mentionati Abbates et Praelati pro capitali praefato 36 millium florenorum. Neque tamen ullum interesse, sive pro praeterito sive pro futuro tempore, vel a Lucensi Monasterio, vel etiam ex hac ipsa Praepositura Promontorii S. Stephani habeant praetendere contentandi cum solo Capitali 36 florenorum millium successive resolvendorum.

(p. 7) Secundo petiit Reverendissimus Dominus Lucensis [30]), ut Reverendissimi D. Domini Siloënsis, Zaberdovicensis, Gerussensis, Neoreischensis, et Czarnovancensis, juxta pollicita in Capitulo Pro-

[28]) Acta huius Capituli anni 1703 nobis nota non sunt.

[29]) Canonia ista, antea in Hungaria, nunc in hodierna Rumenia sita est. Suppressa fuit recenter a gubernio.

[30]) Carolus Kraschvile. Vide n. 9.

vinciali Zaberdovicensi Anno 1703 celebrato, tandem exsolvant in biennali interesse solutionem promissa sibi sex millia florenorum ; eo quod si inter homines saeculares soleat bonae fidei contractus nulla ratione resolvi, tanto magis pollicitatio ista, quae inter unius Divi Patris, ac Patriarchae Norberti filios, pro decore Candoris Praemonstratensis pacta est, solvi sine vindicta non debeat. Et fuit per maiora conclusum, sese soluturos fore, quod petitum fuerat.

Tertio tandem, ut in casu, quo desiderata dudum, et inter spem ac metum adhuc haerentia non sequerentur intra biennium a die conclusi huius Capituli optatissimae pacis foedere, et Dominus Lucensis Abbas in pacificam Lelessiensis, et pertinentis boni Helmetz possessionem introduci nequiret, tota Provincia, sive Circaria Boëmiae sit obligata ad pendendas usuras super Capitali quinquaginta florenorum. Si vero, quod Superi avertant, Praeposituram Lelessiensem ad manus inimicorum, e quibus aut nulla, aut multum difficilis foret redemptio, contingeret devenire ; teneantur omnes Reverendissimi Domini Comprovinciales iuxta Capitulum et sunt sequentia : *Ne praedicti* (fuerant autem nominati Reverendissimi D. Domini Strahoviensis, Gradicensis, Teplensis, Doxanensis, Chotieschoviensis quibus in praesenti Capitulo accessit Dominus Vincentinus Neoelectus Dominus Arnoldus Brückner) *qui hocce Capitale nonaginta millium florenorum sua monasteria gravarant, gravati maneant, appromittunt pariter fideliter, et sancte omnes Reverendissimi D. Domini Comprovinciales, se totam hanc summam centum quadraginta millium florenorum in totam Circariam repartituros ; et quisque pro rata supra suum monasterium suum contingens acceptaturum.* Collectam facere, iuxta proportionem fundationum suarum, qua praedicti sex Domini Praelati, eorumque fundationes Monasteriorum incolumes serventur, et indemnes. Et fuit olim quoad hoc placidatum petitum Reverendissimi Domini Lucensis ; atque ita Praepositurae Lelessiensi et bono Helmetz provisum fuit. Oportebat igitur Czornensi quoque Praepositurae naufraganti de portu salvationis prospicere, quapropter indicta fuit.

Sessio tertia

Pro horis pomeridianis consuetis die 1 Septembris

Numerus primus

De alteris quinquaginta florenorum millibus agendum restabat

cum (p. 8) Reverendissimo D. Domino Bernardo Wanke Abbate Gradicensi. An non et Ipse conditiones proponendas habeat Amplissimo Capitulo, quibus purgatis paratior fieret ad solvendum quinquaginta florenorum millia pro Praepositura S. Michaëlis Archangeli in Czorna.

Qui respondit, quod Summam istam paratissimus sit in se, et Monasterium suum Gradicense, unice ad Sac. Ordinis nostri, et constitutionum illius, atque praerogativarum prae coeteris Sacris Ordinibus notitiam in Regno Ungariae effective implantandam suscipere, dummodo

Numerus secundus

Primo facultatem, dictam Praeposituram sibi et monasterio Gradicensi cedendi a Celsissimo Principe Esterhasy Regny Ungariae Palatino tanquam sacri illius loci ; unde quoniam Ordo noster Praemonstratensis non modo ob temporum iniurias, sed et ob praepotentium haereticorum, imo et infidelium bellatorum virorum potentiam exulare debuit, Munificentissimo nuper Restitutore, modo autem, et post futuris temporibus, semper recognoscendo gratiosissimo fundatore, Sibi impetret Reverendissimus Dominus Pernecensis.

Secundo : ut se reddat idem D. Abbas Pernecensis capacem apud Cancellarium Ungariae, per suae Personae introductionem in praefatam Praeposituram Csornensem, quatenus eandem libere cedere possit Monasterio Gradicensi ; idque suis per omnia sumptibus etiam ad activam cessionem requisitis.

Tertio : Ut idem Dominus Pernecensis cum cessione dictae Praepositurae traditionem quoque faciat Monasterio Gradicensi non solum supellectilis, sed etiam omnium immobilium viventium, et inanimatorum iuxta constitutiones inclyti Regni Ungariae.

Quarto : Ut etiam expurget, et quidem Authoritate Caesarea, Praeposituram saepius dictam a quibusvis debitis passivis sub generali hypotheca illam quomodocumque efficientibus : Sicut etiam ab omni cautione, aliaque qualibet et quocunque ex titulo praetensione ; et ita quidem, ut nec obulus ultra quinquaginta millia propter pacificam Csornensis Praepositurae possessionem, a Monasterio Gradicensi pendi debeat.

Quinto denique, Ut Praepositura Harpatz, tanquam ad Czornam juxta Urbarium pertinens in hoc contractu conventionali com-

prehendatur excepto iure Infulae. Ad quae omnia Suae Pernecensi Sponsae periclitantis gratia, et conservandi, illam in publicum Ordinis nostri splendorem sine omni macula, consensit Reverendissimus Dominus Abbas Pernecensis, ita — ut visus fuerit gnarus illius proverbii — Pallium potius, quam tunicam tradere oportere.

(p. 9) Insuper si — quod nolint Superi — antequam in Czorna Monasterium ipse Reverendissimus D. Gradicensis aedificaverit, et sumptus in supra Gradicense suum acceptorum debitorum exsolutionem, sibi, et Monasterio Gradicensi suo, ex perceptis proventibus, Czornensibus compensaverit, per bella deveniret in manus, e quibus erui difficillime posset, teneatur tota Provincia et Circaria Boëmiae salvam servare et indemnem Ecclesiam Gradicensem.

Numerus tertius

Quatenus autem firmius robur habeant haec omnia in puncto vindicationis faciendae ab insidiantibus haereditati Patrum nostrorum in praesentibus Sacri Ordinis nostri Comitiis Provincialibus tractata, visum fuit Amplissimo Capitulo supplices formandas esse litteras ad Augustissimum Imperatorem nostrum Regemque Serenissimum Boëmiae, et Apostolicum Ungariae, quatenus Sancta Maiestas pro sua magnificentissima clementia et authoritate Regis Apostolici, eadem actitata ratihabere, ratihabita gratiose confirmare, et ita confirmata manutenere, uti hactenus, ita et in futurum clementissime non dedignetur. Quae conceptae in Chartam litterae lectae fuere per P. Secretarium toti Amplissimo Capitulo. Atque ita, ut relatum fuit in Superioribus, terminatum est tam arduum ac sumptuosum plenae reluitionis ab inhaerentibus sibi debitis, Praepositurarum Ungaricarum negotium.

Numerus quartus

Ut autem Reverendissimi D. Domini Abbates Gradicensis et Lucensis tam praeclari zeli sui prae cuiusvis alterius in isto reluitionis splendidius radiantis, condignum referrent praemium ; Reverendissimi D. Domini Comprovinciales Reverendissimo ac Eximio Domino Gradicensi, et Successoribus illius in Czornensem Ecclesiam (quam a Reverendissimo Domino Pernecensi ob suae Ecclesiae Pernecensis indies accrescentem inopiam, ascedente pro summa

quinquaginta millium florenorum acquisivit) Reverendissimo autem et Amplissimo D. Domino Lucensi in Iassoviensem, et Lelessiensem Praepositurас Ius Paternitatis pleno iure detulerunt, ac respective confirmarunt, in perpetuum duraturum, apud celeberrimas Ecclesiam Gradicensem et Lucensem. Licet enim meminerit Amplissimum Capitulum fuisse quondam ab Ordinis nostri Patribus in Generali Capitulo Anno 1657 Sess. 10 ad quaesitum : An quis acquirat ius Paternitatis in aliquod Monasterium (p. 10) per hoc ipsum, quod illud suis expensis vel industria recuperaverit ? Respondit : Ius Paternitatis acquiri per illum, qui suis expensis deperditum Monasterium recuperaverit. Posse tamen et debere Patrem Abbatem in iure Paternitatis restitui, refusis recuperanti expensis pro recuperatione factis. Nihilominus tamen Reverendissimum Capitulum in futura tempora prospiciens iudicavit, iustum et aequum esse, ut Dominus Abbas, aut Prioratus Monasterii vindicantis fiat, maneatque Pater Abbas Monasterii vindicati.

Verum enim vero cum hoc ipsum statutum huius capituli non in loco sat tuto, firmoque robore collocari posse videatur, nisi Reverendissimus D. Dominus Praemonstratensis suam interponat et Capituli Generalis authoritatem, Idcirco Reverendissimum Capitulum, ei, qua par est, debita observantia, supplicat Reverendissimo D. Domino Generali pro huius, non solum ad inclytae Circariae Boëmiae, sed totius quoque Ordinis nostri speciale incrementum profuturi conclusi approbatione singulari.

Numerus Quintus

Insuper, quoniam in quibusdam Circariae Boëmiae annexis Provinciis non unus idemque in Coetibus Religiosis modum practicatur eligendi novum Abbatem, sede Abbatiali vacante ; et ideo aliqui Conventus, non quod a Maioribus traditum est, sed quod sibi visum fuerit, id aestimet de consuetudine esse tenendum. Idcirco voluit Reverendissimum Capitulum omnibus Reverendissimis D. Dominis Abbatibus, Patribus Abbatibus normam Canonicae Electionis sacris canonibus nostrisque Ordinis Statutis conformatissimam praescribi, praescriptam communicari, communicatamque exactistissime observari a singulis tam Electoribus, quam electionem praesidentibus.

Tandem indicta fuit in diem crastinum antemeridiana.

Sessio Quarta, Die 2 Septembris

Numerus primus

Missam de Sanctissimo Patre Norberto ritu Pontificali decantavit Reverendissimus D. Dominus Abbas Zaberdovicensis [31]), Reverendissimo Domino Gradicensi, Hospitalitatis causa cedente, atque Reverendissimo Domino Lucense aegrotante, et Neo-Electo Domino Vincentino necdum Pontificalibus utente.

(p. 11) Numerus secundus

In Capitulo Provinciali Pragensi 1700 sessione 3. num. 6 [32]) ab Illustrissimo felicissimae memoriae D. Domino Colbert Ordinis nostri Generali petita fuit declaratio : utrum in Electionibus Praelatorum conspiratores dicendi, atque poenis conspiratorum per Statuta dist. 3. Cap. 9. subiiciendi sint, qui prava intentione, mediisque indebitis, eligentes in unum aliquem congregant, et conscribunt muneribus, ac promissionibus, ad dandum votum minus digno disponunt, praeterito digniore ? Ast quia nulla desuper Praemonstrato advenit declaratio : Ea propter Reverendissimi D. Domini Comprovinciales eam fieri, et quidem (si conspiratio diffamationem pariat, quae digniori praeiudiciosa sit nimis ob infamiam inde ei impendentem) cum interminatione privationis utriusque vocis, expresse desiderant, idque tanto avidius, quanto ferventius cupiunt removeri illa, quae progressum in virtute, et fructuosam odoris et candoris Praemonstratensis participationem tam in claustris, quam afforis possent impedire.

Numerus tertius

Quamvis nostrorum praescripta Statutorum pro incorrigibilibus Bullae Urbani VIII de incorrigibilibus, noscantur ad amussim conformia, opportune etiam provisum sit de talibus compescendis, in variis Capitulis Provincialibus, nominatim in Lucensi Anno 1687 Sess. 4 [33]) et in Pragensi Anno 1700 Sessio 3. num. 9 [34]) Nihilomi-

[31]) Norbertus Hajek. Vide n. 22.
[32]) Vide supra, p. 224.
[33]) Vide supra, p. 163.
[34]) Vide supra, p. 224.

nus non sine magna Paterni cordis Sui amaritudine, accepit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, quam longe nonnulli a verae humilitatis et obedientiae tramite absint : Imo gravissima quaeque crimina sceleraque patrare non erubescant ; idcirco Reverendissimus D. Dominus Vicarius Generalis cum toto Reverendissimo Capitulo de valido remedio adhibendo sollicite cogitans, appellat Reverendissimum Dominum Generalem, ut eiusmodi excessus bonis omnibus odibiles (ne, si perpetuis includerentur carceribus tales nocivi homines, molestentur in conventibus coeteri, qui adeo facinorosis servire deberent) per triremes, si aliquis talium, sive coniunctim, sive divisim, criminum reus, convictus, sive confessus fuerit, sine omni misericordia coërceantur ; Itaque teneant iudicium, et separentur a nobis, qui nos conturbant, ut non sint in Provincia nostra amplius scandala. Hoc postulant Sacri Canones. Sic edixit Capitulum Provinciale Plagense Anno 1644, Conclusione 35 [35]).

(p. 12) Numerus quartus

Illis quoque, qui malitiose in suos Praelatos insurgere, Conventuum Superiores et Confratres multis modis graviter turbare, ac inquietudine sua aggravare praesumunt, a diversis excessibus committendis sibi non temperant ; correctionem tamen Superiorum aegre ferunt ; Reverendissimum Capitulum arctiorem cupiens limitem opponi, constituit, ut contra tales, non solum tanquam inobedientes iuxta Ordinis Statuta procedi possit, sed, ut poenis insuper Dist. 3. Cap. 9. conspiratoribus, infamatoribus, et rebellibus decretis per Statuta subiici possint et debeant, ipsoque facto ad omnem promotionem vel obedientiam, tam intra, quam extra claustrum inhabiles fiant, et permaneant.

Numerus quintus

Iudicarunt quoque Reverendissimi D. Domini Comprovinciales ad praecavenda ulteriora scandala, quae ab Irreligiosis a Sacra Religione nostra profugis Religiosi etiam manifestis Apostatis, ad Sedem Apostolicam recurrentibus, impune committuntur. Scribendum esse de novo Reverendissimo Domino Procuratori Generali ut is Curiam

[35]) Vide supra, p. 45.

Romanam quantocius informet, atque totiusque Sacri Ordinis nostri nomine supplicet, et adlaboret, in Aula Pontificia, quatenus ibidem statuatur, ut nullae dimissoriales, quales agyrtae tales pessimi subreptitie producere solent, nullae salvi conductus litterae Apostolicae imposterum robur ullum habeant, nisi istae fuerint a propria cuiuscumque fratris e Provincia digressi Superiore. Hae vero per ipsum Reverendissimum Dominum Procuratorem Generalem impetratae et subsignatae.

Numerus sextus

Cum ex Capitulo Generali Anno 1670 Sess. 7., qui per horam, aut circiter, sine licentia Claustrum exire praesumpserit, duplicanda sit poena proposita in Statutis Dist. 3. Cap. 7., num. 29. non autem poena fugitivorum plectendus sit [36]). Quaesitum fuit : quomodo sint ii puniendi, qui de nocte furtive Claustrum egressi fuerint ? Et visum fuit Reverendissimo Capitulo : Cum talis egressus malitiae intensionem admittat et extensionem, poenam eiusmodi egressionis nocturnae posse esse arbitrariam, ad cuiuscunque Domini Praelati proprii iudicium prudens, et discretum zelum.

Numerus Septimus

Propositum fuit, invaluisse paucis abhinc annis inter quosdam fratres Novitios abusus, voto paupertatis propediem ab ipsis profitendae (p. 13) valde contrarius, praetendendo videlicet, ut cum iuxta Concilium Tridentinum de suis rebus in saeculo titulo haereditatis, vel quocunque alio modo habilis, disponere possint, et disponant : etiam sibi, in usum disponendi liberum, post Professionem de his aliquid reservare, vel excipere valeant. Unde quaesitum fuit : An licite ? Responderunt Reverendissimi Patres conscripti, sine dispendio religiosae Paupertatis posse ita disponi a Neo-profitendis cum rebus a Se ante Professionem quocunque iusto titulo habitis, vel extraneis a Religione Amicis suis, aut familiaribus saeculi ipsi do-

[36]) Ita statuit Capitulum Generale anni 1670, sess. 7ª: *Reverendus Dominus Abbas Tungerloensis petiit explicari locum Statutorum Dist. 3, c. 2, num. 19º, decerni qua poena plectendus sit qui exiit extra Monasterium per breve tempus, an poena fugitivorum ? Capitulum respondit quod exeunti ex monasterio per breve tempus, scilicet per horam aut circiter sit duplicanda poena contenta in loco Statutorum praeallegato, non autem poena fugitivorum.* Ms. Nancy 1767, fol. 332 rº.

nare valeant cum obligatione donatariorum istorum, ut quovis anno sibi aliquid ab istis contribuatur, quod ipsi cum licentia Superioris accipere, et pro necessariis rebus utiliter exponere valeant cum scitu Superioris sine omni prorsus dominio, cui Se per Sacram Professionem penitus abdicarunt.

Numerus Octavus.

Admodum Reverendi etiam P. P. Parochi et Curati, coeterique extra Coenobium ubicunque locorum degentes, non minus quam Conventuales Religiosi considerantes Deum esse testem cordis humani, scrutatoremque verum singularum conscientiarum, sint Professionis suae, atque votorum Suorum accurati executores ; nisi transgressores malint sine misericordia et respectu personarum secundum Ordinis Statuta emendari ; nec ad subterfugium casuum reservatorum utantur Confessariis Ecclesiasticis, vel alterius Instituti Religiosi, sed duntaxat quantum fieri potest, Ordinis nostri Professis et praestitutis Confessariis sub poena ipso facto privationis Beneficii, et nullitatis confessionis secundum Statuta nostra distinct 7. cap. 6. Et Constitutiones Capituli Plagensis Anno 1644 Conclusione 4. 6 [37]). Item confirmat Amplissimum Capitulum, Statutum Capituli Pragensis Anno 1681 sess. 7. num. 12 [38]). Quod Parochis Regularibus venientibus ad Monasterium nullatenus competat potestas eligendi sibi Confessarium authoritate Episcopi pro Saecularibus approbatum, iis neglectis, quos Reverendissimus Dominus Praelatus pro Conventu deputat.

Numerus Nonus

Quatenus autem animarum Pastores, non raro per exteriorum curam nimium diffluentes facilius ad interiora redeant, atque (ut constitutiones nostrae loquuntur) *in Unum* : firmiter constitutum maneat, ut singulis annis per tres ad minimum dies, in proprio Monasterio, vel alio loco, per Praelatum designando, et ad eius ordinationem, singuli Pastores, eorumque Capellani sepositis omnibus aliis occupationibus in Exercitiis spiritualibus toti versentur, maneantque obligati per eadem Statuta dist. 4. Cap. 20. Num. 10 tempore, quos

[37]) Conclusiones istae desunt in ms. quod nobis praesto est. Vide supra, p. 35.
[38]) Cfr. supra, p. 146.

praefinitum fuerit a propriis Praelatis omnium rerum sibi ad usum concessarum fidelem descriptionem, sive Inventarium Domino Praelato suo tradere sub poena proprietariis decreta.

Numerus Decimus

Reverendi Patres Provisores quoque, ac coeteri Officiales Oeconomiae et (p. 14) Exteriorum Inspectores Religiosi pariter memores professae paupertatis, cum sibi concreditis pecuniis, et externis negotiationum dispositionibus ita agant, et oeconomizent, vel propria voluntate, libitu, immoderato, sumptuosoque lusu, et luxu omni rescissis, sic duntaxat disponant, prout voluntati et ordinationi D. Dominorum Praelatorum melius correspondere, et placere posse diiudicabunt. Et Statutorum decisionibus dist. 2. Cap. 16. § 3. et 9. conformatissimum esse videbunt, ad evitandum pariter decretas proprietariis poenas.

Numerus undecimus

In Capitulo Provinciali Pragensi Anno 1700 resolutum fuit nomine Senioris Conventus inter Maiores de domo iuxta Statuta nostra dist. 1. Cap. 15. computandi, venire Seniorem illum, qui in conventu permanens est, et pondus diei ac aestus cum aliis portat, licet professione iunior sit respectu alterius, aut aliorum professione Seniorum extra conventum degentium [39]). Verumtamen, cum Patres Provisores, et Cellarii tametsi foris in Praelaturis degant, nihilominus inter Seniores de domo annumerentur ? Reverendissimum Capitulum voluit hisce declarare Statutum : illud Capituli Pragensis nequaquam voluisse a Senioritate domus excludere coeteros professione seniores, si hos contigerit extra Conventum in Abbatia ad alia officia a Reverendissimis D. Dominis Praelatis assumi, et in observantiis Conventualibus iustis de causis in proemium diversorum meritorum cum eis dispensari.

[39]) De hac re, cfr. Acta Capituli Provincialis anni 1700, sess. 3a. num. 8. Vide supra, p. 224.

Sessio Quinta. Die 3 Septembris

Horis post meridiem consuetis

Numerus Primus

Cum Anno 1691 in Capitulo Provinciali Gradicensi, etiam quoad hoc punctum ab Illustrissimo D. Domino Generali confirmato, incorporata fuit Provinciae Ungariae, Provinciae nostrae Boëmiae ; et Circariae Boëmiae Vicario Generali subiecta et subordinata [40]) ; atque ex ratione connexionis et coniunctionis Provinciarum Boëmiae, Austriae, Moraviae et Silesiae Patronorum unionique Provinciae coeteroquin appropriatorum festa ubique sive in tota Circaria sub eadem Solemnitate iuxta constitutionem Capituli Provincialis Anno 1659. Plagae habiti celebranda sint [41]), ita ut Austriaci Boëmis, Moravis et Silesiis : vicissim et Boëmi et Moravi ac Silesii Austriacis in suis festivitatibus ac Patronis valeant collaetari.

(p. 15) Numerus Secundus

Quaesitum fuit primo : An non ex eadem connexionis et coniunctionis ratione, festa alias Regno Ungariae appropriatorum Patronorum, etiam per totam Circariam nostram, essent celebranda, sub ritu maioris Duplicis, veluti festum S. Stephani, et Sancti Ladislai Regum, Sancti Emerici Ducis, nec non Sancti Gerhardi Confessoris — in Ungaria quidem per modum tertiae Classis Triplicis, in quam Classem pro Moraviae Monasteriis reponi, etiam petitur festum Sanctorum Cyrilli et Methodii, Boëmiae et Moraviae Apostolorum — ut et Sancti Angeli Custodis prima Dominica Septembris in his Provinciis a Romanis celebrari solitum ? Et resolutio fuit affirmativa, eo quod par ratio, non impar postulet iudicium. Hoc tamen observato, quod festum Sancti Stephani Confessoris, non die 2da Septembris, sed 23. Augusti celebrari debeat.

Numerus Tertius

Quaesitum fuit secundo, an non pro honore Immaculatae sem-

[40]) Haec decisio Capituli Generalis anni 1657 in approbatione Capituli Provincialis anni 1691, ex parte Domini Praemonstratensis, iterum commemorata fuit. Vide supra, p. 210.

[41]) Haec decisio abest in Actis, prout illa invenimus in MS hic edito.

per sine labe originali Conceptae Virginis Matris Mariae, possent et deberent etiam in Sacro Ordine nostro et Circaria Boëmiae, in qua Corpus habetur Sanctissimi Patriarchae nostri Norberti, circa quem Beatissima Virgo et Mater Dei varia operata est ; omnia alia festa, quae alias de Beatissima Virgine in Romana Ecclesia, vel aliis Religionibus celebrantur, uti sunt festum Sanctae Mariae de Monte Carmelo, festum Recollectionis Gaudiorum, et festorum Beatissimae Mariae Virginis, festum Patrocinii eiusdem, et si quae festa alia in aliis Religionibus celebrari solent ! Super hoc deliberatione habita visum fuit Reverendissimo Capitulo, id ipsum esse conveniens, quam quod convenientissimum, etiam ex eo, quod Sacer et Canonicus Ordo noster Beatissimae Genitrici Mariae non nimis dicatus, devotus, et obstrictus sit, ab eaque in suis initiis, et progressus sui tempore maxima singularissimaque acceperit beneficia, quam fortasse ulla religio alia.

Numerus Quartus

Observarunt etiam Reverendissimi D. Domini Comprovinciales in recentissimis Breviariis Ordinis nostri per errorem typographi, vel correctoriis, in Rubrica Generali festum Beatissimae Matris Mariae nascentis per Capitulum Generale 1670 sess. 3 [42]) elevatum in Triplex 2dae classis, annumeratum esse festis tertiae Classis, cuius erroris Reverendissimum Capitulum omnes Circariae Boëmiae Canonicos Praemonstratenses admonitos voluit, quatenus (p. 16) sic integer maneat honor Nascentis Virginis per Elevationem irrevocatam a Capitulo Generali ad secundam classem, quam etiam Elevationem Reverendissimum Capitulum impendit Immaculatae Virginis Conceptioni, utpote per totam Ecclesiam Catholicam futuris temporibus iussu Clementis XI festive celebrandae, et

Numerus Quintus

Quia Officium eiusdem Genitricis Dei, tanquam singularis Pro-

[42]) Ita legimus in Actis dicti Capituli anni 1670: *Capitulum intentum semper in maiorem cultum Beatissimae Virginis Mariae Ordinis nostri candidi singularis Patronae, decrevit festum Conceptionis illius celebrandum esse cum Octava..., item decernit festum Nativitatis Bmae Virginis Mariae evehendum esse ad classem triplicium secundae classis, prout de facto evehit.* Ms. Nancy, 1767, fol. 331 r° et v°.

tectoris Ordinis nostri, ad instantiam Reverendissimi Capituli Gradicencis Anno 1691 celebrati, ex indulto Illustrissimi D. Domini Generalis felicis memoriae Michaëlis Colbert, menstrue in Circaria Boëmiae celebrari posse concessum est, perque mensem semel duntaxat, Sabbatho non impedito, celebratur ; contingit autem non semel, quod per integrum mensem Sabbathum nullum vacet, quo festum novem lectionum saltem, aut vigilia non occurrat ; idcirco petit Reverendissimum Capitulum, ut in casu talis occurrentiae, sive non vacantiae, quocunque alio die sic vacante intra mensem semel Officium illud votivum de Domina celebrari valeat.

Numerus Sextus

Ne vero etiam Sanctis, Angelis, et Archangelis, quibus specialiter obligati sumus, tanquam nos ubique protegentibus, suus per annum honor singularis eveniat : Constituit Amplissimum Capitulum, festum Sancti Gabrielis 24. Martii, Sancti Raphaëlis autem 24 Octobris celebrari.

Numerus Septimus

Tandem proposuit Reverendissimus Dominus Gradicensis [43]), in Confirmatione Provincialis Capituli Anno 1670 Gradicii celebrati, haberi, quod Ecclesia Kyritainensis, quae olim fuerat Conventualis Sanctimonialium Sacri Ordinis nostri [44]), in qua tunc temporis in Choro divinum Officium, a quatuor Sacerdotibus persolvebatur, sicuti et aliae Ordinis nostri Parochiales Ecclesiae, in Indulgentiis ad diem Dominicum infra Octavam Sanctissimi Patris nostri concessis non participent, et solis Conventualibus Ecclesiis hae sint concessae. Romae vero a Reverendissimo Domino Procuratore Generali sibi scriptum sit, quod Ecclesia Sacri Montis Praemonstratensis ad Olomucium [45]) gaudeat omnibus Indulgentiis, quae a Summis Pontificibus Sacro Ordini nostro pro certis festis concessae sunt. Occasione

[43]) B. Wancke. Vide n. 7.

[44]) Cfr. de hoc monasterio (sito in hodierna Tchecho-Slovakia), C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 13 s.; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 327, qui asserit nunquam moniales Ordinis ibi habitasse.

[45]) Cfr. supra, p. 106 s. — De Monte Praemonstratensi (in hodierna Tchecho-Slovakia), cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 319-322; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 314 (nomen huius loci refert sub denominatione tchechica: Svaty Kopecek).

harum Indulgentiarum, ut propter concursum populi illas lucrari volentis, (p. 17) Ipse Dominus Abbas, cum coeteris suae Ecclesiae Professis in monte Praemonstrato commorantibus od obsequium Christianorum eo confluentium, Sacramenta administrando, valeat esse assecuratus. Item, quod in Ecclesia Sacri Montis, ac adiuncta Religiosorum residentia, pleraque observentur, quae ad observandum in formatis conventibus, eorumque Ecclesiis observanda praescribuntur. Et tandem propter honorem specialissimum, qui ex illa Sacro Ordini nostro, et Provinciae continuo accedit, praesertim vero propter cultum florentissimum Sanctissimae Virgini Mariae Candidissimi Ordinis Dominae ; atque etiam cum de facto Chorus ibidem a Religiosis, nunc quidem sedecim inibi habitantibus persolvatur, quae tamen neque modo cum affixa residentia authoritate ullius Capituli Provincialis, aut specialiter ab ullo Sacri Ordinos nostri Generali, Sacro Ordini nostro incorporata non est, Petiit Reverendissimus Dominus Gradicensis, an non Sacro nostro expresse sit incorporanda in modum Ecclesiae residentialis, iis pro tempore, quoad observationem legum Conventualium duntaxat exceptis, quae propter concursum populi et defectum habitationis, nondum in modum Monasterii perfectae accommodatae, observari non possunt. Super quo petito, unanimibus Reverendissimorum D. Dominorum Comprovincialium votis conclusum fuit : illam elevandam esse ad incorporandam Sacro Ordini nostro tanquam Ecclesiam Conventualem ; prouti eandem Ecclesiam actualiter, et expresse Reverendissimum Capitulum elevavit, et incorporavit, petens huius Elevationis, atque incorporationis gratiosam Confirmationem, iudicavitque illo loco usque adhuc Praesidenti, amodo, et in perpetuum, dandum esse titulum P. Prioris, et pro tali, actu, authoritate Capituli, installatus fuit ; Suamque in praesenti Capitulo sessionem coepit Vir optime meritus Admodum Reverendum ac Eximius P. Tobias Aberspach Regiae Ecclesiae Gradicensis Professus, SS. Theologiae Doctor

Numerus Octavus

Reverendissimus Dominus quoque Zaberdovicensis [46]) proposuit Reverendissimo Capitulo, qualiter Gessenecij — est bonum spectans ad fundationem Zaberdovicensis Ecclesiae — sub Patrocinio S. Liborii Episcopi et Confessoris, adversus dolores calculi, mor-

[46]) Engelbertus Hajek. Vide n. 22.

bosque diversos singularis Patroni, erecta fuerit ante annos plures utriusque Sexus fidelium pia Congregatio plenariis dotata indulgentiis. Pro cuius argumento, maiorique Gloria Dei, et Sancti eius Confessoris Liborii honoris incremento, ampliorem Ipse a fundamentis ibidem extruxerit Capellam, una supplicando Reverendissimo Capitulo, quatenus Zaberdovicensis (p. 18) Ecclesiae Canonicis Professis facultas concedatur futuris temporibus, 23. Julii (reiecta in 22 eiusdem Mensis Iulii Octava Sanctae Mariae Magdalenae) in Choro celebrandi festum dicti Magni Thaumaturgi Divi Liborii ; et festum Translationis die 27 Aprilis.

Numerus Nonus

Omnium autem dictorum festorum celebrationem, aut Elevationem quod attinet ; de iis Reverendissimum Capitulum ita mente concepit, et voce edixit, ut una roget, eos fieri per Ipsummet D. Dominum Praemonstratensem, et factum iri sperat tanto facilius, quanto melius noscitur, quam sit optabile omnibus plurium patrocinio frui Sanctorum.

Numerus Decimus

Quoniam praeterea statutum fuit per Capitula quaedam generalia nullum festum duplex, aut novem lectionum celebrari posse intra Octavam festorum primae Classis, iudicavit Amplissimum Capitulum festum S. Hiacynthi Confessoris incidens in 16 Augusti celebrari debere per Circariam nostram die 14 eiusdem Mensis, mandavitque ut Rubricae Breviarii ab omnibus Circariae Boëmiae Canonicis Praemonstratensibus ad amussim observentur.

Numerus Undecimus.

Sicut non semel dies ostendit, quod nox peperit, ita saepius accidit, ut qui in quibusdam fratribus Clericis dormitabat, spiritus superbiae excitetur in ipsis, ut primum Sacerdotii Ordine initentur ; adeo quidem ut Neo-ordinati Presbyteri ante suas Primitias illico velint consuetis fratrum Clericorum officiis, atque servitiis sese subtrahere, imo dum aliis Presbyteris quorum labia quotidie rubent pretioso Christi Sanguine sint Professione seniores, in istorum stalla ausu temerario non vereantur involare ad praecedentias in publico. Ela-

tionis istiusmodi spiritui cupiens venire obviam Reverendissimum Capitulum, statuit pro futuris temporibus, ut Neo-ordinati Sacerdotes, donec primitiaverint, resideant in stallis fratrum, servitiaque Clericorum peragant omnia, per triduum insuper post primitias habitas cum Superiore Conventus mensae in Refectorio praesidente considere quidem poterunt, ast de reliquo nullum absolute primatum sive in Choro sive in Refectorio obtineant, minus in conventu independentem a Superioribus praeordinatis dispositionem faciant, cum e contrario, non raro contigisse noscatur, quod reliqui Conventuales sine respectu Superiorum illo triduo libere egerint, vel omiserint, quod libuisset, non sine singulari Regularis disciplinae et observantiae dispendio.

(p. 19) Numerus Duodecimus

Cum ad factam a Reverendissimo Domino Vicario foelicis memoriae Reverendissimo D. Domino Norberto Zieletzki [47]) Abbate Gradicensi seriam commonitionem in Capitulo Pragensi Anno 1700 Sess. 3. Num. 2. adpromiserint D. Domini Comprovinciales, se pro sua obligatione diligenter curaturos, ut decreta Capitularia, quae citra privatorum Religiosorum, tam Conventualium, quam extra Conventum degentium constituta sunt [48]). Nempe :

Primo : ut fratres laici non sinantur gerere capillos ad modum coronarum clericalium, sed modo in sacris Statutis praescripto tondeantur.

Secundo : Cingulorum ad instar retium contextorum in pluribus capitulis ab Illustrissimo D. Domino Generali confirmatis prohibitio, et abrogatio executioni mandatur.

Tertio : In calceis, pileis, aliisque Religiosis indumentis, sicuti et baculis, calceorumque fibulis levitas, et curiosa vanitas omnimode vitetur ; et pro hoc impediendo Superiores Conventuales rigide invigilare teneantur.

Quarto : Mitrellarum nigrarum usus pro arbitrio Reverendissimorum D. Dominorum Praelatorum in conventu servetur uniformitas, et non sint ex pretiosiori materia, quam ipsi Religiosi habitus esse soleant.

Quinto : Mitrellae albae vel nigrae in Processionibus Conventualibus non apponantur.

[47]) Obiit anno 1709.

[48]) Hoc serium monitum in Actis dicti Capituli anni 1700 explicite non refertur.

Sexto : In Rochetis, quoad fimbrias, illud servetur moderamen, ne simplices Sacerdotes, et maxime Clerici, in magnitudine, nitore, et pretio, Rocheta adaequent Reverendissimorum, multo minus excedant ; et his similia debite adimpleantur.

Huius suae Promissionis factae, gravi sermone pro conscientiae suae dictamine rursum monitos voluit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Abbas Strahoviensis. Et Reverendissimi D. Domini Comprovinciales iterum adpromiserunt sedulos se futuros executores in sibi commissis Religiosis talium praeceptorum, dummodo Illustrissimus D. Dominus Generalis in secundo ex recensitis prohibitionis puncto, quod cingula retiata, sive, quae in modum retis, simplicibus e filis contexta sunt, concernit, dispenset. Attulere enim Reverendissimi D. Domini Comprovinciales, una quasi voce, causas dispensationis huius ab Illustrissimo D. Domino Generali faciendae, tales et tantas (quas hic referre longum foret) ut Ipsummet Reverendisiimum D. Dominum Vicarium Generalem moverint, ut zelum suum, quo secundum scientiam (p. 20) zelatus est, in observantia eorum, quae a Domino Praemonstratensi vel Statuta, vel confirmata sunt, mitigaverint adeo, ut ipsemet cum coeteris Reverendissimis D. Dominis Comprovincialibus in praesentiarum pro dispensatione in usu retiatorum eiusmodi cingulorum supplicare voluerit Reverendissimo Domino Praemonstratensi, et Ordinis Generali.

Numerus Decimus Tertius

Ultimo demum, cum in quorundam Capitulorum Provincialium confirmatione habeatur Clausula praeceptiva, ut in virtute salutaris Obedientiae omnia et singula in illis sancita ab omnibus Provinciae et Circariae huius tum Praelatis, tum Religiosis subditis ad amussim observentur ; petit Reverendissimum Capitulum, ut praestoletur super sensu verborum supremi capitis et Reformatoris Generalis Ordinis nostri, et Suorum Interpretis verborum Iudicium et Sententiam, quod de caetero, de Talliis restantibus omni possibili industria, dummodo tantisper respiraverit Circaria haec ex exulceratissimis modernis temporibus, sese provisurum esse, adpromisit.

His completis Reverendissimus, Eximius, ac Amplissimus D. Dominus Abbas Gradicensis [49]) humanissime invitavit totum inclytum Capitulum ad interessendum in Alma Coesarea et Episcopali Universitate Olomucensi actui Academico, quo Doctorali in Theo-

[49]) B. Wanke. Vide n. 7.

logia, quatuor ; Duo, Licenciatus laurea, Ecclesiae Gradicensis Professi condecorati fuerunt.

Invitationi detulerunt Reverendissimi D. Domini Abbates, coeterique D. Domini Capitulares, quos inter de sola hac Provincia, Exemplo numquam viso duodecim in subselliis suis sub Academico Ornatu consedere in Sacra Theologia Doctores.

Haec omnia per Reverendissimos D. Dominos Doctores debite visa et examinata, iussu Reverendissimi ac Illustrissimi D. Domini Hieropolitani Episcopi et Vicarii Generalis [50]), Reverendissimis, Perillustribus, Eximiis, ac Amplissimis D. Dominis Praelatis, coeterisque Capitularibus in ultimo Consessu die 5 mensis Septembris consueto loco simul congregatis, a Patre Secretario Vicariatus Generalis lecta fuerunt, et publicata. Eorundem Reverendissimorum D. Dominorum Eximiorum ac Praecellentium Patrum Capitularium manibus subscripta, Abbatialibus vero et Praelatorum signetis etiam subsignata.

(p. 21) L. S. Vitus Episcopus, Abbas Strahoviensis, et Vicarius Generalis.

(L. S.) F. Hieronymus Abbas Siloënsis [51]).

(L. S.) F. Carolus Abbas Lucensis et Visitator Generalis [52]).

(L. S.) F. Engelbertus Abbas Zaberdovicensis [54]).

(L. S.) F. Ambrosius Abbas Pernecensis [55]).

(L. S.) F. Dominicus Praelatus Chotieschoviensis [56]).

(L. S.) F. Nicolaus Praelatus Iassoviensis [57]).

(L. S.) F. Bernardus Abbas Gradicensis, etiam procuratorio nomine loco Reverendissimi Domini Czarnovansis [53]).

(L. S.) F. Andreas Abbas Vincentinus [58]).

(L. S.) F. Engelbertus, Abbas Geracensis [59]).

(L. S.) F. Josephus Praelatus Doxanensis [60]).

(L. S.) F. Petrus, Praelatus Neoreischensis [61]).

[50]) Vitus Seipel. Vide n. 1.

[51]) Hieronymus Hlina. Vide n. 6.

[52]) Carolus Kratschvile. Vide n. 8.

[53]) Bernardus Wancke. Vide n. 7.

[54]) Engelbertus Hajek. Vide n. 22.

[55]) Ambrosius von Schöllingen. Vide n. 17.

[56]) Dominicus Peterka. Vide n. 19.

[57]) Nicolaus Fromhold. Vide n. 10.

[58]) Andreas Brückner. Vide n. 11. Arnold !

[59]) Engelbertus Hofmayr; abbates durantibus annis 1693-1712. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 742 (scribit Hoffmayer); N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291.

[60]) Ioseph Mika. Vide n. 18.

[61]) Petrus Credis. Vide n. 20.

(p. 22) P. Hieronymus Fridericus Kichler Sac. Sanctae Theologiae Doctor [62]), Notarius Apostolicus, Amplissimi Capituli Vicariatus Generalis, Secretarius iuratus.
P. Gothardus Göhl, Prior Sioneus.
P. Augustinus Janausseck Prior Siloënsis, Reverendissimi Capituli Notarius iuratus.
P. Iacobus Wahl Prior Gradicensis.
P. Iosephus Grecher Prior Vincentinus, et SS. Theologiae Doctor [63]).
P. Florianus Albrecht Prior Teplensis [64]).
P. Gilbertus Ilgner Prior Zaberdovicensis.
P. Ignatius Vick Prior Geracensis.
P. Franciscus Prosch Prior Plagensis, SS. Theologiae Doctor.
P. Benedictus Cischini Prior Pernecensis.
P. Bernardus Zinlack Prior Neireschensis.
P. Tobias Alberspach Prior S. Montis et SS. Theologiae Doctor.
P. Nicolaus Treislem Proparochus Strahoviensis et Doxanensis.
P. Benedictus Bönisch Proparochus Gradicensis et SS. Theologiae Doctor [65]).
P. Albertus Inverzagh Proparochus Lucensis et SS. Theol. Doctor et totius Reverendissimi Capituli iuratus Notarius.
P. Franciscus Miller Proparochus Vincentinus.
P. Albertus Ottizky Proparochus Teplensis et Chotieschoviensis, Reverendissimi Capituli iuratus Notarius.
P. Michaël Wallner Proparochus Geracensis [66]).
P. Augustinus Koch Proparochus Plagensis.

Illustrissime Praesul,

Et amplissimi Domini DDi. Confratres,

Litteras vestras cum Capitulis vestris Annorum 1703 [67]) et 1710, simul et Responsionum, ad quaedam Puncta Cap. 1700, reduces ex

[62]) Vide n. 21.

[63]) Postea (anno 1719) abbas S. Vincentii Wratislaviensis. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 328.

[64]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 18.

[65]) Abbas Gradicensis, inde ab anno 1714. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 70.

[66]) Abbas Gerusenus inde ab anno 1712. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 362.

[67]) Acta huius Capituli nobis praesto non sunt.

nostris Visitationibus annuis gratissime accepimus ; accidere namque Nobis gratius nihil poterat, quam videre vos malis et calumniosis his temporibus unanimi spiritu et pari zelo confirmandae et augendae in partibus vestris, regulari disciplinae una concurrere.

(p. 23) Aliud etiam est, quos laudare satis et gratulari non possemus, generosam scilicet Praepositarum Hungaricalium, nulla habita gravaminum ratione reluitionem. Hac ipsa Nos ratione permoti, Decretum quo Ius Paternitatis illarum gratiossimis Redemptoribus perpetuo et irrevocabiliter concessistis, libentissime confirmavimus, et de facto confirmamus. Pergite usque quo pede coepistis, et avitae restituendae Haereditati totis viribus collaborate. Nos autem Vobis qua poterimus gratia opitulabimur. Paternam Vobis interim Benedictionem impertimur.

F. Claudius Honoratus Lucas [68]).
Praemonstrati Abbas et Generalis.

Praemonstrati, 3 Novembris 1710.

Foris scriptum.

Illustrissimo Domino Strahoviensi

Amplissimisque Dominis totius Provinciae, et subditorum S. C. I. Maiestatis Provinciarum Praemonstratensibus Abbatibus.

Pragam.

Illustrissimo Domino Vito Christophoro [69]), Episcopo Hierapolitano, Pragensi Suffraganeo, Strahovii et Milovii Abbati nostro per Haereditarias Caes. Maiestatis Provincias Vicario Generali, aliisque omnibus Comprovincialibus Amplissimis Abbatibus F. Claudius Honoratus Lucas Doctor Sorbonicus, Praemonstrati Abbas, totiusque Ordinis Caput et Generalis, salutem in Domino perpetuam.

Provincialia vestra Capitula de 17° Junii et seqq. A° 1703 et de 31. Augusti et seqq. A° 1710, tota perlegimus, sicut et (p. 24) Res-

[68]) Claudius Honoratus Lucas de Muin, Dominus Praemonstratensis ab anno 1702 usque ab annum 1740. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 55. Ch. Taiee, *Prémontré*, II, Paris, 1873, pp. 181-184.

[69]) Vitus Seipel. Vide n. 1.

ponsa super improbatione punctorum Capituli Provincialis Pragae in Ecclesia Strahoviensi A° 1700 celebrati, et Anno 1701 confirmati, Capitulum de 17 Junii et seqq. A° 1703 in Celeberrima Ecclesia Zaberdovicensi celebratum, septem Sessiones complectens, per omnia laudavimus, probavimus, atque confirmavimus ; sicut tenore praesentium laudamus, probamus, et confirmamus.

Capitulum etiam de 31 Augusti et seqq. A° 1710 in Regia Ecclesia Gradicensi in Moravia ad Olomucium complectens quinque sessiones, laudavimus, probavimus, et confirmavimus ; sicut de facto laudamus, probamus, et confirmamus : his tantum, quae sequuntur, exceptis.

Ex sess. 4. n. 3.

Poena triremorum contra Incorrigibiles, Salvatoris mansuetudini et Evangelicae lenitati non convenit ; Bullae Urbani VIII, discretae Ordinis praxi contraria est. Standum itaque Statutis, Dist. 3.

Ex Sess. 5. n. 3 et 6.

Rationes celebrandorum Festorum, de quibus agitur, non minus militant pro toto Ordine, quam pro vestra Circaria ; Ad consulendum igitur Ordinis uniformitati hucusque servatae, standum est usibus et praxi Ecclesiae Praemonstratensis Matris omnium aliarum.

Ex eadem Sess. n. 4.

Festum Conceptionis Beatissimae Virginis, etiamsi a Clemente X festivari iussum sit ; maneat tamen in sua tertia Classe ; nihil hoc obstat festivari, et in eadem Classe manere.

Ex eadem Sess. n. 12.

Cingula retiata in Ordine prorsus incognita, et mundi (p. 25) potius vanitatem, quam religiosam modestiam redolentia, omnino prohibemus. Sint autem iuxta dictamen Statutorum Dist. 2. c. 19. art. 18. Cingula simplicia et religiosa omnem curiositatem et vanitatem excludentia.

Quod autem spectat ad Responsa.

Placuit quidem excepto Responso ad tertium punctum super dispensatione Abstinentiae diebus Mercurii, et tribus diebus antecineralibus, in quibus nec possumus ipsi generaliter dispensare. Coeterum hortamur et obsecramus Vobisque obsecrando mandamus ; ut quae tam pie, tam prudenter statuistis : ea diligenter observetis, et observari faciatis, ea lege, et sub iis conditionibus, quibus tam Decreta Capitulorum Generalium, quam Statutorum iurastis observare. Haec est mens nostra ; nec alia fuit, aut esse potuit mens Praedecessoris nostri.

Datum Praemonstrati 3ª Novembris 1710. In quorum fidem ac robur praesentes manu nostra, et Secretarii nostri subscriptas ; sigilli nostri fecimus appressione communiri.

F. Claudius Honoratus Lucas Praemonstrati Abbas et Genealis.
(L. S.).

De mandato Reverendissimi Domini Domini mei Abbatis,
et Generalis, F. Reynal.

(p. 26) N.

Punctum tertium ex Rescriptis sic habet Sess. 5. n. 7.

Circa potestatem quam Dominis Abbatibus arrogatis, et ut non solum particulares aliquos, sed etiam totum Conventum diebus Mercurii, et tribus ante Cineres ab Abstinentia dispensare valeant, conceditis : est omnino contra Diploma Iulii II, qui abstinentiam perpetuam in hanc, et alias inibi contentas commutavit, nec possumus in ea dispensare. Ad hoc respondetur : Quod Reverendissimum Capitulum potestatem dispensandi in ieiuniis a Iulio II sancitis, sibi non usurpaverit ; nec Reverendissimi Domini Comprovinciales eam sibi arrogaverint ; sed cum plura Monasteria in sua Circaria sint, quae a fluminibus dissita, in piscibus maximum aestivo tempore patiuntur defectum, ita quod Religiosi eo tempore diebus Mercurii, Veneris et Sabbathi, solis leguminibus vesci plerumque debeant : eo quod in his Provinciis igne aut aura tosti pisces non habeantur, nec accessus sit insperato insurgente defectu semper ad Vicarium pro dispensatione recurrendi ; iudicatum fuit Dispensatione, rarius tamen, a Praelatis propriis, sive interpretativa Illustrissimi Domini Generalis, sive a Reverendissimis Dominis Vicariis delegata facultate, cum suis Conventibus, quoad esum carnium diebus Mercurii,

concedi posse. Id quod etiam existimatur fieri fuit, fieri posse quoad tres dies ante-cineratos cum Monasteriis ubi studia altiora vigent, ut Religiosi, qui Chori exenterativis clamoribus, studiis item et cura animarum, variisque obedientiis onero- (p. 27) sis occupati, ac per continuatam novem Hebdomodarum obstinentiam et ieiunium multum debilitantur, intermedio usu carnium non nihil confortentur, et instaurentur. Coeterum assecuratum voluere Illustrissimum Dominum Generalem Reverendissimi Domini Comprovinciales, quod ieiunia et abstinentiae per Sacra Statuta praescripta in Circaria hac debite hucusque servata fuerint, et serventur ; nec sine Vicariorum dispensatione, sive per Adventum, aut per Septuagesimam ullus Conventus carnibus vesci praesumpserit. Credunt autem iidem, quod dispensatio eiusmodi concurrentibus, sufficientibus causis et motivis rationabilibus, potestatem Vicarii non excedat ; de quo submisissime petierunt edoceri.

(L. S.)

Vitus, Episcipus suffraganeus. (autogr.).

Et de mandato Illustrissimi Domini Episcopi, Reverendissimi Domini Abbatis mei et Vicarii Generalis. Huic omnia suis originalibus correspondere testor.

P. Hieronymus Fridericus Kichler, SS. T. Dr., authoritate pontificia Notarius Apostolicus, et inclyti Vicariatus Bohemiae Secretarius iuratus.

(5 quinque ultimae paginae manu Kichler conscriptae).

13

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Lucensi

Anno 1719

(p. 1) CAPITULUM PROVINCIALE Reverendissimorum, Perillustrium, Eximiorum, Amplissimorum Dominorum Dominorum Abbatum, Praelatorum, Admodum Reverendorum, Venerabilium, Eximiorum Patrum Priorum, Rectorum, Praesidum, Pastorum, aliorumque Canonicorum Capitularium Sacri Candidi et exempti Ordinis Praemonstratensis in Circariae Bohemiae Haereditariis Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Provinciis ipsi incorporatis

Indictione

Reverendissimi, Perillustris, ac Amplissimi Domini Domini Mariani Antonii Herman [1]), eiusdem Sacri Canonici Ordinis Praemonstratensis Praelati, Regiae Ecclesiae Montis Sion et Milovicensis Abbatis, et per Bohemiam, Austriam, Moraviam, et Silesiam Vicarii Generalis.

In Celeberrima et Ducali Ecclesia Lucensi [2]) in Marchionatu Moraviae ad Znoynam Anno 1719. Die 18 Mensis Aprilis, et subsequentibus canonice celebratum.

(p. 3). Inter omnes Reverendissimi Domini Vicarii Generali officii sui solicitudines ea prima est, ut mundo celebris et Supernis grata civibus Religio nostra Praemonstratensis novis semper virtutum et gratiarum praerogativis proficiat. Et quoniam Sancti Patres opportunum censuerunt medium, si Religionum Praesules et Superiores Dei zelo pleni super iis, quae ad Divinum cultum, Regularis disciplinae observantiam, Apostolicae vitae fervorem, virtutis per-

[1]) Marianus Herman, abbas Strahoviensis, annis 1711-1741. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 932; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 313 (scribit: Hermann).

[2]) Louka, seu Klosterbruck, in hodierna Tchecho-Slovakia. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 87-94; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 297-299.

fectionem, totumque Spiritualem et temporalem Monasteriorum pertinent Statum, frequentius in Candidissimi Ordinis incrementum Sua conferant consilia, maxime autem in Generali aut Provinciali Conventu per salutaria decreta Spiritum in sibi commissis influant, quatenus magis impleantur agnitione voluntatis Dei in omni Sapientia et intellectu spirituali, ut ambulent digne Deo et vocatione, qua vocati sunt sancta. Hinc ad praeassertum finem Maiorum exemplo, et Candidi Ordinis nostri Sanctionibus insistendo, authoritate vicaria Reverendissimi ac Illustrissimi Domini Domini Claudii Honorati Lucas [3]) Abbatis Praemonstratensis, totiusque Ordinis Generalis Capitulum Provinciale pro die 18 Aprilis anni currentis 1719. in Ducali Ecclesia Lucensi celebrandum indixit, nec non omnes et singulos de iure et consuetudine ad Provincialia Comitia evocandos omnigeno humanitatis affectu invitavit et evocavit, (p. 4), qui etiam morem gerentes pridie in praefata celeberrima Lucensi Canonia comparuere, et praefinita die hora octava matutina Solemnis instituta est Supplicatio, sub qua Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis indutus Pontificalibus eique cum Infulis Reverendissimis Dominis Hieronymo Hlina [4]) Abbate Siloensi, et Domino Vincentio Walner [5]) Abbate Lucensi (ex infirmitate decumbente Reverendissimo Domino Benedicto Bonisch [6]) Abbate Gradicensi, et ad id impotente) assistentibus, praecedente Venerabili Conventu Lucensi ex Ecclesia procedens, eosdem in Arcis area ordinate consistentes aqua lustrali conspergens odorato thure excepit ; ac intonata a Cantoribus Antiphona : Christus resurgens, ad Ecclesiam processerunt, ibidemque ad implorandum Divini Numinis auxilium Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis [7]) Missam de Spiritu Sancto Pontificali ritu solemnizavit, qua completa, eodem prorsus ordine ad Conclave Capituli introducti, Hymnoque Veni Creator Spiritus flexis

[3]) Claudius Honoratus Lucas de Muin, Dominus Praemonstratensis ab anno 1702 usque ad annum 1740. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 55; Ch. Taiee, *Prémontré*, II, Paris, 1873, pp. 181-184.

[4]) Hieronymus Hlina abbas Siloensis fuit durantibus annis 1703-1725. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 817 s.; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323.

[5]) Vincentius Walner, abbas Lucensis fuit durantibus annis 1712-1729. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 93 s.; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 299 (scribit Wallner); L. Goovaerts *Ecrivains*,..., II, p. 362.

[6]) Abbas Gradicensis annis 1714-1721. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 758; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294; L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., p. 70.

[7]) Marianus Herman. Vide n. 1.

genibus decantato, a Reverendissimo Domino Loci Abbate et Vicario Generalis Hungariae facundo sermone, Admodum Reverendo ac Venerabili Patre Ioanne Kirchberger perorante, quam humanissime sunt excepti ; quo absoluto dimissis in Capitulari Dioeta vocem non habentibus, ac dicto Benedicite omnibus considentibus Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Amplissimo Capitulo Provincialis Conventus causas exposuit, ac finito sermone inchoata est

(p. 5) *Sessio praeliminaris*

Die 18 Aprilis horis antemeridianis

In qua conformiter ad dictamen Statutorum cap. 9. Dist. 4. reductive ad cap. 3. eiusdem distinctionis processum fuit ad praeliminaria Capituli Provincialibus praemittenda. Et imprimis Reverendissimi ac Amplissimi Domini Vicario Generali ipsi et Amplissimo Capitulo fidem, obedientiam, et reverentiam adpromiserunt, qui antehac non praestiterunt, videlicet et Reverendissimus Dominus Benedictus Bonisch Abbas Gradicensis [8]), Reverendissimus Dominus Vincentius Walner Abbas Lucensis [9]) et Hungariae Vicarius Generalis, Reverendissimus Dominus Dominus Hugo Bartlitius Abbas Zabrdovicensis [10]), Reverendissimus Dominus Michaël Walner Abbas Gerasensis [11]). Eandem quoque in manibus Reverendissimi Domini Vicarii Generalis Hungariae Domini Abbates Lucensis adsponderunt Reverendissimus Dominus Carolus Franciscus Thay Praelatus Lelleszensiensis [12]), Reverendissimus Dominus Robertus Sancius Praelatus Csornensis [13]) et Reverendissimus Dominus Felix Helger Praelatus Grabensis [14]).

Reverendissimum Capitulum deputavit actorum Capituli Revi-

[8]) Vide n. 6.

[9]) Vide n. 5.

[10]) Abbas inde ab anno 1712 usque ad annum 1738. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1181 s.; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

[11]) Abbas ab anno 1712 usque ad annum 1729. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291 (scribit: Wallner); L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 362.

[12]) Praepositus annis 1710-1723. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 451 (qui ita scribit eius nomen: Franciscus Carolus Tahy de Tahvar).

[13]) Praepositus annis 1711-1722. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 594 s.; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 437; L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 135.

[14]) Nomen huius Praelati non indicatur neque apud C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 747; neque apud BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 439.

sores Reverendissimum Dominum Michaëlem Walner [15]) Abbatem Gerasensem, et (p. 6) Reverendissimum Dominum Petrum Credis [16]) Praelatum Neoreischensem, quos etiam nominavi aerarii Provinciae Examinatores, adiunctis Eximio Patre Ferdinando Gopfert Priore Pernecensi, et Admodum Reverendo Patre Thoma Waijer Parocho Teplensi.

Denominavit Capituli Dioetae Secretarium Patrem Candidum Lerch [17]) Professum Sioneum et Notarium Apostolicum, Notarios vero Eximium Patrem Wenceslaum Zahradnik [18]) Priorem Siloënsem, Eximium Patrem Carolum Tesch Canonicum Lucensem Decanum Znoymensem et Vicarium foraneum, et Admodum R. Patrem Dionysium Netolizky Parochum Miklovicensem.

Relatae sunt inclyto Capitulo absentiae Reverendissimorum Dominorum Praelatorum Domini Antonii Ilner [19]) Abbatis Vincentini, Domini Raymundi Wilfert [20]) Abbatis Teplensis, Domini Siardi Worath [21]) Abbatis Plagensis et Visitatoris Generalis, Domini Ludovici de Quast [22]) Praelati Czarnovaniensis literae excusatoriae et idoneorum Procuratorum surrogativae ; prior suum authorizavit Plenipotentiarium Reverendissimum Dominum Vincentium Walner Abbatem Lucensem [23]) et Hungariae Vicarium Generalis, alter Reverendissimum Dominum Dominicum Peterka [24]) Praelatum Cotieschoviensem, tertius in Reverendissimum Dominum Capituli Praesidem Dominum Marianum Herman Abbatem Strahoviensem et Vicarium Generalis, quartus in (p. 7) praenominatum Reverendissimum Dominum Abbatem Lucensem, et Hungariae Vicarium Generalis

[15]) Vide n. 11.

[16]) Petrus Paulus Credis, praelatus annis 1708-1724. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, p. 304.

[17]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 505.

[18]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 415 s.

[19]) Antonius Ilner (seu Illner) abbas annis 1717-1719. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1115; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 337.

[20]) Abbas annis 1688-1726. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 1181; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 320.

[21]) S. Worath abbas fuit inde ab anno 1701 usque ad annum 1721. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 569; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 370; L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 409.

[22]) Praelatus annis 1715-1725. Cfr. C. L. HUGO *Annales*, I, col. 593.

[23]) Vide n. 5.

[24]) Praelatus durantibus annis 1707-1737. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 287.

compromisit. Demum Reverendissimi Domini Comprovinciales relevantia excusationis motiva ponderantes ea rata habuerunt, ac nominatos eximie idoneos Procuratores comprobarunt, censuerunt autem supra fato Reverendissimo Domino Abbati Vincentino [25]) per Reverendissimum Dominum Vicarium Generalis suaviter insinuandum Amplissimi Capituli dolorem, quod pro decore Capitularis consessus ne quidem unum Religiosum delegaverit, ut in futurum legalia observare et quosdam deputare meminerit.

Denominati sunt Revisores Proprii Sanctorum Reverendissimus Dominus Hieronymus Hlina [26]) Abbas Siloënsis, Reverendissimus Dominus Ambrosius a Schöllingen [27]) Abbas Pernecensis et Reverendissimus Dominus Iosephus Mika [28]) Praelatus Doxanensis, eisque adiuncti sunt Eximius Pater Oswaldus Brusky Prior Sioneus, Eximius Pater Gregorius Kvasnizka Prior Lucensis, Eximius Pater Casparus Brandt Prior Teplensis, et Eximius Pater Norbertus Janke Prior Zabrdovicensis.

Delata est ab Amplissimo Capitulo forma electionis examinanda Reverendissimo Domino Benedicto Bonisch [29]) Abbati Gradicensi, Reverendissimo Domino Vincentio Walner [30]) Abbati Lucensi, et Hungariae Vicario Generali, Reverendissimo Domino Hugoni Bart- (p. 8) litio [31]) Abbati Zabrdovicensi, Reverendissimo Domino Dominico Peterka [32]) Praelato Cotieschoviensi, Eximio Patri Norberto Umlauf [33]) Priori Gradicensi, Eximio Patri Danieli Schindler [34]) professo Siloënsi Sacrorumque Canonum Professori, Eximio ac Clarissimo Patri Engelberto Lechner, utriusque Iuris et SS. Theologiae Doctori ac Professori actuali et admodum Reverendo Patri Hyacintho Schmalhofer Parocho Ranciniensi.

[25]) Abbas S. Vincentii Wratislaviensis tunc erat Antonius Ilner. Vide n. 19.

[26]) Vide n. 4.

[27]) Ambrosius von Schöllingen, praepositus annis 1707-1735. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 307.

[28]) Praepositus annis 1703-1733. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 642; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287; L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., I, p. 588.

[29]) Vide n. 6.

[30]) Vide n. 5.

[31]) Vide n. 10.

[32]) Vide n. 24.

[33]) Cfr. L. Goovaerts *Ecrivains*,..., II, p. 265.

[34]) Postea, inde ab anno 1725, abbas Siloensis. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., II, p. 144 s.

Data sunt quoque revidenda privilegia mendicantium, eorumque usus Reverendissimo Domino Carolo Francisco Thay [35]) Praelato Lellesziensi, Reverendissimo Domino Roberto Sancio [36]) Praelato Csornensi, Reverendissimo Domino Felici Helger [37]) Praelato Grabensi et Eximio Patri Norberto Tasman Priori Milovicensi, Eximio Patri Benedicto Cischini Priori Gerusensi, Eximio Patri Andreae Cheno [38]) Collegii Norbertini Pragae Rectori, Eximio Patri Adalberto Landgraff [39]), SS. Theologiae Doctori et Parocho Rorbacensi.

Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis proposuit Amplissimo Capitulo, quam necessarium sit, ut Breviarii Praemonstratensis Supplementum, stante exemplarium defectu et accedentibus novissimorum festis pro devotionis augmento, uniformitatis decore, candidissimorum Religiosorum pia consolatione iuxta concinnatum schema correctius ac venustius typis edatur, et per unanimia Reverendissimorum (p. 9) Dominorum Comprovincialium vota Proprii Sanctorum reimpressio statuta est, ut omnes Candidi Ordinis nostrae Circariae Canonici Proprium Sanctorum celebrare valeant in terris, et eorum commune illis obveniat gaudium et gloria in coelis.

Expetiit observantissime supplicando Reverendissimo Capitulo Eximius Pater Carolus Tesch Canonicus Lucensis, Decanus Znoymensis et Vicarius foraneus pro se suisque Successoribus qua Decanis et Vicariis foraneis in similibus Provincialibus ante Parochos, et Pro-Parochos citra tamen ulterius praeiudicium cuiuscumque gratiose concedendam praecedentiam, cuius quoque petito ab Amplissimo Capitulo faventissime delatum est salvo ulteriori praeiudicio, et salvo eo, ut si antiquius Monasterium pariformiter Decano foraneo potiretur, eidem praecedentia permaneret, et concessio haec nullius sit effectus si Decanatus foraneus ab ecclesia Znoymensi avelleretur.

Supplicavit et Eximius Pater Augustinus Koch Prior Plagensis pro praecedentia ante Priorem Milovicensem conferenda, cuius libellus in Amplissimo Capitulari consessu praelectus, partique ad respondendum communicatus est.

[35]) Vide n. 12.
[36]) Vide n. 13.
[37]) Vide n. 14.
[38]) Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, I, p. 118.
[39]) Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, I, p. 486 s.

Sessio secunda

Horis pomeridianis die 18 Aprilis

Quandoquidem Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis totumque Amplissimum Capitulum exactae observantiae mancipari statuit constitutiones Capitularium et Provincialium, eapropter ex- (p. 10) tractus harum constitutionum per Reverendissimum Dominum Vicarium Generalis ordine alphabetico digestus fuit, et Amplissimo Capitulo hac sessione praelectus, ut si quid ambiguitatis occurreret, illud dispici, et vel propediem resolvi, vel ad Reverendissimi ac Illustrissimi Domini Generalis declarationem remitti valeret, itaque dum hic extractus legeretur, et ad abstinentiarum Ordinis observantiam deventum fuisset.

Num. 1°. Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis ad abstinentiarum harum observantiam Reverendissimos Dominos Comprovinciales graviter exhortatus contestatus est, cum quanta conscientiae anxietate dispensationem flagitantibus, in qua amplitudine dispensandi facultatem sibi non competere palam declaravit ; Exponentibus autem nonnullis Reverendissimis Praelatis ea se piscium penuria laborare, ut partim neque pro pretio potissimum tempore aestivo valeant acquiri ; neque stagnantia aquarum patiatur eos conservari, vel pretio dumtaxat nimis excessivo obtineri queant ; partim etiam frigidior aerisque notabilis inclementia et vini usualis defectus faciat, ut ex abstinentia potissimum Septuagesimali catharris defluxionibusque perplures affligantur, indeque chorus notabilius cum divini cultus diminutione evacuetur, Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Reverendissimos Dominos Comprovinciales ad Illustrissimum Dominum Generalem super hac observantia Sacrae abstinentialis emergente difficultate remisit, ac eapropter Illustrissimo Domino Gene- (p. 11) rali Amplissimum Capitulum supplicat enixissime, quatenus cum Circaria candida hac benignius liberaliusque condescendere dignaretur, quoad eos potissimum Dominos Praelatos, qui in conscientia qua, quod preces hae veritate nitantur, suscipiant, idque tanto uberius confidunt, quanto promptius Illustrissimus Dominus Generalis, Reverendissimo Domino Vicario semel licentiam Romam super relaxatione Bullae Julii II [40]) recurrendi

[40]) Vi huius Bullae, Patribus Ordinis confertur potestas ut vetera Statuta mutent, minuant, vel in toto tollant, ac nova, toties quoties opus fuerit, condant

petenti respondisse dignoscitur, quod propositis in Capitulo Generali Circariae difficultatibus remedium adferre velit, quod cum Anno 1717 ob revocationem Caesaream Deputatorum Provinciae nequiverit praestari, et num deinceps Aula Caesarea talem accessum sit licentiatum incompertum sit, extracapitulariter gratiam liberalioris dispensationis devotissime exposcit.

Num. 2°. Cum Capitulum Generale Anno 1686. Sess. 12. asserat, eum pro fugitivo censendum, qui Praelatum distantem accedit petita licet non obtenta licentia [41]), declarari ab Illustrissimo Domino Generali supplicat Amplissimum Capitulum, num haec fugitivorum poena etiam incurratur, si per Patrem Priorem duntaxat licentia Praelatum accedendi denegetur, et demum si gravis causa accessum maturandi adesset, et sive a Praelato sive Patre Priore accessus talis infundate denegaretur.

Num. 3°. Lecto quoque extractu Capitulorum et resolutione antiqua claves Archivi Provinciae, mortuo Vicario, ad Patrem Abbatem Vicarii defuncti esse referendas, quia tamen evenit quandoque Patrem (p. 12) Abbatem longissime imo extra Provinciam esse constitutum, ad incommodum hoc evitandum, fuit resolutum in Amplissimo Consessu Capitulari, ut Archivi claves mortuo Vicario Generalis Domino Visitatori in officio succedenti, et in casum mortis utriusque, Seniori Provinciae deferantur, sitque pro tempore clavium Archivi custos, quousque novus a Reverendissima Circaria electus Vicarius ab Illustrissimo Domino Generali confirmetur, noveritque Pater Prior et Conventus Vicarii morte orbatus, ut Reverendissimo Domino Visitatori Generali, aut eo demortuo, Seniori Circariae Abbati Archivi claves indilate sigillo munitus secure consignet.

Num. 4°. Quantumvis in veteribus constitutionibus extra Conventum degentibus sola armorum superfluitas fuerit interdicta, prae-

ac promulgent, exceptis iis quae a S. Pontifice ordinantur de diebus ieiunii et abstinentiae. Cfr. *Statuta anni 1630*, ed. Averbodii, 1896, pp. XXII-XXXII.

[41]) De hac re haec statuit Capitulum generale anni 1686: *Religiosum Conventualem sub quocumque praetextu, etiam adeundi Rssmum Dominum Generalem, petita et non obtenta licentia, non posse exire extra septa monasterii; sed debere exspectare mandata eiusdem Rssmi; et si contra fecerit habendum tamquam fugitivum secundum Statuta dist. 4. Cap. 29, num. 6°. — Capitulum Generale Ordinis Praemonstratensis,..., celebratum anno Domini 1686.* Parisiis, Freder. Leonard, 1681, p. 10.

senter statuitur, ut etiam usus moderatior substet discretioni benignae Praelatorum, e Conventu tamen arma totaliter abigenda sunt.

Num. 5°. In deliberationem quoque tracta consuetudine veteri circa loca pro Capitulis Provincialibus destinanda, quamvis hactenus usu receptum fuerit, in Sioneo, Gradicensi, Lucensi, Zabrdovicensi Conventus Provinciales celebrari, ne tamen alia quoque Monasteria hoc destituantur honore, iisdem hanc praerogativam absque hoc in Capitulo Provinciali de A° 1665. Sess. 5. Num. 5 [42]) reservatam, de novo censuit Amplissimum Capitulum reservandam.

(p. 13). Num. 6°. Praelecta ultimi Capituli Generalis Anno 1717. Sess. 4 circa [43]) carceres communes in Circaria evitandos constitutione, deliberatum fuit super Decreti huius executione, cum vero repertum fuerit, Monasteria nostrae Provinciae adeo magnam habere ab invicem itineris distantiam, ut sine personarum et Ordinis infamia vel etiam periculo fugae translationes delinquentium fieri nequeant, eapropter Illustrissimo Domino Generali supplicat Amplissimum Capitulum, quatenus super huius Decreti executione cum Circaria hac gratiose condescendere dignaretur.

Num. 7°. Dum quoque lecta fuisset conclusio Capituli Generalis Anno 1670. Sess. 7, tenoris sequentis : nequit ullus Confessarius absolvere complicem in materia luxuriae [44]), dubitatum fuit, an non resolutio haec indicens reservationem respectu complicis in Ordine candido pro iis solum Dioecesibus fuerit constituta, in quibus par reservatio respectu Saecularium viget, non vero respectu Dioecesium aliarum, in quibus similis reservatio non est dictata, et hoc videntur verba Capituli Generalis innuere, si tamen alia mens Generalis Capituli fuisset, per oraculum Illustrissimi Domini Generalis postulat Amplissimum Capitulum edoceri.

Num. 8°. Quandoquidem ob Serenissimi Episcopi Wratislavien-

[42]) Acta huius Capituli anni 1665 nobis nota non sunt.

[43]) Capitulum generale anni 1717, sess. 4a, ita de hac re edixit: *Ut in singulis Circariis unus vel duo carceres habeantur ubi sumptibus propriorum Monasteriorum criminosi et praecipue incorrigibiles concludantur et firmiter teneantur. Acta Capituli Generalis anni 1717*, Lutetiae Parisiorum, typis Ballard, 1717, p. 10.

[44]) Ita de hac materia edicunt Acta Capituli generalis anni 1670, sess. 7a: *Quia autem in diversis dioecesibus reservatur peccatum externum grave in materia luxuriae, respectu complicis, ita ut non possit confessarius complicem absolvere, hinc Capitulum declarat idem peccatum reservari in Ordine nostro, tam respectu virorum quam sanctimonialium, ita tamen ut complex ab alio confessario possit absolvi.* Ms. Nancy 1767, fol. 322 r°.

sis motam quaestionem Domino Praelato Czarnovacensi [45]), dubium a dicta Domino propositum scriptum est circa approbationem Confessariorum pro Sanctimonialibus, re discussa censuit Amplissimum Capitulum, quod Confessarii Sanctimonialium Candidi (p. 14) Ordinis nostri non sint ab Episcopo approbandi, sed sufficit eos a Praelato dictarum Monialium esse approbatos ; in confesso enim est, eadem exemptione adeoque simili regularis tribunalis iurisdictione respective gaudere Moniales atque viros sub regulari cura existentes. Neque etiam obstat constitutio Gregorii XV. quae incipit : Inscrutabili, asserens, Regulares Moniales subiectas confiteri non posse Confessario ab Episcopo approbato, nam Ordinis nostri Statuta [46]) Dist. 2, cap. 25, Num. 30, constitutione Gregoriana posteriora demandant Praelatis Virginum, quatenus tam Ordinarios quam extraordinarios eisdem quandocunque petentibus Confessarios, si eos aptos iudicent, benigne concedant. Et suffragantur ipsae Bullae Pontificalium collaturae ordinaria iurisdictione dictos Dominos Praelatos gaudere contestantes, favet quoque declaratio subnexa capiti 10 Tridentini Sess. 25, de Regularibus. Et licet Moniales Regularibus, quae per Abbatissas reguntur, fors non possint confiteri Confessario ab Ordinario non approbato, quia Abbatissae per se iurisdictionem spiritualem exercere non valent, est secus apud Moniales Ordinis Praemonstratensis, quarum Praelati iurisdictionem quasi Episcopalem in illas exercent, ut proinde quemadmodum ipsi propria authoritate confessiones Monialium excipere valent per semetipsos, ita et per Confessarios ab ipsis delegatos et jurisdictionatos.

Sub Sessionis huius finem Pater Prior Milovicensis suam contra Patris Prioris Plagensis praecedentiam (p. 15) ante se flagitantis supplicam opposuit defensionem.

Sessio Tertia

Horis antemeridianis die 19 Aprilis

Sacro de Beatissima Virgine Maria a Reverendissimo Domino Hieronymo Hlina Abbate Siloensi Pontificaliter decantato Reverendissimi Domini Domini Circariae Praelati coeterique Capitulares sese pari ordine ad locum Conventus receperunt.

[45]) Ludovicus de Quast. Vide n. 22.
[46]) Agitur de Statutis anni 1630.

Continuata fuit tota hac Sessione extractus Capitulorum Generalium et Provincialium ordine alphabetico relectio, dumque de Confessariorum constitutione et iurisdictione discussio fieret, dubiaque restantia dispicerentur, ad facilitandam errantibus medicinam Amplissimum Capitulum censuit.

Num. 1°. Religiosis Circariae nostrae a Canoniis suis ad locum 10 milliaribus germanicis distantem longiorique trimestri ibidem commorationi trimestre adaequanti destinatos ; neque in vicinia Confessarium habentes in defectu Confessarii Ordinis candidi posse quoque confiteri personae ab Ordine candido extraneae, ac ab ea una, alterave vice beneficium absolutionis etiam a reservatis obtinere, itinerantes autem per tempus brevius, vel in loco propinquiorium commorantes, quamvis si duo simul proficiscantur aut itinerentur, ad evitandum omne diffidentiae periculum, etiam personas ab Ordine extraneis Sacramentaliter sub- (p. 16) iicere se valeant, tamen neutiquam potestate a reservatis absolvendi consimiles Confessarii potiuntur, neque facultas haec, casu quo tres quatuorve simul itinerantur aut commorantur, est extendenda, quod ea Amplissimum Capitulum statuit ratione, quia vix unquam eventurum Reverendissimi Domini Praelati aut evenire posse rati sunt, ut non erga unum ad minus candida haberi valeat confidentia, cui ordinaria exponantur peccamina, cumque recursus ad authorizatum super reservatis sit facilis, si tanta non sit temporis aut loci distantia, nullam circa reservatos faciendam esse censuere relaxationem, quamvis longe distantibus diutiusque emanentibus favendum censuerint ne dilato absolutionis beneficio fors delinquentes sordibus insordescant, ne tamen sordibus ipsis occasionem praebeat continuata super reservatis tales absolvendi facultas, ad binam ternam vicem restringendam censuerunt facultatem.

Num. 2°, censuit, ut Praelati longiori tempore ex causis iure probatis absentes eventualiter unum alterumve Confessarium deputent, qui exigente necessitate a reservatis omnibus directe absolvere valeant, ne oves Dominicae domi relictae medicaminis sacramentalis subsidio destituantur, utque etiam Praelatis ipsis domi existentibus facilius hoc medicamen obtinere valeant, statuit commendandum esse Amplissimis Dominis Praelatis textum Statutorum Dist. 1a, cap. 6, num. 14 : *Quilibet Praelatus uni, vel duobus, vel etiam pluribus necessitate hoc postulante ex magis idoneis largiatur a reservatis absolvendi facultatem, verumtamen de ipsis* (p. 17) *re-*

servatis, cum hoc disciplinae necessarium vel ita expedire iudicaverint, poterit aliquos casus particulariter sibi retinere.

Num. 3°. Censuit Amplissimum Capitulum, disquirens Clementinam de reservatis Bullam, nomine lapsus carnis intelligendam esse consummatam cum complice mollitiem.

Num. 4°. Dum sub Litera C. confraternitatum et persolvendorum pro defunctis Confratribus suffragiorum lectio facta fuisset, resolvere Reverendissimi Comprovinciales pro Confratre ab ordine extraneo deinceps in Canonia ad quam Confraternitas data est, persolvendum esse unum defunctorum officium, cum media commendatione et Requiem Conventuali ; Sacerdotibus reliquis unum Missae Sacrificium, fratribus clericis Psalmos Poenitentiales, et fratribus Conversis 50 Pater Noster persolventibus, in aliis Circariae Monasteriis Sacerdotes ad minus in Missa collectam pro defuncto sint assumpturi.

Num. 5°. Firmatum est Capitulum Provinciale de Anno 1677. Sess. 2 [47]) et statutum, ut etiam post Provinciale quemadmodum post Generale Capitulum, duo celebrentur Servitia ; verumtamen ad haec officia defunctorum cum cantu persolvenda neutiquam Provinciam censuit obligandam.

Num. 6°. Statutum, ut conformiter ad ordinarium cap. ult. pro Praelato locali tria anniversaria celebrentur .

Num. 7°. Quantumvis ad unicum defunctorum officium duo non item plures assumi valeant, neutiquam (p. 18) tamen in fundatorum anniversario, vel solemnibus Ordinis anniversariis ulla fieri debet adiunctio.

Num. 8°. Defunctorum quoque Brevia iussit Amplissimum Capitulum uniformi stylo concinnari, quatenus si repente obitus postae abeuntis die eveniet, mox obitus valeat insinuari.

Num. 9°. Dum relectae fuissent constitutiones veteres coeremoniasque ritusque Missae attinentes, occurrerat *primo* dubium, num Apostolorum Symbolum in omni Triplici dicendum ? et per Rubricam Missalis novissimi affirmative est responsum. *Secundo* num diebus, quibus est organi usus, Graduale canendum vel per organum supplendum ? Responsum fuit, non esse canendum iuxta Ordinarium cap. 40. *Tertio*, utrum dum officium votivum habetur tempore Septuagesimae, quo in Missis votivis Gloria dici non assolet, illud tamen dicendum ? Responsum affirmative quia hymnus Angelicus

[47]) In sess. 2a, concl. 18. Vide supra, p. 113.

non est quidem dicendus in Missis votivis privatae devotionis gratia lectis, aliud autem censendum, dum sapiunt rationem Missae correspondentis officio. *Quarto* ortum dubium, num Missa Conventualis applicanda pro personis vivis totius Candidi Ordinis, vel Circariae tantum ? et huius dubii resolutionem ab Illustrissimo Domino Generali Amplissimum Capitulum exposcit. *Quinto*. Cum in Capitulo Generali de Anno 1666. Sess. 11ma [48]) relatum sit Capitulum Pro- (p. 19) vinciae Westphaliae statuentis, ut ubi sunt sex Sacerdotes, tres Ordinis, ubi quatuor, duae, ubi duo, una Ordinis Missa persolvatur, ortum est dubium, an in numero harum Sex, quatuor, vel duarum personarum etiam censeantur, comprehendi Praelatus vel Pater Prior alias a cursu liberi, ac proinde praeter Praelatum et Patrem Priorem, Sex vel quatuor vel duae personae adesse debent, ut ita Missarum obligatio crescat vel decrescat, huius quoque dubii resolutionem ab Illustrissimo Domino Generali Capitulum devotissime sibi exorat.

Num. 10°. Sub Litera H. relictis iis, quae circa horas canonicas Statuta sunt, censuit Illustrissimo Domino Generali supplicandum Amplissimum Capitulum, quatenus gratiose indulgere dignaretur, ut haec canonica Nona ante prandium absolvi sequentibus ex causis valeat. 1° Quia si ea post prandium persolvatur, nemo adest de populo, cuius aedificationi subserviat horae illius persolutio, quod summo cum fructu ea ante prandium persoluta eveniet. 2° Cum Lectores primae et Secundae mensae, Cellarium, Refectorarium, quorum omnium praesentia destituitur, chorus et haec hora canonica solemnioris persolutionis patitur diminutionem.

Num. 11°. Dum infirmitorium in considerationem venisset, repertumque fuisset quospiam simulate aegrotare, sic diminutionem aegrorum curam per (p. 20) parsimoniam cibi potusque esse faciendam censuit Amplissimum Capitulum, salvo eo, ut Domini Praelati discrete hoc in passu procedant, et illud Sacrae Regulae effatum : Famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur, neutiquam integraliter ex animo dimittant.

[48]) In actis huius Capituli anni 1666, ita de hac re sermo fit: *Item quaesivit Rev. Dominus Saynensis an sit obligatio celebranda tria Sacra Ordinis, quando in monasterio sunt tantum tres sacerdotes, aitque in Capitulo Provinciali Westphaliae decretum esse ut quando sunt tantum duo sacerdotes teneri ad unum, quando sunt quatuor ad duo, quando sex ad tria, et petiit eiusmodi decretum confirmari. Capitulum declarat id debere decerni a Vicario vel Visitatore in decursu visitationis, qui etiam decernant qui debent interesse choro ad cantandum Sacrum et Horas.* Ms. Arch. Averb., I, 281, fol. 43 r° et v°.

Num. 12°. Litera J, commonefecit Reverendissimos Dominos Praelatos iniuriae Superioribus et Confratribus illatae, quam Amplissimum Capitulum Generale suspensione et excommunicatione perstringit ; et quia, num etiam verbalis iniuria comprehendatur expressum non est, resolutum fuit Capitulum de Anno 1670 [49]). Ubi haec constitutio primitus fundata ; cumque ibi merae realis iniuriae posita sint exempla, de ea intelligendum esse textum Capituli Generalis censuit, suum tamen arbitrium Illustrissimi Domini Generalis substernit sententiae.

Num. 13°. Statutum autem contra lusores foliorum, proprietatis poenam ita intelligendam censuit, ut quemadmodum pro varia proprietatis quantitate in sacris Statutis variata est poena ita quoque pro hac rata lusoribus foliorum poena taxetur, adlaborare autem spopondit Capitulum e Canoniis suis usum foliorum plenissime eliminare.

Num. 14. Novitiatus communis utut omnium (p. 21) votis expetitus fuerit, tamen exhausta per recuperationem Praeposituarum Hungaricarum Circariae necdum se effectum praestare posse indoluerunt Reverendissimi Domini Comprovinciales, id tamen praeter vetera Statuta salutariter firmata circa Novitios statuere, ut in omnibus Ecclesiis Novitii deinceps pro signo distinctivo cingulum gerant coreaceum, cappis tamen uti valeant, quae tamen neque Novitiis neque professis fratribus Conversis concedendae, quia sunt cappae Canoniales. Ad hanc sessionem finaliter quaestio mota est

Num. 15°. Praelatis Monialium decedentibus quo modo prospiciendum, ne res defuncti Praelati facile valeant reliquam pati iacturam ? fuitque responsum. Si Pater Abbas adest, advocandum una Priorissam Subpriorissam et Seniorem Conventus pro obsignandis cubiculis defuncti, vel absente Patre Abbate, cum memoratis de Conventu personis obsignationem peraget Senior Confessariorum deputatorum cum Religioso illo, qui oeconomiae curam sibi habet commissam.

Sessio Quarta

Horis pomeridianis die 19 Aprilis

Continuata revisione extractus Capitulorum Generalium et Pro-

[49]) Tractavit de hac re Capitulum Generale anni 1670 in sessione 7ª. Vide infra, p. 302.

Z 64/319

vincialium, ad quas resolutiones innibi contentas addendas censuit Amplissimum Capitulum conclusiones sequentes.

Num. 1°. Circa sigillum commune ut habeatur, (p. 22) eoque utantur Capellani existentes apud Reverendissimos Dominos Praelatos in Praeposituris et in Parochiis, ubi numerosiores sunt Patres Capellani, ubi vero unus vel alter duntaxat simul commorantur, ut secluso excessu particulari sigillo uti valeant.

Num. 2°. Expensum fuit decretum Amplissimi Capituli Generalis novissime celebrati, quo statutum fuit, ut Praepositi Monialium et Priores reddant suos coram Patre Abbate (ut ibi in Generali) computus [50]), et an omnis haec formalitas etiam apud Reverendissimos Dominos Praelatos Monasteriis monialium in Circaria praepositos sit observanda, disquisitum. Cum autem ex Capitulis Generalibus de Anno 1657. Sess. 23 [51]) et Anno 1666. Sess. 11ma [52]) compertum sit, Praelatos Monialibus praepositos tanquam vere electos et confirmatos esse veros Praelatos Ordinis imo et Regnorum, in quibus degimus, ac per eadem conclusa constitutum, ut pari ratione cum Praelatis filialis Ecclesiae procedant ; eapropter quoque cen-

[50]) Ita legimus in Actis Capituli Generalis anni 1717, sess. 9a: *Item decrevit quod in posterum tam Praepositi quam Priores Virginum nostri Ordinis, rerum temporalium regimen habentes, singulis annis conspectus suos reddant coram Patre Abbate, Priorissa vel Magistra ex quibusdam maioribus de domo, et pecuniae asserventur sub tribus clavibus quarum unam Praepositus habeat, Priorissa vel Magistra unam, tertiam autem electus a Conventu. Acta Capituli Generalis Ordinis anni 1717.* Lutetiae Parisiorum, Ballard, 1717, p. 15.

[51]) Legimus de hac re in Actis Capituli Generalis anni 1657: *Item proposita est quaestio alias sessione 13a moveri coepta, et habemus dilata, quaenam videlicet oboedientia et subiectio debeantur Patri Abbati ex parte Praepositorum Monialium, Capitulum dicit eam posse discuti in hac sessione, sed non velle eam resolvere, nisi in proxima sessione, in qua adfuturi essent Rmus Dnus Generalis* (Augustinus le Scellier), *et Rev. Dom. Domnimartinensis* (Philippus Babeur) *et Venerab. Prior Praemonstratensis* (Adrianus Gosset). In sess. 24a tandem ita decisum fuit: *Praesidente Domino D. Praemonstratensi, Capitulum ad quaestionem supra positam, quaenam oboedientia et subiectio debeatur patri Abbati, ex parte praepositorum Monialium, definit Praepositos Monialium vel esse manuales, vel esse perpetuos; si perpetuus, non aliam oboedientiam debere patribus Abbatibus quam iisdem debeant filii Abbates; si vero manuales, suis Abbatibus esse subiectos ita ut possint ad nutum et omni tempore amoveri sicut supra dictum est de Prioribus claustralibus.* Ms. Laon 538, p. 756 s.; Ms. Nancy 1767, fol. 221 v°.

[52]) In Actis Capituli Generalis anni 1666, sicut hucusque nota nobis sunt, de hac re in sess. 11a. solummodo haec dicuntur: *Item declarat Praepositum non iuvari infulis ad praecedendum alium Praepositum non infulatum.* Codex Arch. Curiae Generalitiae, *Cap. Gen.*, 1666, p. 5.

suit Amplissimum Capitulum etiam in computibus reddendis pari ratione eos tractandos, quo filii Abbates suos computus vi Statutorum alias dependere assolent, et formalitates in Capitulo Generali novissimo praescriptas solum Praepositos manuales attinere.

Num. 3°. In extractu alphabetico ad literam P. Patrum Professorum privilegia in considerationem venerunt, et ultra praerogativam, quae Patribus (p. 23) Professoribus Theologiae iam in Capitulo Generali etc. 1660 Sess. 9 [53]) et Capitulum Provinciale Anno 1691. Sess. 6. Conclusione 1ma antehac concessa dignoscitur [54]), quod nempe inter maiores de Domo reputentur, concessa est Patribus tum Philosophiae tum Theologiae formali studio cum dictatione scriptorum aliisque in Scholis consuetis exercitiis vacantibus a choro, meditatione, et examine conscientiae ad arbitrium Superiorum remissis, immunitas pro tempore Professurae, diebus tamen Dominicis, festis, aliisque, quibus Praelatus cum forensibus officialibus accedere solet, exceptis, ac mane vesperique haustello vini confortandi sunt, atque si se duodenario labore annuo fecerint jubilatos etiam post professuram par eis favor conceditur, nisi fors Superioratui adhibiti praesentiam suam choro impendere habeant, insuper in promotione ad beneficia singularis eorum habenda coeteris paribus ratio, neque ii praetereundi atque favoribus proportionatis destituendi, qui annos duodecim etsi non completis Professurae se commendabiles reddidere.

Num. 4°. Ad eandem liberam etiam iura Paternitatis in considerationem venere, et censuere Reverendissimi Domini Comprovinciales renovandum esse Statutum Capituli Gradicensis Anno 1710. Sess. 3. num. 4 [55]) ubi statutum est ut ius Paternitatis ei in perpetuum permaneat, qui quodpiam Monasterium suis recuperavit impendiis, ne ob periculum amittendi recuperata, vel recuperatio ipsa, vel recuperatorum resuscitatio negligatur.

[53]) In Actis Capituli Generalis anni 1660, sess. haec statuuntur: *Item proposuit Venerabilis Pater Macarius* (Simeomo) *Antverpiensis, an lectores Theologiae qui actualiter docent, non sint habendi inter maiores de domo ? Capitulum diffinivit Lectores Theologiae qui actualiter docent esse et habendos esse de maioribus domus, non tamen dat eis stalli praecedentiam, idque non obstante decreto ultimi Capituli Generalis, sess. 7a, cui hac in parte derogat.* Ms. Laon 538, p. 805. — Decisio Capituli Generalis anni 1657, quae hic citatur, ita sese habet: *Item respondit negative ad quaestionem qua quaerebatur an Doctores et Lectores Theologiae non sint aliquo honoris privilegio donanda.* Ms. Laon 538, p. 712.

[54]) Cfr. supra, p. 197 s.

[55]) Cfr. supra, p. 255.

(p. 24). Num. 5°. Patres Priores et alii Conventuales Superiores etiam sub hac litera in considerationem venere, et ut vespertino tempore silentio aliisque observantiis intendendi habeant stimulum conceditur, ut facto inter se ordine a nocturnis valeant abesse vigiliis, modo unus eorum pro divino cultu curando iisdem intersit.

Num. 6°. Lectis quoque materiis de stallo, quaesitum fuit de stallo dando Fratri Adamo Pernecensi, qui laicalem professionem primitus emisit, dein ad Clericatum promotus iam Subdiaconatu insignitus, proxime Presbyterium suscepturus est. An praecedentia ei competat ante Sacerdotes citius se ordinatos, sed post adeptum Clericatum per fratrem Adamum professos ? responditque Capitulum, cum sub ea conditione ad Presbyterium recipiendum sit aggratiatus, ut Sacerdotes hos stallo sequeretur, standum esse huic conventioni argumento Regulae, quod pacta dent legem contractibus.

Num. 7°. Patres Professores ut Discipuli sequebantur in Litera S. tanquam Scholasticae fratres, quibus in studii facilitatem privilegia quaepiam etiam ea non petentibus concedenda censuit Amplissimum Capitulum, quae Praelatus quilibet pro rata gravitatis studiorum conferre certo non negliget.

Num. 8°. Gravissimum demum punctum ad verbum (p. 25) proprietas, fueret definitio materiae grave peccatum in materia religiosae paupertatis inducentis, utque Reverendissimi Domini Praelati se filiis suis Religiosis Patres exhiberent, favorabile pro iisdem fecere conclusum, et quatuor florenos Rhenenses pro materia peccati mortalis statuerunt ; eosque reservari posse censuerunt ; idque respectu Conventualium ; respectu forensium autem, utpote quibus tam prompta non est Superiores accedendi facultas, florenos decem constituere materiam peccati mortalis et reservationis, idque ita Amplissimum Capitulum resolvit, si una sive physice, sive moraliter talis erogatio fiat vice. Nam si distinctis talis erogatio fiat vicibus, conformiter ad probatorum Doctorum opinionem, etiam duplicata, vel si perquam magna sit expositionum vel receptionum disiunctio, triplicata quantitas requiritur.

Num. 9°. Invalescente potissimum apud Iuniores tabaci usu renovata est constitutio Capituli Provincialis anno 1691 Gradicii celebrati [56]), ne absque Medici approbatione et licentia Praelatorum tabaco utantur, intendantque Superiores Conventuales ; quo talis

[56]) Hoc monitum deest in textu supra publicato huius Capituli, pp. 174-211.

abusus eliminetur et in publico uti mensa et choro nemo eodem utatur.

Num. 10°. Cum Capitulum Generale novissimum togas itinerales albas esse iusserit [57]), intendent Patres Priores, ut nulla vestis itineralis deinceps de alio colore curetur, quam quae sit coloris grisei albicantis.

Num. 11°. Ut etiam de vestitu Amplissimi Domini Praelati suis prospicere satagant Religiosis enixe commendatum, statutumque, ut non modo de hyemalibus (p. 26) sed et aestivis, tibialiis, chirothecis, pileis prospiciatur habitusque petentibus prompte elargiantur potissimum iis qui peculiolo aliquo non sunt provisi.

Num. 12°. Amplissimum Capitulum faventissime indulget, ut Religiosi in Conventu tam hyemali quam aestivali tempore nigras mitrellas ex quineto portare valeant, pretiosae vero vanitatem sapientes sunt interdictae.

Num. 13°. Cum novissimum Capitulum Generale Sess. 2 Iunioribus in sacris constitutis [58]) etiam in alienatione, vestitione, et professione Novitiorum vocem admittat, arbitratur Amplissimum Capitulum, hoc conclusum de voce consultiva non deliberativa conformiter ad Capitulum Generale de Anno 1657. Sess. 25. intelligendum [59]), Si tamen alia fuisset mens Amplissimi Capituli Generalis, observantissime petit edoceri.

Num. 14°. Finivit hanc sessionem vanitas pulveris capillaris, quo nonnulli uti coepere, cuius usus diurnus interdicitur, vespertinus concessus, at ea moderatione, ut mane depexus nequeat observari.

Sessio Quinta

Horis antemeridianis die 20 Aprilis

Sacrum de Sanctissimo Patre Norberto pontificaliter solemniza-

[57]) Capitulum Generale anni 1717 ita statuit: *In quacumque Circaria eadem sit vestium forma, materia eadem, color etiam itinerantium albus. Acta Capituli Generalis anni 1717*, Lutetiae Parisiorum, 1717, p. 10.

[58]) Capitulum generale anni 1717 (cfr. l. c., p. 7) ita statuit: *Item decrevit pro uniformitate electionis canonicae per totum ordinem observanda, stando iuri communi omnes et solos sacerdotes et sacris ordinibus initiatos, exclusis Clericis professis, posse vocem activam ferre in electionibus Praelatorum, alienatione bonorum temporalium, et in vestitione et professione Novitiorum.*

[59]) De hac re nihil habetur in Actis huius Capituli, sess. 25a, sed in sessione 8a haec leguntur: *Item Capitulum decernit iuniores professos in minoribus constitutos non habere vocem activam in electionibus, nisi ubi fuerit contraria consuetudo.* Ms. Laon 538, p. 714.

vit Reverendissimus ac Amplis- (p. 27) simus Dominus Hugo Barthitius Abbas Zabrdovicensis, quo absoluto ad Conclave processit Capitularis Conventus.

Num. 1°. Sub huius sessionis initium mox pro parte Pastorum proposita fuit quaestio, num iidem ad Sacrum hebdomadale vi Ordinarii pro defunctis celebrandum obstringantur, si eveniat ipsos a Parochianis pro Missis stipendiatis tota hebdomada requiri. Respondit Amplissimum Capitulum, cum Parochi ex iustitia teneantur servire ovibus, huic prius satisfaciendum, quam obligationi Religionis ; si tamen commode fieri valeat, supplendum sacrum pro defunctis ordinis sequenti hebdomada.

Num. 2°. Demum in considerationem tracta iterata Capitulorum Generalium resolutio, vi cuius cum Mendicantibus participare Ordo candidus asseritur, ea tamen adiecta clausula, ne inferiores sine Superioris sui licentia hisce provilegiis in tribunali poenitentiae utantur, quod Capituli Generalis placitum etiam hisce roboratur, et pro pleniori notitia inferiorum, quibus privilegiis tuto uti valeant, Amplissimum Capitulum declaravit. *Primo*. Expositi a suis Praelatis et approbati ab Ordinario possunt sive intra sive extra Conventum existentes absolvere, extra Italiam tamen, ab omnibus peccatis et censuris Sedi Apostolicae reservatis extra Bullam Coenae et constitutionem Gregorii XIV., qui respectu Regularium reservavit absolutionem a casu violationis immunitatis Ecclesiasticae, (p. 28), violationis clausurae ob finem castitati contrarium, absolutionem provocantium et pugnantium in duello iuxta circumstantias expressas in Tridentino, percussionis clericalis, et Simoniae, sive realis sive confidentialis, et excepto foetus animati abortu, nisi sint ad hoc specialiter ab Ordinario approbati, quae constitutio refertur in Decreto Sacrae Congregationis edito sub Clemente VIII Anno 1602 ; hancque potestatem supponit ipsa Bulla Clementis X. quae incipit : *Superi magni Patri familias* § 7 edita Romae Anno 1670 undecimo Calendas Iulii. *Secundo*. A casibus Bullae Coenae dubiis quidem iuxta plurimos Doctores absolvere valent Regulares, ab occultis certis non, propter damnatam ab Alexandro VII Anno 1665. 24 Septembris Num. 3 et 4. Neque in casu impedimenti accedendi ad potestate praeditum, nisi adsit mortis articulus. *Tertio*. Regulares tamen nequeunt absolvere a casibus Episcopo reservatis constitutione Dioecesana ; est certissima hodie doctrina maxime post citatam constitutionem Clementis X ; bene tamen a reservatis Episcopo ex iure communi, nam declaratio Gregorii XIII prohibens absolutionem a

casibus Episcopo reservatis ait de reservatis *Sibi* ab Episcopo, quod verbum factum Episcopale requirere videtur. *Quarto*. Potestatem absolvendi a censuris habent Regulares pro foro interno satisfacta parte, constat ex constitutione Clementis X supra (p. 29) citata contra Doctores antiquos, et quidem etsi sint delicta publica, adhuc pro foro interno quibus impendit absolutio, nisi fors esset censura nominatim inflicta. *Quinto*. Regulares possunt dispensare cum poenitentium male acquisitis et incertis applicando ad finem pium, quia ita concessit Urbanus VIII pro Carmelitis apud Confectium, parte 12a, teste Bordono Tomo 2, parte 1a, Resolut. 6, num. 12. *Sexto*. Competit potestas commutandi vota, quae concessa est Benedictinis ab Eugenio IV, Jesuitis a Paulo III. Minimis a Sixto IV. exceptis votis castitatis perfectae Religionis et triplicis peregrinationis. *Septimo*. Dispensare valent cum coniuge incestuoso post contractum matrimonium tale, vi concessionis a Martino V. factae Benedictinis, et a Iulio II. firmata, teste Bordono loco citato. Num. 23. et Lezana cap. 19. Lib. 1°. obsecrat autem Amplissimum Capitulum demisse Illustrissimum Dominum Generalem pro amputando omni circa horum privilegiorum usum scrupulo edoceri, si quae sive concessionum Pontificiarum documenta, vel alia monimenta pro hoc usu manutenendo suppetant, sibi communicari.

Num. 3°. Ad petitum Reverendissimi Domini Pernecensis [60]) deliberatum fuit super diminutione Missarum occasione Praeposituraе Tyriensis [61]) in Hungaria receptarum, quarum reductionem commisit Illustrissimus Dominus Generalis Reverendissimo Domino Vicario [62]), et lecta ea de causa epistola Reverendissimi Domini (p. 30) Praepositi Horpagensis in Tyrie [63]) residentis, quia vero originalia documenta non aderant, ut causa assumeretur, eapropter eorum productio coram Reverendissimo Domino Vicario Hungariae, Reverendissimo Domino Abbate Zabrdovicensi [64]), et Reverendissimo Domino Abbate Gerusensi constituta, quibus revisis rerum

[60]) Ambrosius von Schöllingen. Vide n. 27.

[61]) Türje (in Hungaria). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 462-464. Teste hoc auctore, familia de Battanyi hanc praeposituram anno 1703 Pernecensi restituit. Cfr. l. c. p. 463.

[62]) Marianus Herman, abbas Strahoviensis. Vide n. 1.

[63]) Horpach. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 441 s. Vi huius textus capitularis, anno 1719 habebatur praepositus Horpagensis, residens in Türje (vide n. 61).

[64]) Hugo Barthlitius. Vide n. 10.

Status, atque num remedium afferri valeat, Illustrissimo Domino Generali referetur.

Num. 4°. Cum Ecclesia Neoreischensis speciale sacellum in honorem Sanctae Annae habeat, inibique Confraternitas Saecularium habeatur, atque in festo Sanctae Annae magnus sit populi concursus, hic dies insuper in Dioecesi Olomucensi festivetur, eaque de causa iam annis quinquaginta hoc festum instar triplicis tertiae classis festivet, intervenit pro eo Amplissimum Capitulum, ac Illustrissimo Domino Generali devotissime supplicat, ut haec festivatio altior Illustrissimi Domini Generalis authoritate stabiliatur.

Num. 5°. Ad petitionem Reverendissimorum Dominorum Comprovincialium spopondit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis mittere authenticas copias privilegiorum Sacri Ordinis, quorum aliqua in authentica copia prae manibus habet, idem spopondit de Bulla Clementis X. concessiva indulgentiarum perpetuarum pro Sacro Ordine. Retulit quoque pro (p. 31) solatio Reverendissimorum Dominorum Praelatorum successum litis contra Patrem La Motta Belgam per Dominum Abbatem Belli-reditus [65]) contra Serenissimum Episcopum Leodiensem [66]) evictae, idque eo fecit fine, ut viderent summam pecuniarum in hanc litem substantialiter datam fructuose impensam. Pariter innuit proxime nova Antiphonaria et Gradualia pro Circaria adfutura, quibus Amplissimum Capitulum censuit adiiciendas eas Antiphonas et officia, Missasque, quarum specialis in Circaria habetur cantus, subnectique tonum Cantus in Circaria receptum et Protocollo Provinciae insertum.

Num. 6°. Ut respectum quoque suum Capitulum Provinciale praesenter in Domino congregatum erga Capitulum Generale novissimum contestaretur, utut psalmum Deus misereatur in officio de Domina semper dici optasset, optaretque ; tamen duntaxat ad Matutinum et Vesperas dicendum resolvit [67]).

[65]) Abbas Belli-Redditus (Beaurepart in civitate Leodiensi) erat Henricus Jullin (abbas annis 1706-1733). Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, II, p. 360. C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 323. De lite in hoc Capitulo memorata, haec habet HUGO, l. c.: *Iurium ac privilegiorum Ordinis propugator indefessus* (abbas Jullin) *magnis sumptibus, labore maiori, Patrem Franciscum de la Motte, a pastoratu de Louverval* (Loverval), *ad prioratum de Recheim* (Rekem) *translatum, et obedientiae renitentem, per diversas diversorum Tribunalium refragum provocarat Abbatem, compressit.*

[66]) Episcopus Leodiensis tunc erat J. Clemens a Bavaria (1694-1723).

[67]) In sess. 10a Capituli Generalis anni 1717, ita dictum fuit: *Quaesitum est*

Ultimo. Cum ex novissimo Capitulo Generali constet anno insequente Capitulum Generale novum indici [68]), resolvit Amplissimum Capitulum Deputatos ad Conventum Generalem nomine Provinciae mittendos ; optat tantum unice ea tolli obstacula, ob quae revocatio deputatorum antehac missorum dolente tota Circaria facta est.

Sessio Sexta

Horis pomeridianis die 20 Aprilis

(p. 32) Num 1°. Reverendissimi Domini Praelati et Priores ad revidendum Proprium Sanctorum deputati suam fecere relationem, et circa festa antehac iam resoluta, ab Illustrissimo Domino Generali confirmata statuit, ut Festum Sancti Stephani Regis Hungariae 2a Septembris ; et festum Sancae Hedwigis 15 octobris, Sanctae Theresiae 14 octobris ; festum Sancti Emerici 5 Novembris, Sancti Leonardi 6 novembris, Sancti Caroli Borromaei 9 Novembris anticipata Sancti Martini octava, Sanctae Monicae 4 Maij ; Anno autem 8 Martii festum Sancti Ioannis de Deo sub precepto indictum a Clemente XI sub ritu 9. lectionum celebrandum foret, uti et an non officium votivum menstruum de Augustissimo Eucharistiae Mysterio recitandum, prouti hoc officium votivum sua Sanctias hodiedum sedens ob victorias contra Turcarum tyrannidem bello novissimo obtentas pro terris concessit haereditariis, cum filios nos profiteamur Sancti Norberti Vindicis Eucharistiae Augustissimae cultorisque eximii, Illustrissimi Domini Generalis gratiae remittitur, illud autem enixissime postulat Amplissimum Capitulum, cum proxime speretur authoritate Romana officium Canonicum de Sancto Ioanne Nepomuceno Martyre et Thaumaturgo (p. 33) Bohemiae, atque hoc festum sine scandalo magno omitti non posset, quatenus illud, ubi e Urbe hoc officium fuerit stabilitum, nobis liceat concelebrare, Domini quoque Praelati Hungariae humiliter exposcunt Sibi indulgeri, ut ad conformitatem cum Dioecesanis suis festum Sancti

utrum Ps. « Deus misereatur nostri legi debeat in singulis horis Officii B. M. V., in diebus quibus dici solet, et responsum est dici debere tantum in Laudibus et Vesperis. — Cap. Gen. anni 1717, Lutetiae Parisiorum, Ballard, 1717, p. 15.

[68]) Dictum erat in Capitulo Generali anni 1717: *Reverendus Dominus Praemonstratensis indixit Capitulum Generale proximum Praemonstrati celebrandum ad annum 1720, in Dominicam « Cantate » quartam post Pascha. — Capit. Gener. anni 1717*, Lutetiae Parisiorum, Ballard, 1717, p. 19.

Stephani Regis cum octava tanquam primae, et Sancti Ladislai sine octava instar Triplicis Tertiae classis valeant celebrare.

Num. 2°. Reverendissimi Domini Praelati Monialibus Praepositi petiere, quatenus pro Sacris Virginibus apud Illustrissimum Dominum Generalem intervenire dignaretur Amplissimum Capitulum, quo eisdem indulgeretur ad praedictum vicinum sumendi inibi prandii gratia, una alterave vice annue pro capessenda aura uberiore mentisque exhilaratione tectis curribus excurrere, quam intercessionem praestat hisce Amplissimum Capitulum.

Num. 3°. Demum quaestio de Patris Prioris Milovicensis praecedentia per Eximium Patrem Priorem Plagensem mota in prioris favorem, conformiter ad Capitulum Provinciale Lucense Anno 1687 terminata [69]).

Sessio Septima

Horis antemeridianis die 21 Aprilis

Num. 1°. In hac sessione propositum fuit, iuramentum ab Ordinariis in benedictione Abbatum exigi (p. 34) solitum Sacro nostro exempto praeiudicare Ordini, cum recenti habeatur experientia, huius iuramenti exactionem allegari ab Ordinario ad probandam certi Ordinis subiectionem, nec proinde videri, esse duntaxat coeremoniale, cumque Innocentius XI Anno 1683 die 6 februarii contra Archiepiscopum Mechliniensem definiverit, ne tale iuramentum ab Exemptis exigat, supplicant Reverendissimi Domini Comprovinciales Illustrissimo Domino Generali. quatenus in conformitate supra fati Decreti Pontificii simile signate pro candido ordine sonans impetrare dignaretur.

Num. 2°. Institit Reverendissimus Dominus Abbas Gradicensis [70]), quatenus Amplissimum Capitulum sibi facultatem dispensandi conferre dignaretur super choro intermittendo in Monte Praemonstrato [71]) novissime Anno 1710 in Prioratum erecto diebus, quibus ingens est peregrinantium accursus, adeo quod vix populo sufficien-

[69]) De hac re egit Capitulum Provinciale anni 1687 in sess. 1a. Vide supra, p. 153 s.

[70]) Benedictus Bonisch. Vide n. 6.

[71]) Mons Praemonstratensi (in hodierna Tchecho-Slovakia). Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 319-322; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 314 (nomen huius monasterii refert sub denominatione tchechica: Svaty Kapecek).

ter subserviri valeat, neque locus commode pro chori persolutione suppetat, quia autem metuebat Amplissimum Capitulum, ne piae fundatoris intentioni deroget, cum in Testamento habeantur formalia : Chorum diurnum bene persolvant ad similitudinem aliarum fundationum Monasteriorum, eapropter Illustrissimo Domino Generali supplicat Amplissimum Capitulum, quatenus si aliquod remedium in sua habet plenitudine potestatis, illud dicto Reve- (p. 35) rendissimo Domino Gradicensi Abbati impertiri dignaretur.

Num. 3°. Dubium movet Reverendissimus Dominus Vicarius, an Pater Rector Collegii Norbertini praecedentiam habeat prae Superiore [72]) in processionibus publicis praesente sua Communitate quae ut censeatur adesse, octo de Collegio Norbertino adesse debere resolvit) in casu, quo absente Patre Priore ipse Pater Subprior est ductor Communitatis Strahoviensis ? declaravitque Amplissimum Capitulum, nisi fors Pater Subprior specialiter pro Praeside Conventus sit deputatus per Dominum Praelatum Sioneum cum praerogativis Priori consuetis, Patri Rectori praecedentiam competere tanquam digniori, cum domus sua sub Abbate primus sit Superior, Pater Subprior vero si sub Praelato et Priore.

Num. 4°. Propositum fuit a quibusdam Dominis Comprovincialibus quod 36000 flonerorum virtute Capituli Gradicii Anno 1710 celebrati sibi debita ex Lellesziensi ad Praeposituram sancti Stephani solvenda transtulissent, quia vero am propinqua spes non affulget eadem inde recipiendi, Reverendissimus etiam Dominus Lucensis opposuerit, quod pro his 36000, et exinde 14000 nomine usurarum caducis mediante dicto Capitulo debitorum passivorum 50000 Monasterii Pernecensis in Se receperit [73]), consequenter iis 36000 florenis ex Promontorio Sancti Stephani [74]) denuo solvendas praegravatum se asserat, cum praefatum Promontorium pro aequivalente sibi cessum ultra 10000 non videatur esse appretiandam, proinde (p. 36) in hac sensuum differentia Reverendissimi Domini Comprovinciales Illustrissimi Domini Generalis assumptis aliis duobus Abbatibus, sensum et complanationem transmissa specie facti, obsequiose praestolari voluerunt.

Num. 5°. Exposita quoque per Reverendissimum Dominum Per-

[72]) Sion est abbatia Strahoviensis.

[73]) De hac re vide acta Capituli anni 1710, sess 2a, sess. 6a. Cfr. supra, p. 252.

[74]) De hac re vide Capitulum anni 1710, supra, p. 252.

necensem [75]) Abbatem suae Ecclesiae debitis gravatae necessitate, optaverant Reverendissimi Domini Praelati promptissimam ferre posse opem, priusquam tamen certam capiant resolutionem, expetierunt sibi securitatem realem Capitalium et censuum authoritate Augustissimi firmatam exhiberi, qua sibi per Dominum Vicarium notificata ad ulteriorem progressuri sunt resolutionem.

Num. 6. Perlectum revisumque fuit formularium pro electionibus, totumque ut in speciali charta consignatum, ratificatum, et ad quaestiones innibi propositas suggesta responsa ratificata, obsecrantque etiam ab Illustrissimo Domini Generali paterne confirmari.

Num. 7. Tallias Illustrissimo Domino Generali debitas prolixa nervosaque oratione commendavit Reverendissimus Dominus Vicarius inclytae Circariae ; verum Aulae Caesareae disgratiam incurrendam opponebant Reverendissimi Domini Comprovinciales, in id ad minus deduxit Reverendissimus Dominus Vicarius Reverendissimos Dominos Circariae Praelatos, ut a tempore pacis Badae Helvetiorum conclusae cum Corona Gallica tallias dependere resolverint, modo Illustrissimus Dominus (p. 37) Generalis antiquiores gratiosae Circariae nostrae exhaustae, et per reluitionem Hungaricarum Praeposituarum enervatae remittat, cum has tanquam notabilem quantitatem efferentes non audeant sine Augustissimi disgratiae periculo in Galliam transcribere, quoad minorem vero summam supra memoratam Talliarum ab Anno 1714 restantium sperant se taliter non notandos, pro hac ergo paterna gratia supplicant, deinceps in persolvendis modicae quantitatis talliis accuratiores futuri, titulum transscriptionis quantitatis huius modicae expensas circa privilegia Ordinis faciendas allegaturi.

De reliquo sessio pro tempore pomeridiano ob disputationem theologicam Amplissimi Capituli honori dicatam non est indicta, sed ea in horas antemeridianas diei sequentis reposita.

Sessio Octava

Horis antemeridianis die 22 Aprilis

Exhortatus finaliter Reverendissimus Dominus Vicarius gravi sermone, quatenus Reverendissimi Domini Comprovinciales extractum Capitulorum Generalium et Provincialium sibi habeant cum

[75]) Ambrosius von Schöllingen. Vide n. 27.

effectu commendatum, eumque in Refectorio publice praelegi faciant, acta quoque visitationum sibi cordi sumant, eaque omni ex parte effectui mancipare satagant, praesentisque Capituli conclusa ubi paternam ab Illustrissimo Domino Generali gratiosissime sortita fuerit confirmationem, in observantiae effectivam deducant (p. 38). Praeterea demum Dominus Vicarius Generalis sibi de fervore zeloque cooperativo Reverendissimorum Dominorum Comprovincialium, quod in sessionibus tam diuturnis tantam patientiam, in formandis conclusis unanimitatem, sedulitatem, fervorem uberrime ac ingravate exhiberi dignati sint, plurimum complacens candidissimas tenerrimasque egit gratias, et iis peractis, quae in conclusione Capitularium consessuum fieri assolent, cunctis optime fraterneque precatus, in Sancto osculo ad lares Ecclesiarum suarum remisit.

Acta sunt haec in Consessu Provinciali Capitulari Lucae celebrato Anno Salutis Millesimo Septingentesimo Decimo Nono, Die vigesima secunda Aprilis. In quorum fidem consueta Capitularis Subscriptio et subsignatio.

Marianus Abbas Sioneus, Vicarius Generalis, Suo et Reverendissimi Domini Abbatis Plagensis et Visitatoris Generalis nomine [76]).
Hieronymus Hlina Abbas Siloensis [77]).
Benedictus Abbas Gradicensis [78]).
Vincentius Walner, Abbas Lucensis, Vicarius generalis Hungariae [79]) et mandatario nomine pro Reverendissimis Dominis Vincentino et Czarnevancensi, ac pro filiali vacante Ecclesia Jassoviensi.
Hugo Abbas Zabrdovicensis [80]).
Michaël Abbas Gerasensis [81]).
(p. 39) Ambrosius Abbas Pernecensis [82]).
Josephus Mika Praelatus Doxanensis [83]).
Dominicus Praelatus Cotieschoviensis [84]).
Petrus Paulus Praelatus Neoreischensis [85]).

[76]) Marianus Herman, abbas Strahoviensis. Vide n. 1.
[77]) Vide n. 4.
[78]) Benedictus Bonisch. Vide n. 6.
[79]) Vide n. 5.
[80]) Hugo Bartlitius, seu Barthlitius. Vide n. 10.
[81]) Michael Walner, seu Wallner. Vide n. 11.
[82]) Ambrosius von Schöllingen. Vide n. 27.
[83]) Jos. Mika. Vide n 28.
[84]) Dominikus Peterka. Vide n. 32.
[85]) Petrus Paulus Credis. Vide n. 16.

Carolus Franciscus Praelatus Lelesziensis [86]).
Robertus Sancius Praelatus Csornensis [87]).
Felix Helger Praelatus Grabensis [88]).
Candidus Lerch [89]) Professus Sioneus, Notarius Apostolicus, et iuratus Vicariatus Secretarius.
P. Oswaldus Brusky Prior Sioneus.
P. Wenceslaus Zahradnik Prior Siloënsis [90]).
P. Norbertus Umlauff Prior Gradicensis [91]).
P. Gregorius Kwasnizka Prior Lucensis.
P. Casparus Brandl Prior Teplensis.
P. Norbertus Janke Prior Zabrdovicensis.
P. Norbertus Tasman Prior Milovicensis.
P. Benedictus Cischini Prior Gerusensis.
P. Augustinus Koch Prior Plagensis.
P. Ferdinandus Gopfer Prior Pernecensis.
P. Norbertus Hrusa Prior Neoreischensis.
P. Augustinus Gruber Prior Sacro Montanus [92]).
P. Andreas Cheno Collegii Pragensis Rector [93]).
P. Carolus Tesch Pro-Parochus Lucensis, Vicarius foraneus Znoymensis.
P. Matthaeus Feith Pro-Parochus Strahoviensis.
P. Daniel Schindler, Pro-Parochus Siloensis, et Sacrorum Canonum Professor.
(p. 40) P. Gregorius Holasek, Professus Gradicensis, Parochus Naklensis.
P. Thomas Waijer Professus et Curatus Teplensis, nomine Curatorum Teplensium et Cotieschoviensium.
P. Leopoldus Riefling Pro-Parochus Zabrdovicensis.
P. Hyacinthus Schmalhofer Professus Gerusensis et Parochus Ranciniensis.
P. Adalbertus Landgraf professus Plagensis, Parochus Rorbacensis.
P. Dionisius Netolizky Sioneus, Parochus Mikuloviensis, nomine

[86]) Carolus Franciscus Thay. Vide n. 12.
[87]) Robertus Sancius. Vide n. 13.
[88]) Felix Helger. Vide n. 14.
[89]) Candidus Lerch. Vide n. 17.
[90]) Vide n. 18.
[91]) N. Umlauff. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains,...*, II, p. 265.
[92]) Aug. Gruber. Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., I, p. 332.
[93]) A. Cheno. Cfr. L. GOOVAERTS, l. c., p. 118.

Parochorum Doxanensium.

P. Engelbertus Lechner Professus Lucensis, Pro-Parochus Jaszoviensis.

Copia Epistolae Reverendissimi et Illustrissimi domini generalis capitulum provinciale confirmantis.

Amplissime Domini Fili, et Charissime Confrater,

Remississemus dudum confirmationem Capituli vestri Provincialis Lucae hoc anno habiti, nisi Capitulo annuo Reformatorum, pluribus in Belgio visitationibus aliisque urgentibus maxime negotiis distenti fuissemus. Laudamus itaque, probamus, confirmamus omnia et singula Decreta dicti Capituli, prout iacent in copia authentica, quam ad nos direxistis, et propositis dubiis sic respondemus.

(p. 41) 1. Super dispensatione abstinentiae tempore Adventus et Septuagesimae non est penes nos dispensare in hoc, quod expresse in Bulla Iulii II reservatur, nec maior est Praemonstrati copia piscium quam in Bohemia ; nunquam tamen dispensatum est ; benigne in extrema cum aliquibus necessitate posset ex gratia dispensari [94]).

2. Recursus ad Abbatem distantem, et petita etiam obtenta licentia exitus e Monasterio poena fugitivorum plecti debet propter consequentias, plus vel minus personarum et rationum habita consideratione [95]).

3. Arma intus et foris omnino prohibentur [96]).

4. Dispensamus super Novitiatu communi et carceribus provisione tantum usque ad Capitulum Generale proximum [97]).

5. In numero sex, quatuor, vel minus comprehenduntur Abbas et Prior pro Missis Conventualibus celebrandis Missa Conventualis applicari debet pro ipso Conventu [98]).

6. Ut uniformitati Ordinis provideatur, Nona dicatur post prandium [99]).

7. Culpa debet congruere poenae, ideo iniuria tam verbalis quam facti debet esse realis et enormis [100]).

[94]) De hac re, cfr. sess. 2a, Capituli, n. 1. Supra, p. 281.
[95]) Cfr. sess. 2a, Capituli, n. 2, Supra, p. 282.
[96]) Sess. 2a, Cpituli, n. 4. Supra, p. 282 s.
[97]) Sess. 2a, Capituli, n. 6. Supra, p. 283.
[98]) Sess. 3a, n. 9. Supra, p. 286 s.
[99]) Sess. 3a, n. 10. Supra, p. 287.
[100]) Sess. 3a, n. 12. Supra, p. 288.

8. Praepositi Titulati reddent suos computus iuxta Statuta [101]).

9. Recuperantibus Monasteria Ius Paternitatis ob rationes allaas perpetuum concedimus [102]).

(p. 42) 10. Privilegiis Mendicantium uti non licebit nisi ad mentem Capitulorum Generalium [103]).

11. Festum Sanctae Annae per modum Triplicis 2ae Classis in Monasterio Neoreischensi celebrari concedimus, sicut et festa Sanctorum Ladislai, Stephani, et Sancti Ioannis Nepomuceni, ut petitum. Officium menstruum Venerabilis Sacramenti ad Capitulum Generale remittimus [104]).

12. Fratres conversi neque Provisoris neque Cellarii officiis fungentur, poterunt tamen in subsidium illorum sub ipsis adhiberi.

13. Intercessioni Capituli benigne indulgentes Virginibus concedimus, ut praehabitis debitis cautionibus bis in anno ad praedium vicinum liberioris aurae capessendae gratia tectis curribus pro prandio Conventualiter excurrant.

14. Iuxta mentem Testatoris in Monticulo Praemonstrato iuxta Olomucium chorus semper habebitur, privatum a quatuor tamen in aliquo decenti loco diebus, quibus nimia erit peregrinorum frequentia [105]).

15. Casus complicis ubique et pro omnibus est reservatus in Ordine.

16. Formulare electionum ad proximum usque Capitulum Generale approbamus.

(p. 43) 17. Tallias Ordinis solvi consuetas, solvi ut hactenus non prohibebit Sua Caesarea Maiestas si nude et sincere, ut par est ipsi repraesententur [106]), Manemus parati ad omnia.

Fr. Candidus Honoratus
Lucas Praemonstrati Abbas et Generalis.

Praemonstrati, 15 Julii 1719.
Concordat cum suo originali.
(L. S.) Manary (autogr.).

[101]) Sess. 4a, n. 2. Supra, p. 289.
[102]) Sess. 4a, n. 4. Supra, p. 290.
[103]) Sess. 5a, n. 2. Supra, p. 293.
[104]) Sess. 5a, n. 4. Supra, p. 295.
[105]) Sess. 7a, n. 2. Supra, p. 297 s.
[106]) Sess. 7a, n. 7. Supra, p. 299.

Ad mandatum Reverendissimi, ac Amplissimi Domini Abbatis mei et Vicarii Generalis. P. Candidus Lerch Sioneus, iuratus Notarius Apostolicus, et Vicariatus Provinciae Secretarius. (autogr.).

Resolutio Amplissimi Capituli in celeberrima canonia Lucensi. Anno 1719 die 18. Aprilis inchoati et 22 eiusdem terminati ad quaepiam dubia et propositiones sessione finali per Patres Priores expositas.

1°. Committens defectum circa Missae Sacrificium absque culpa et scandalo non subiicitur poenae Satutorum Dist. 3. num. 6. sed arbitrio Praelatorum mitius est puniendus.

2°. Purificationes solum faciendae sunt in Duplicibus maioribus et minoribus in foro festivatis, vel in Dominicam incidentibus, atque in festis Sanctorum Apostolorum.

3°. In minoribus Duplicibus inter quae reputantur Dominicae infra Octavam primae Classis, Subprior festivat officium.

4°. Capituli quotidiani celebratio, quamvis alias usu recepta sit, tamen substat discretioni Praelatorum.

5°. Capitulo etiam P. Subprior et P. Circator praesidere tenentur, et corrigere corrigenda.

6°. Occurrentibus festis pluribus, atque ita dilato Capitulo etiam extra capitulariter transgressores puniri valent.

7°. Exercitia spiritualia etiam Provisores et oeconomica administrantes peragere debent, et salvo, quod ultra quinque milliaria dissiti haec exercitia foris peragere valeant.

8°. Quoad Sacerdotes addicendos cursui et aliis obligatoriis standum est statutis et ordinationi Praelatorum.

9°. Clavis generalis pro cubiculis Conventualium soli Abbati et Praesidi Conventus, pro cubiculis autem Officialium forensium soli Abbati competit.

(p. 2). 10°. Festum Sancti Godefridi celebrandum 13 Ianuarii anticipata Epiphaniae octava.

11°. Occurrente infra octavam Triplicis primae Classis festo duplici obtinente officium non assumitur ad Primam et Completorium versiculus cum Collecta, nisi infra eas octavas quas signate excipit Breviarium.

12°. In materia voti paupertatis Patres Priores aequiparantur forensibus.

13°. Contra paupertatem graviter peccatur lusu foliorum cum domestico Confratre, si ultra quantitatem alias reservationi deputatam semissem perdat.

14°. Superioribus Conventualibus indulgetur, ut unus eorum duntaxat officio nocturno interesse valeat, quatenus reliqui tanto vigilantiores sint tempore vespertino pro transgressionibus antevertendos.

15°. Superiores Conventuales non sunt gravandi aliis obedientiis distrahentibus eos a functione sui officii.

16°. Volentes suo motu accedere Praelatum, Patri Priori se insinuare habent, uti et ii, qui quamquam licentiam a Praelato obtinuere, eam Patri Priori exponere tenentur.

17°. Exorbitans coram Priore contra Praelatum, si malefactum agnoscens deprecetur, neque Praelato infamia accedat, non est mox deferendus ad Praelatum.

18°. Prioris ordinationes coeteri consuperiores etiam Prioris absentia observare tenentur in iis, quae sunt regularis observantiae.

19°. In tertio Praelatorum anniversario admittitur Conventui conversatio.

(p. 3). 20°. Quotta a Parochis Conventui dependi solita manet penes receptam consuetudinem.

21°. Extranei ad Conventum venientes Superiori Conventuali se sistere tenentur.

22°. Activae recreationes manent in discretione Praelatorum.

23°. Ut quis censeatur esse Confrater Monasterii requiritur totius Capituli consensus.

24°. Sub cuiusvis anni initium solemnizandum est sacrum pro felici morte.

Haec ita conclusa esse in suprafato Capitulari Consessu attestatur officii Secretariatus subsignatio.

(L. S.) Mariani.

Ad mandatum Reverendissimi, ac Amplissimi Domini Abbatis mei, et Vicarii Generalis.

P. Candidus Lerch professus Sioneus, iuratus Notarius Apostolicus, et Vicariatus Provinciae Secretarius.

14

Capitulum Provinciale celebratum in abbatia Strahoviensi

Anno 1727

CAPITULUM PROVINCIALE Reverendissimorum, Illustrissimorum, ac Amplissimorum Dominorum Abbatum, Praelatorum, Admodum Reverendorum, Venerabilium, Eximiorumque Patrum Priorum, Rectorum, Praesidum, Parochorum, aliorumque Canonicorum Capitularium Sacri Candidi et exempti Ordinis Praemonstratensis in Circaria Bohemiae, et haereditariis Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Provinciis ipsi incorporatis

Indictione

Reverendissimi, ac Amplissimi Domini Domini Mariani, Antonii Herrmann [1]), eiusdem Sacri Canonici et exempti Ordinis Praemonstratensis Praelati, Regiae Ecclesiae Montis Sion et Milovicensis Abbatis, per Bohemiam, Austriam, Moraviam et Silesiam Vicarii Generalis.

In Regia Ecclesia Strahoviensi Pragae Anno 1727. Die 12 Maii et sequentibus canonice celebratum et die 14 eiusdem Mensis publicatum.

(p. 3) Prima candidissimo Ordini per Apostolicae Sedis Legatos impensa confirmatio Praemonstratensem Religionem ab ipsis nativitatis suae cunabulis ut Apostolicorum sectatricem vestigiorum praedicans, Ordinis candidi Alumnos eos dicit, qui Sanctorum Patrum vitam probabilem removant, et Apostolicae instituta doctrinae primordiis Ecclesiae Sanctae inolita instinctu Sancti Spiritus suscitant, vitamque vivunt, qua fortiorum virtus perficitur, in montium altiora

[1]) Marianus Herman (seu Hermann), abbas Strahoviensis, in urbe Pragensi, annis 1711-1741. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 932; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 313.

conscenditur, et per quotidiana instituta merita conquiruntur aeterna. In id itaque Ordo incumbit candidus, ut perfectorum virtus non modo eiusdem Spiritus perseverantia custodiatur, sed et perfectio virtutis uberioribus proficiat incrementis, et ad sublimiora semper contendens adspirante et prosequente Domini Spiritu de virtute vadens in virtutem amplius abundet meritis, et gratia redoleat Sanctitatis. Huius sane uberioris incrementi et profectus causa, ac primitivae Ecclesiae Apostolicos Conventus celebrantis exemplo, Apostolica, quam in terris veneramur, Sedes, uti et Sacra nostra Statuta, Capitulorum tam Generalium quam Provincialium Concilia celebrari iubent, quatenus per opportuna decreta Apostolicae vitae Spiritus influatur in universos, ac candidi professores instituti semper novis virtutum et gratiarum praerogativis proficiant, quousque sublimen Electorum gradum in perenni gloria conscendant. Eapropter Maiorum exemplo, Sacrorum Canonum et Statutorum praecepto, nec non Reverendissimi ac Illustrissimi Domini Domini Claudii Honorati Lucas [2]) Abbatis Praemonstratensis, ac totius Candidissimi Ordinis Generalis authoritate vicaria Reverendissimus ac Amplissimus Dominus Dominus Marianus Antonius Hermann [3]), Sacri Canonici et exempti Ordinis Praemonstratensis Praelatus, Regiae Ecclesiae Montis Sion et Milovicensis Abbas par Caesareas haereditarias Provincias Bohemiam, Austriam, Moraviam, et Silesiam Vicarius Generalis, non modo pro celebrando (p. 4) festivius translatarum Magdeburgo Sanctissimi Patris Norberti Exuviarum iubilaeo saeculari [4]) ad diem 11mam Maii officiosissima humanitate invitavit, sed et Comitia in Regia Strahoviensi Ecclesia ritu in Statutis praescripto celebranda pro die 12 Maii A. 1727 indixit, et omnes ac singulos Reverendissimos Illustrissimos Amplissimosque Dominos Dominos Abbates et Praelatos, admodum Reverendos, Venerabiles, ac Eximios Patres Pricres, Rectores, Praesides, Curatos, nec non cunctos Canonicos, qui beneficio Statutorum vocem in huiusmodi Comitiis habere dignoscuntur, omnigeno charitatis effectu evocavit, ut non solum super pretiossimis Beatissimi Patris sui Reliquiis (quas Inclyta Bohemiae Circaria in suo fovere meretur gremio) in hac festivitate

[2]) Claudius Honoratus Lucas de Muin, Dominus Praemonstratensis ab anno 1703 usque ad annum 1740. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 55 ; Ch. Taiee, *Prémontré*, II, Paris, 1873, pp. 181-184.

[3]) Vide n. 1.

[4]) Exuviae S. Norberti translatae fuerunt e civitate Magdeburgensi ad civitatem Pragensem, anno 1627.

iubilaea gaudere, verum etiam sub huius Solemnitatis octava pro Norbertini Spiritus incremento, in unum adunati communicatis consiliis salutaria statuere valeant decreta. Quibus respective invitatoriis atque indictoriis promptissime deferentes, Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini Comprovinciales Praelati, Admodum Reverendi Venerabiles Patres Priores, aliique Capitulari iure gaudentes tam pietatem in Sanctissimum Patrem, quam amorem in Candissimum Ordinem comprobaturi, Pragae in Monasterio Montis Sion pridie festi Translationis eiusdem Sancti Patriarchae tanto promptius comparuere, quanto festivius iubilaea Patris Solemnia celebrare gestiebant universi, super quodum peroptato ac incolumi adventu Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis plurimum gavisus, singulos in amplexu Norbertino intra suum Sioneum excepit, qui sequenti die Dominica Cantate devotissimo animi gaudio et consolatione repleti iubilaeum Solemnitatem gratiossima praesentia condecorantes piissime festivarunt.

Insequente audem die 12 Maii in Divi Rochi Ecclesia congregatum Amplissimum Capitulum ex eadem ad Ecclesiam Sioneam (p. 5) processit, ad cuius officium aqua lustrali aspersos, et thure odorato exceptos, Reverendissimos ac Amplissimos Dominos Praesules, coeterosque Admodum Reverendos ac Venerabiles Patres Capitulares sub festivo campanarum compulsu in supra fatum Sioneam Ecclesiam Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Assistentibus Sibi Pontificali apparatu Reverendissimo Domino Roberto Sancio [5]) Abbate Gradicensi introduxit, peractaque a Reverendissimo Domino Vincentio [6]) Abbate Lucensi, Vicario Generalis Hungariae, et Visitatore Generalis Inclytae Circariae Bohemiae ritu Pontificali de Spiritu Sancto Liturgia, mox omnes eodem spectabili ordine ad Capituli Conclave progressi, et in genua provoluti, intonante Reverendissimo Vicario Generalis hymnum Veni Creator Spiritus decantarunt. Implorata Divini Numinis assistentia Reverendissimi Domini Comprovinciales Praelati competenti ordine considentes ab Admodum Reverendo Domino Patre Thadaeo Schweiger [7]) Ecclesiae Montis Sion Canonico et Sacrorum Canonum in Collegio

[5]) Robertus Sancius, abbas Gradicensis annis 1721-1732. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 294; L. GOOVAERTS,..., II, p. 135.

[6]) Vincentius Walner, seu Wallner, abbas durantibus annis 1712-1728. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 93 s.; N. BACKMUUD, *Monasticon*, I, p. 299; L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 362.

[7]) L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 163 s.

Archiepiscopali deputato Professore Sionei Coetus nomine oratoria gratulatione honorificentissimeque sunt excepti, ac deinceps iis in memorato Capitulo vocem non habentibus dimissis, dicto Benedicite, Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis suavem sermonem praemisit, Provincialisque Conventus causas Amplissimo Capitulo exposuit.

Sessio prima

Die 12 Maii Horis antemeridianis

In hac sessione secundum Candidi Ordinis morem et Statutorum praescriptum Reverendissimus Dominus Daniel Schindler [8]) Abbas Siloënsis, Reverendissimus Dominus Robertus Sancius [9]) (p. 6) Abbas Gradicensis, Reverendissimus et Illustrissimus Dominus Ferdinandus Comes ab Hohberg [10]) Abbas Vincentinus, Reverendissimus Dominus Raymundus Schimonovsky [11]) Abbas Teplensis, Reverendissimus Dominus Ioannes Wöss [12]) Abbas Plagensis, Reverendissimus Dominus Ioannes Nepomucenus Wimonko [13]) Praelatus Neoreischensis. Reverendissimus Dominus Eustachius Fritsch [14]) Praelatus Czarnovancensis in manibus Reverendissimi Domini Abbatis Sionei et Vicarii Generalis eidem et Amplissimo Provinciali Capitulo reverentiae et obedientiae promissionem praestiterunt, eandem quoque Reverendissimus Dominus Carolus Tesch [15]) Praelatus Iassoviensis Reverendissimo Domino Vincentio [16]) Lucensi Visitatori et Regni Apostolici Vicario Generalis adpromisit : hac praestita a Reverendissimorum Dominorum Praelatorum Conventu actorum Capituli revisores et aerarii Provincialis scrutatores deputati sunt Reve-

[8]) Abbas durantibus annis 1725-1752. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 323; L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., II, p. 144 s.

[9]) Vide n. 5.

[10]) Abbas annis 1720-1729. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1115; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 337 (scribit: de Hochberg).

[11]) Abbas Teplensis annis 1724-1741. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 317 (scribit: Simonovsky).

[12]) Abbas annis 1721-1743. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 310.

[13]) Abbas annis 1725-1755. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 304 (scribit: Vymonko); L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., II, p. 399 s.

[14]) Abbas inde ab anno 1725. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 593.

[15]) Praelatus annis 1720-1736. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 447.

[16]) Vide n. 6.

rendissimus Dominus Michaël Wallner [17]) Abbas Gerusensis, et Reverendissimus Dominus Ioannes Wöss [18]) Abbas Plagensis ; in Secretarium delectus est P. Candidus Lerch [19]) Ecclesiae Sioneae professus ; Notarii assignati sunt Eximius P. Wenceslaus Zaranesk [20]) Prior Siloënsis, Eximius P. Georgius Sadeczky Prior Gradicensis et Eximius P. Michaël Dresner Prior Lucensis, qui similiter Reverendissimo Domini Generali et Amplissimo Capitulo tenore Statutorum adsponderunt fidelitatem et secretum. Procuratoriae postmodum et excusatoriae absentium Reverendissimorum Praelatorum literae sunt praelectae ac acceptatae, et in plenipotentiarios Patres Abbates suos cum clausula rati gratique compromiserunt, Reverendissimus Dominus Carolus Theij [21]) Praepositus Lellesziensis in Reverendissimum Abbatem Lucensem [22]), Reverendissimus Dominus Richardus Wraczlawskij [23]) Praepositus (p. 7) Czornensis in Reverendissimum Dominum Abbatem Gradicensem [24]), Reverendissimus Dominus Sigismundus de Gimmich Praepositus Stambachensis [25]) Reverendissimum Dominum Abbatem Pernecensem [26]), Reverendissimus Dominus Felix Helcher Praepositus Grabensis [27]) in Reverendissimum Dominum Praelatum Iassoviensem [28]), et Reverendissimus Dominus Adalbertus Praepositus Horpacensis [29]) in praenominatum

[17]) Abbas annis 1712-1729. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 291; L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 362.

[18]) Vide n. 12.

[19]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 505. Secretarius iam fuerat in Capitulo anni 1719.

[20]) Zaranesk, seu Zarahnik. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 415 s.

[21]) Praepositus annis 1710-1723. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 451. (scribit: Franciscus Carolus de Tahy de Tahvar).

[22]) Vincentius Walner. Vide n. 6.

[23]) Praepositus annis 1722-1732. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 437 (scribit: Vraclavsky).

[24]) Robertus Sancius. Vide n. 5.

[25]) Stambach, seu alibi: Steinbach vel Steinboch. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, col. 851; N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 474 et 468.

[26]) Ambrosius von Schöllingen, praepositus annis 1707-1736. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 307.

[27]) Nomen huius Praelati non indicatur, neque apud C. L. HUGO, *Annales*, I, col. 747; neque apud N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 439.

[28]) Carolus Tesch. Vide n. 15.

[29]) Adalbertus Pintar, praepositus annis 1718-1734; insimul praepositus in Harpach et in Türje. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 464 et 441 s.

Reverendissimum Dominum Abbatem Lucensem [30]) Vicarium Generalis Hungariae et Visitatorem Circariae Bohemiae.

His ita praemissis exposuit Reverendissimus Dominus Vicarius non tam in novarum constitutionum multiplicatione quam in receptarum observantia, perfectaque custodia earundem Religiosae vitae Summam consistere, eapropter Se non tam in novarum constitutionum conditarum quam uniformem observantiam eorum, quae in Capitulo Provinciali Anno 1719 in inclyta Lucensi Ecclesia celebrato in elaboratum e Capitulis Generalibus et Provincialibus extractum [31]), respicere, atque intendere, et si quae fors tunc oculum temporis arctitudine fugissent, vel explicatione egerent claritate, ea nunc dissipentur, eaque conciperentur ordinationes, quae ad plenissimam cunctorum observantiam conducentia, noscerentur.

Auspicium coeptum a formulari electionis [32]), quod iuxta conceptum Anno 1710 tenorem ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Generali quoque provisorie usque ad Generalis Capituli Conventum gratiossime confirmatum, instar Decretalium resolutive relectum est in Amplissimo Capitulo, visumque an non quaepiam pro plenissima electionis puritate et ordine exactissimo forent addenda, et occurrerat ad mox dicti formularis numerum lum dubietas.

1. Cui sigillum defuncti Abbatis deferendum, si non modo Pater Abbas, sed et Vicarius ipse fatis cessisset, resolvitque (p. 8) Amplissimum Capitulum, deferendum esse Visitatori, et si is quoque non foret superstes, Provinciae Seniori secundum Monasterii antiquitatem esse consignandum.

2. Numero tertio formularis iudicavit Amplissimum Capitulum addendum, quo Capitulares Sede vacante non modo ea, quae in Sacris Canonibus Tit. : *Ne Sede vacante*, sed et ea, quae in Sacris Statutis nostris Dist. 4, cap. 13 sunt ordinata, exacte observent.

3. Ad Numerum quintum formularis censuere Reverendissimi Comprovinciales, ut quemadmodum Pius V. in sua Bulla *Pastoralis officii* de Anno 1571. 28 Maii edita Religioni observantiam sub anathemate et privatione utriusque vocis ipso facto incurrenda interdixit, ita a simili sub gravium poenarum incursu subornato omnis interdicatur.

4. Quia Sacris Statutis omnino conformis est electio Praelati de

[30]) Vincentius Walner. Vide n. 6.

[31]) Haec supra publicata fuerunt. Cfr. pp. 275-302.

[32]) Hoc formulare infra publicatur in Appendice.

alieno gremio, quando extragremialis electio in maius Ecclesiae bonum profectum speratur, ut consimilis electio rite ordinateque peragatur, iudicavit Amplissimum Capitulum formulari electionis sequens resolutum inserendum, ut Pater Abbas Ecclesiae viduatae mature ex Capitulo viduato exquirat, an in gremialem vel extragremialem colliment, mentemque suam Patri Abbati, ad quale gremium alienum, et in quam extragremialem personam colliment, per singulares secretas epistolas quivis Capitularium in extragremialem tendentium (iis enim, qui in gremium collimant sufficiet Patri Abbati suam in gremiale subiectum generice exponere propensionem) indilate exponat, quo Pater Abbas cum Praelato eligendi et ipso eligendo super eius annutu tempestive correspondere, et Candidatum extragremialem advocati facere valeat ; quatenus sub electionis diem adesse, et scrutiinii exitum Candidatus personaliter praestolari queat.

(p. 9) 5. Repertum est numero eorum, qui a voce activa vi Sacrorum Statutorum arcentur, aggregandos eos, qui vetitas Sede vacante faciunt innovationes, iuxta Statuta Distinct. 4, cap. 13, num. 2 [33]).

6. Iudicarunt quoque Reverendissimi Patres in Comitiis Provincialibus congregati, ut non solum in electionis conclavi Statutorum Caput 12mum Distinctionis 4tae praelegatur, sed et caput 3. Dist. 2, *quibus virtutibus Praelatus ornari debeat*, ut tanto vivacius eligendi virtutes, quam Electores ponderare habent, mente teneant, censueruntque utile quoque, ut haec Capitula Statutorum etiam praevie e suggestu refectorii praelegantur.

7. Addendum non minus in formulari electionis antehac concepto censuere Amplissimi Provinciae Patres ad eum locum, quo installationis solemnia concinnarunt, sequentem resolutionem. Quod si autem exitus ab Ecclesia una ad aliam transferendus est talem translationem absque expresso Illustrissimi Domini Generalis consensu fieri vetent, eapropter tali conventui neque confirmatio Electo impenditur, neque obedientia promittitur (etsi hymnus Ambrosianus et exhortatio quaepiam fiat) quousque Illustrissimi Domini Generalis annutus obveniat, quo obveniente per Patrem Abbatem confirmatio Electo impenditur, per loci professos obedientia adspondetur et

[33]) Ita legitur in dicto numero Statutorum anni 1630: *Quicumque hanc constitutionem infregerint vel violaverint, voce careant et obedientia nominata, sintque ineligibiles toto tempore vitae suae ac iuramenta hac in re praestita, tamquam temeraria et illicita, et omnia quae sunt acta, non teneant, sed irrita sint et nulla.*

Electus installatur. Optant tamen et supplicant Amplissimi Comprovinciales Illustrissimo Domino Generali, quatenus gratiosissime indulgere vellet, ut liceat Patri Abbati Electo transferendo provisorio modo administrationem spiritualem et temporalem committere, eique Capitulares pari titulo obedire sint obstricti, cum id in Ecclesiarum speretur cedere fructum utilitatemque, et Illustrissimi Domini Generalis celsum ius ratificandi vel reprobandi electionem ex integro salvum consistere habeat, et alias etiam Sacri (p. 10) Canones Electis ante obtentam confirmationem administrationem impertiantur transalpinis, idque ob Ecclesiarum bonum, et ut prospiciatur locorum distantiae, quae quandoque confirmationem consimilem in tempore remoratur.

Sessio II

Horis pomeridianis

Consideratio facta est in hac sessione eorum, quae circa Officium divinum partim ex resolutis in extractu Anno 1719 compilato partim ex Ordinario occurrerant, et quidem :

1. Num processio iuxta Ordinarium cap. 33. Num. I, habenda sit etiam extra Dominicam occurrentibus festis Sanctissimi Nominis Iesu, Annuntiationis festo post Pascha occurrente, uti et festo Visitationis observanda, vel iuxta Processionale ea extra Dominicas omittenda, ubi Amplissimum Capitulum informatum a Reverendissimo Domino Vicario iamiam resolvere hoc dubium Processionalia nova recentissime allata, eapropter Processionalibus hisce standum ese potius quam Ordinario.

2. Cum Ordinarius cap. 40. Num. 3, praescribat Deo gratias in Vesperis canendum, nova vero Antiphonaria iubeant illud diebus, quibus usus est organi, per organum suppleri, eapropter resolvit Amplissimum Capitulum praescripto novorum Antiphonariorum esse deferendum. Item num secundum Alleluia Gradualis ab organo supplendum, vel a choro canendum, maiora in id collimarunt, ut insisteretur consuetudini hactenus receptae, ut per organum suppleatur.

3. Quaerebatur an Cursarius maioris Missae (p. 11) quandoque infra hebdomadam vacans. eo quod Pater Prior vel Subprior in Triplici vel duplici Missam Conventualem festivent, teneatur ad Missam hebdomadalem pro defunctis, ubi arbitratur Reverendissimum

Capitulum, si non ipsa cursum suum iam iam coepit, onere Missae hebdomadalis non obstringi. Similiter quaerebatur,

4. An specialis Missa hebdomadalis pro defunctis dicenda infra hebdomadam eam, qua Ordinis anniversarium post Sanctissimae Trinitatis et Sancti Gregorii festum agitur, adeoque per Sacerdotes Missa de tali anniversario persolvitur, ubi resolutio Ordinarii declarantis, tali die Missam aliam matutinalem non esse dicendam, ac proinde Missam anniversarii compensare missam quotidianam matutinalem pro defunctis, serviebat Amplissimo Capitulo, ut resolveret, per hanc Missam anniversarii quoque compensari Missam hebdomadalem pro defunctis in Ordinario praescriptam, non autem censuit ita.

5. Quoad eum officiantem, qui pro defuncto quopiam Confratre Missam cantat Conventualem de Requiem, ille enim personali obligationi suae satisfacturus, aliam praeterea Missam pro defuncto litare obstringitur.

6. Missam Conventualem soli Conventui, in quo Missa legitur applicanda, neque ad totum Ordinem extendi respondit Reverendissimus et Illustrissimus Dominus Generalis ad Capitulum Provinciale de Anno 1719 [34]). Num autem soli Conventui Religioso vel etiam familiaribus talis Conventus sit applicanda, quemadmodum in matura defuncti comprehenduntur familiares, Amplissimum Capitulum pleniorem sibi devotissime ab Illustrissimo Domino Generali exorat elucidationem, uti et

7. Resolutio Illustrissimi Domini Generalis Anno 1719 transcripta Amplissimo Capitulo declaratoria in numero Sex Religiosorum pro tribus Missis ordinis legendis [35]) necessariorum (p. 12) movit dubium, an etiam Abbas cedens sit comprehendendus cum hinc Statuta Sacra Dist. 2. Cap. 6. Num. 3. plene eximant, et stante Abbatis cedentis exceptione, an non par favor Abbati actuali, qui tamen saepius pro ovibus suis sacrificare obstringitur, concedendus foret, uberiorem Illustrissimi Domini Generalis gratiosam sibi exorat declarationem.

8. Missa ad impetrandam gratiam bene moriendi in singulis Ecclesiis ad anni initium iuxta propositionem Anno 1719 factam peragatur.

[34]) Cfr. n. 5 litterarum harum Domini Praemonstratensis, supra, p. 302.
[35]) Cfr. n. 5 harum litterarum, supra, p. 302.

9. Quoad Officia Beatorum Ordinis nostri, contra quae emanavit declaratio Sacrae Congregationis Anno 1726, die 10 Februarii per Abbatem Rothensem procurata, exposuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis respondisse sibi Illustrissimum Dominum Dominum Generalem, nihil esse immutandum, cum Illustrissimus Dominus Generalis veriorem rei statum Sacrae Congregationi exposuerit, favorabileque speretur resolutum, et preces Domini Abbatis Rothensis rei statum insincere explicuerint.

10. Cum Augustissimus Imperator pro terris haereditariis a Sanctissimo Innocentio XIII. festum Sanctissimi Nominis Iesu cum indulgentiis plenariis Dominica prima post Epiphaniae octavam de praecepto celebrari obtinuerit, eapropter pro populi aedificatione et spirituali fructu, quatenus festum hoc a 14 Ianuarii ad mox fatam Dominicam transferre liceat, Illustrissimo Domino Generali Congregatio Capitularis censuit devotissime supplicandum.

11. Clavis generalis pro cubiculis Religiosorum soli Abbati et Conventus Praesidi concedenda, pro cubiculis autem Officialium clavis generalis soli Praelato competit.

(p. 13) 12. Similiter Superiores Conventuales non sunt gravandi aliis obedientiis distrahentibus eos a functione sui officii, utque vespertino tempore diutius quieti dormitorii intendere valeant, eis quies nocturna ita indulgetur, ut unum eorum duntaxat interesse nocturno matutino sufficiat. Superiores Conventuales autem Priore inferiores Patris Prioris ordinationes quoad observantiam regularem non infringant. Priori vel alteri Praesidi Conventus advenientes forenses absente Praelato se praesentent, uti et Priori et Praesidi Conventus innuatur exitus ad Abbatem etsi domi existentem, subleventque Superiores Abbatem in culparum correctione, et quivis Superior in suo Capitulo id indilate corrigat, quod ipse corrigendum deprehendit.

13. Occultum defectum in Sacrificio Missae commissum absque culpa celebrantis et secluso omni Scandalo arbitrarie punire valeat Praelatus.

14. Quoad Confraternitates, eae pro Monasterio particulari cum consensu Capituli indulgendae.

Sessio III

Die 13 Maii horis antemeridianis

Sacrum de Beatissima Virgine Maria ritu Pontificali solemnizavit Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Ferdinandus Comes ab Hohberg, inclytae Ecclesiae Vincentinae Abbas [36]).

1. Sacra Ordinis ieiunia et abstinentiae, circa quas ponderata declaratione Sacrae Congregationis emanata Anno 1725. die 15 Decembris, et inter Circariam Suevicam et Vicarium eiusdem (p. 14) Circariae actis ponderatis repertum est, nomen dispensationis in ea sumi laxitate, qua dispensationis nomen aliquam ordinariam et quasi totalem pro libitu volentium huius Sacrae observantiae significat relaxationem, quo in sensu agnoscit totus Praelatorum Comprovincialium Coetus, hanc sic ampliatam dispensandi potestatem nunquam fuisse, neque esse Ordini competentem, sed eam per expressum in Bulla Iulii II [37]), esse praecisam, neque dispensationem sed dissipationem legis dicendam. Quoad potestatem autem commutandi graviori existente causa in casu aliquo particulari, hoc sensu dispensandi potestatem perspicue innuit Capitulum Generale de Anno 1666. Sess. 6 [38]) notumque est, Illustrissimos Dominos Generales eam in se agnovisse et exercuisse, neque eam Bulla Iuliana perstringit vel denegat, quin potius implicite eam concedit, solum dispensandi facultatem in votis substantialibus excipiens : quae tamen non ea de causa Capitularis Consessus his inseruit actis, quasi legem tam Sacram tam fructuosam aversaretur, quin potius contestatur Consessus totus, se legem hanc toto amplecti corde, neque velle ullum Reverendissimorum Comprovincialium aliquam expetere pro suis Communitatis Religiosis dispensationem, nisi eae vel respective suppares adsint causae, quae ab Ordinariis seu Episcopis praxi Germaniae ad dispensandum in ieiunio quadragesimali recipiuntur ut

[36]) Vide n. 1.

[37]) Haec bulla, publicata anno 1503, impressa habetur in editione Statutorum Ordinis anni 1630, Averbodii, 1898, pp. XXII-XXXII. Vi huius Bullae, Patribus Ordinis conceditur potestas Statuta immutandi, minuendi vel complendi, exceptis nonnullis in Bulla indicatis, uti in materia abstinentiae a carnibus et ieiunii.

[38]) Legitur loco indicato Actorum Capituli generalis anni 1666: *Quaesivit R. D. Ninoviensis an Abbas possit quandoque dispensare pro toto Conventu ab esu carnium in Adventu et Septuagesima ? Respondit Capitulum non posse, sed ad Vicarium recurrendum.* Ms. Nancy 1767, fol. 323 r°.

probatae, quarum veritatem petituri dispensationem Domini Praelati in suas recipere volunt conscientiam, eoque cauto, quod maior causa commutationis faventioris et aliqua benignitate mixta pro aliqua tota absentia quam eius parte duntaxat exigatur, eo insuper respectu, ut nulla unquam pura dispensatio concedatur, quae non sit commutatione in opus proprium permixta, et observato ieiunio adventuali quoad (p. 15) collationem, quando fors necessitas exigeret esum carnium adventuali tempore indulgendi, quoad particulares quoque personas dispensandas, Reverendissimi Domini Comprovinciales zelum suum se exhibituros, et pro favore Sacrae abstinentiae sollicitos futuros adsponderunt.

2. Quoad accessum ad Praelatum distantem poena fugitivorum puniendorum relictum Praelatorum arbitrio discernendum. Si causa accedendi momentanei fuit periculi, licentia humiliter petita, etiam iterato, ac derogata, neque negotium per epistolam commode proponi ac terminari quibat, at alias animus divagandi ex parte accedentis intercedens non poterat dispici, talem poenae fugitivorum neutiquam esse subiiciendum, colligit Amplissimum Capitulum ex dato Illustrissimi Domini Generalis responso ad Capitulum Provinciale de Anno 1719 [39]).

3. Iniuria carnis, quae censeatur, ut ex ea anathema incurratur iuxta resolutionem Illustrissimi Domini Generalis ad Capitulum Provinciale de Anno 1719 [40]). Veniebat tandem ponderanda, et censuere Patres Amplissimi quoad iniuriam realem corporalem, eam enormem censeri, quae aequivalet percussioni enormi quoad Canonem *Si quis suadente* vel ex circumstantiis qualificatae, ut si sacerdoti Sacris vestito, vel Subpriori immediato irrogaretur : Iniuria autem realis enormis quoad facultates ea censenda, quae tanta est, ut damnificatum fere ad pauperiem deducat. Verbalis demum ea, quae et infamatum in Status sui discrimen deduceret, si iniuria ei iudicialiter probaretur.

4. Novitiatu communi adhuc ob temporum difficultatem non erigibili [41]), tempus eius ultra tempus annuum ad minus ad quadrantem anni protrahendum, nisi speciales vel Monasterii circumstantiae atque necessitas, vel personae professurae qualitas arbitrio

[39]) Vide n. 2 harum litterarum Domini Praemonstratensis, supra, p. 302.

[40]) De hac re egit Capitulum Provinciale anni 1719, in sess. 3a, nr. 12. Cfr. supra, p. 288.

[41]) Cfr. nr. 4 litterarum Domini Praemonstratensis anni 1719, supra, p. 302.

Reverendissimorum Praesulum ponderandae aliud suaderet : Novitios quoque (p. 16) pro possibili a Professorum conversatione sequestrandos resolvit Amplissimus Consessus.

5. Dum in extractu Anno 1719 compilato dicitur mollitiem cum complice consummatam venire nomine lapsus carnis [42]), id de reservatione duntaxat intelligendum, non item de criminali aequali punitione alias in Statutis lapsui carnis taxata.

6. Pro habendo criminoso, quodnam censeatur grave Scandalum carcere puniendum conformiter ad Statuta Distinct. 3. cap. 14. Num. 2. Existimant Comitia Provincialia, eum censendum esse gravis Scandali admissi reum, qui adeo delinquit, quod ordinem candidum, vel aliquam eius domum in periculum gravioris mali quoad facultates vel litium sumptuosarum discrimen coniiciat, vel abominationem tantam Ordinis apud alios causat, quod progressus Ordinis praepediretur, vel etiam aliqua Ordinis domus exstirpationis subiret periculum, nisi aliunde effectus praepediretur, vel tantam Ordini candido infamiae procreat notam, ut in aliqua Provincia vel Urbe insigni ex hinc etiam innocentes contemptui publico habeantur.

7. Quoad taxatam Statutis poenam perpetui carceris Distinc. 3. cap. 8. Num. 9. ubi ea Statuta est reis de exfornicatione et *similibus*, ortum est dubium, an per ly et *Similibus* solae exfornicationi aequiparabiles luxuriae species intelligendae, quoad alia vero delicta luxuriae, sanguinis, reverentiae, et fidei matrimoniali adversantia, ea omnino gravius quam simplex carnis lapsus corripienda, uti et si quispiam malitia animi in similibus inhabituatus, reperiretur, eidem pro circumstantiarum qualitate poena alias prolapsum carnis Statuta duplicanda, vel etiam triplicanda, victusque tenuior addictandus.

(p. 17) 8. Non modo plurium consanguineorum ad idem Monasterium receptio prohibita, sed et plurium parium fraternorum, est in Parthenonibus cavenda.

9. Si in eam quis incideret oris incustodiam, quod violati Sigilli Sacramentalis reus esset, qua poena sit coercendus. Dubio proposito resolutum est, eum duplae poenae violatum Secreti Ordinis in Statutis taxatae subiiciendum.

10. Supplicat humillime Illustrissimo Domino Generali totus Consessus Capitularis, quatenus Sacri Ordinis privilegia ab Innocentio X. Anno 1654. 13 Iunii confirmata de novo firmari faceret, et sub hoc

[42]) De hac re egit Capitulum Provinciale anni 1719, in sess. 3a, nr. 3°; vide supra, p. 286.

Pontifice Regulari etiam declarationem procurare dignaretur, Ordinem nostrum Candidum, etsi Verbis non sit expressus, mente tamen Pii V comprehensum in Bulla Anno 1567. 17. Calendas Septembris edita, qua mendicantium privilegia ad alias omnes sacras Religiones benignissime extendit.

11. Transcripta ab Illustrissimo Domino Generali Anno 1719 [43]) quoad chorum Sacromontanum resolutio praesentibus inserta est actis, diebus magni concursus peregrinantium eum in Sacello domestico per pauciores persolvi posse, in quo etiam matutinae peragi quibunt, aliis Canonicis horis in adsito Arae Thaumaturgam continentis oratorio persolutis. In memorato X. Conventu deinceps etiam Subprior cum suis praerogativis statuendus.

12. Preces Reverendissimi Domini Horpaczensis [44]) Praepositi quoad eliberationem Sui ab onere Bathianianae familiae promisso sunt ad inquisitionem commissae Reverendissimo Domino (p. 18) Vicario Hungariae, et Reverendissimo Domino Abbati Zabrdovicensi [45]) ut simul Praeposito Montis Sancti Ioannis in Hungariae Regno.

Sessio IV

Horis pomeridianis

1. Referebat Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis, qualiter Pater Dionysius Albrecht [46]) Communitatis antiqui rigoris professus Caesari Augustissimo supplicuerit pro erigenda Anglo-domi Reformatorum residentia quoad dotationem et conservationem olim Circariae Bohemicae incorporanda, quia vero haec residentia quoad dotationem et conservationem olim Circariae Bohemicae onerosa fieri potuisset, insuper diversa exhinc oriri incommoda, ipsaque per iam dictum Patrem Dionysium hinc inde porrecta in quampiam notam residui Ordinis Reformatis non aggregati cedere videbantur, dicebat se Regio Gubernio ex officio porrexisse scriptum, quo non solum omnis nota quoad dispensatos super Ordinis abstinentia per-

[43]) Cfr. n. 14 litterarum Domini Praemonstratensis, supra, p. 303.

[44]) Cfr. n. 23.

[45]) Hugo Bartlitius, abbas annis 1712-1738. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1181; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 320.

[46]) Dionysius Albrecht, natus Bohemus, professus in abbatia Stivagiensi, in Gallia hodierna. Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., I, p. 17 s.

petua anteverteretur, sed et omne praeiudicium quodcunque mature praepediretur, fecitque hoc Scriptum per Patrem Secretarium praelegi, in quo sibi Particularis Congregatio plurimum complacens, Reverendissimo Domino Vicario pro sollicitudine laboreque suo peramplas referebat gratias. Postquam gratiarum dispensationem retulit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis scriptas sibi Roma a supra dicto Patre Dionysio literas supplices, quibus obsecrat ut rursus Ecclesiae Teplensi et ita per consequens Circariae nostrae incorporari possit, spondens procuraturum se a Sede Apostolica absolutionem ab obedientia Vicarii Communitatis antiqui rigoris sic dictae, cui petito annuit quidem Amplissimum Capitulum, sub sequentibus tamen conditionibus. 1°. Si ipsam hanc absolutionem a Sede Apostolica obtinuerit ? 2° Si se quoad amictum (p. 19) Circariae nostrae conformaverit, neque specialium esurialium ciborum praeparationem pro se exegerit ? 3° Si Circariam nostram assecuraverit, Se per meditatem reformationem non velle turbationem quampiam motusque excitare ? 4° Ea sub conditione, ut deinceps in Conventu Teplensi persistat, neutiquam vero deforis in quapiam particulari residentia degere exposcat, quam ipsam resolutionem iussus est Pater Secretarius memorato Patri Dionysio Romam transscribere.

2. Obsecrat Illustrissimum Dominum Generalem totum Capitulum Provinciale, quatenus communicare gratiosissime dignetur fundamenta, e quibus censuit Suis in responsoriis Confessarios monialium non egere approbatione Episcopi ; obsecratque ut in hac parte Roma Parthenonem Czarnovancensem [47]) defendere ac protegere dignaretur.

3. Ipse Reverendissimus Dominus Vicarius obsecravit Amplissimum Capitulum, quatenus renovatam illam concessionem praerogativae Illustrissimo Domino Vito [48]) piae memoriae Abbati Sioneo eiusque Succesoribus sessionem in Politicis Regni Comitiis per speciale instrumentum in Capitulo Provinciali Anno 1691, die 28 Sep-

[47]) In Silesia orientali. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, I, col. 589-594; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 338.

[48]) Vitus Seipel, abbas Strahoviensis ab anno 1690 usque ad annum 1711. Anno 1701, episcopus suffraganeus archiepiscopi Pragensis. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 302; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 313; L. Goovaerts, *Ecrivains,...*, II, p. 173 s.; A. Zak, *Episcopatus ordinis Praemonstratensis*, in *An Praem.*, V, 1929, p. 24.

tembris conceptum [49]) denuo corroborare dignaretur actis praesentibus, quod ita foventissime quoque annuit Capitularis consessus.

Sessio V

Die 14 Maii horis antemeridianis

Missam Solemnem de Sanctissimo Patre Norberto in apparatu Pontificali celebravit Reverendissimus, ac Amplissimus (p. 20) Dominus Ecclesiae Zabrdovicensis Abbas [50]).

1. Exposuit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis Amplissimo Capitulo Pernecensis [51]) Ecclesiae statum, qualiter nempe Augustissimus Caesar pro sua erga fundationes Sacras clementissima propensione non modo Statum perditorum Pernecensium disquiri fecerit per Excelsum Regimen Austriacum, sed et Creditores, qui absque consensu Caesareo mutuarunt, et de in rem verso non docuerant, iusserit abire inanes, cum aliis quoque tractatum celebrari fecerit, vi cuius fati creditores ex debitorum Pernecensium Summa 1000 florenorum remiserint, et sequestratura proventuum sub vigilantia Reverendissimi Domini Gerasensis Abbatis iam quoque 12000 florenorum sint diluta, solumque remaneat adhuc onus debitorum 5000 florenorum, quod restans aes alienum sperat memoratus Reverendissimus Dominus Abbas Gerasensis [52]) intra 12 annos diluere permanente in Statu per Aulam Caesaream concepta sequestratura dictorum proventuum. Venerabatur totum Amplissimum Capitulum Clementissimam Caesaris dispositionem, laudabatque plurimum labores et sollicitudines saepius fati Amplissimi Domini Abbatis Gerusensis, qui cum pro parte Vadem egerit super mutatis pro solutione Creditorum importunorum viginti millibus florenorum et restantibus debitis, ne fors ex hinc quandoque Sua patiatur Ecclesia, si Status rerum oeconomicarum per inexspectatum infortunium vel vim maiorem fieret Pernecii insufficiens, adsponderunt Reverendissimi Domini Comprovinciales, se in tali insperato casu viribus omnibus Ecclesiam Gerusensem ratione sui vadimonii succollaturos.

[49]) Hoc documentum non refertur in Actis huius Capituli, supra, pp. 174-211. publicatis.

[50]) Hugo Bartlitius. Vide n. 45.

[51]) Pernecium, seu Pernegg, in Austria inferiori. Cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 533-546; N. Backmund, *Monasticon*, I, pp. 305-307.

[52]) Vide n. 17.

2. Quia vero melius est, causam intactam servare, quam rei vulneratae remedium quaerere, Congregatio Provincialis eo sua direxit consilia, ne deinceps Praelati in similia debita (p. 21) Ecclesias suas valeant praecipitare, in quam praecautelam resolvit, ut conformiter ad Sacra Statuta Distinc. 4. cap. 31. Num. 3. quoad mutuum novum notabile procedatur, et quoad redditionem computuum ea exactissime observentur, quae in Statutis Dist. 2. cap. 16. Num. 13 et 14 sunt praescripta, Patresque, Abbates, quo huic observantiae intendant, commonefiebant et pro uberiori cautela resolutum est, ut ii Priores et Seniores Domus, qui sine Patris Abbatis annutu (nisi fors periculum in mora annutus exspectationem non admitteret, quo usu illud saltem ex post eidem innuendum) nec non ii Priores, qui sine Maiorum de domo consensu chyrographa subscripserint, ab officio suo deponantur, et per quinquennium sint ad beneficia inhabiles.

Notabile autem censetur mutuum respectu Monasterii primae classis 5000 florenorum, respectu secundae classis vero 2000 florenorum et ut assensus habeatur notitia, in quavis Canonia Protocollum habeatur super conclusis Similibus, uti et aliis sive in pleno Capitulari sive Maiorum de domo consessu resolutis.

3. Resolvit quoque Amplissimum Capitulum, ut in Missa Pontificali in Ordinis nostri Ecclesiis celebranda aequaliter observent ceremonias in Ordinario praescriptas, in iis passibus vero, qui in Ordinario non sunt definiti, Ceremoniale Episcopi a Clemente VIII. praescriptum observent.

4. Relatione facta transscripti a Reverendissimo Domino Praeposito Horpaczensi [53]) petiti, quo expetiit eliberationem ab onere Missarum fundationis Pathianianae, censuere Reverendissimi Domini Comprovinciales, quamdiu proventus Tyriensis [54]) Praeposiurae effective percipiuntur, et Parthenianos caruisse iure primariarum precum, non remonstratur, eius petito deferri non posse.

5. Quoad festum Sancti Marci concurrens cum festo Lanceae Domini observetur recepta in Dioecesi praxis quoad haec festa.

(p. 22) 6. Pro accelerandis defunctorum suffragiis censuit Amplissimus Consessus, quatenus etiam infra Octavas sine apparatu funebri persolvatur Officium Defunctorum cum commendatione et Missa de festo assumpta in Missa pro defuncto sub collecta.

[53]) Horpach, seu Horpacs, in Hungaria. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 441 s.

[54]) Türje, in Hungaria. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, pp. 462-464.

7. Ut Patres Priores officio suo fungantur sedulius, iidem recommendantur Reverendissimis Dominis Praelatis, ut post labores exantlatos, congrue promoveantur, et durante etiam officio ipsis frequentius consolatio quaepiam impendatur.

8. Recensebant Revisores aerarii Provinciae eiusdem Statum, quem Reverendissimi Domini Comprovinciales ratificarunt, et unius taliae collectionem indixerunt.

9. Requisivit Reverendissimus Dominus Vicarius et Amplissimum Capitulum, quo apud Illustrissimum Dominum Generalem interveniret, quatenus Sibi qua Abbati Milovicensi controversatum a Reverendissimo Domino Abbate Osterhoviensi super Ecclesia Plagensi Ius Paternitatis decidere dignaretur [55]), quem in finem ex Archivio Provinciae exhibuit documenta Plagensia, ex quibus perspicuum est, Abbatem Langheimensem, cui primitus fundatio haec data, directe ius Suum cessisse Abbati Milovicensi, Milovicensem quoque coloniam post Monachos griseos seu Cistercienses Plagam inductam fundationes Monasterii contestantur. Cui petito Reverendissimi Domini Vicarii deferens Amplissimum Capitulum hisce devotissime supplicat Reverendissimo ac Illustrissimo Domino Generali, quatenus hanc controversiam finaliter decidere dignaretur ; qua de causa documenta supra mentionata vidimata accludit et praesentat.

10. Repraesentato Statu desolati Kanicensis [56]) Monasterii per Reverendissimum Dominum Vicarium, Reverendissimi Domini Praelati Doxanensis et Cotieschoviensis sese obtulere, quivis ad tres Vestales pro tempore intertenendas, ut ita successive spes resuscitationis refulgeat.

Sessio VI

Horis pomeridianis

(p. 23) 1. Retulit Reverendissimus Dominus Vicarius nominationem novi Procuratoris Generalis admodum Reverendi Domini

[55]) De abbatia Milovicensi, cfr. C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 283-286; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 301 s.; C. L. Hugo, l. c., col. 286, aliquid habet de disputatione in hoc Capitulo memorata.

[56]) Cfr. de hoc monasterio C. L. Hugo, *Annales*, II, col. 1-4; N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 294 s.

Norberti Mattens [57]), Praesidis Collegii Sancti Norberti Romae, qui ut munere suo cum maiori decore defungatur, eundem Illustrissimo Domino Generali pro conferendo ei Abbatiali titulo impensissime commendat, talias quoque consuetas eidem annuit.

2. Referebat Reverendissimus Dominus Vicarius, quemadmodum ratum gratumque fuerit Eminentissimo Cardinali Albani Candidi Ordinis Protectori munus submissum, legique fecit epistolam gratiarum actionum, super qua sibi Patres Comprovinciales plurimum congaudebant.

3. Communicavit quoque pro notitia Reverendissimus Dominus Vicarius Amplissimo Capitulo Caesaream Clementissimam resolutionem declaratoriam, non exspirare mandatum Procuratorium signatum ab Abbate et Priore Conventus nomine, etsi intermedio litis tempore Prior a Suo officio sit absolutus aliusque substitutus.

Quibus ita actis fecit Reverendissimus Dominus Vicarius Generalis praelegi totius Capituli acta, his relectis sermone suavi pro tam prompto ad Solemnia Saecularia Norbertinas Translationis accursu [58]), et ad Capitularia Comitia conventu, ac laboribus utrinque exantlatis gratias egit quam maximas, dictione autem gravi cunctos per Spiritum Norbertinum, qui Sacra inhabitavit olim Norbertina Lipsana, exhortabatur quo omni in id colliment studio, quatenus ea quae in continente cuncta priora Comitia conclusa Generalia et Provincialia extractu Anno 1719 concinnato, et in praesenti congressu sunt resoluta cum suis Sacris Statutis in plenissimam ubivis transeant observantiam, ac ita inclyta haec Circaria illo gaudeat, et potiri mereatur elogio, quod non modo Norbertini Sacri Corporis, sed Spiritus sit exactissima Custos.

Acta sunt haec in Capitulari Consessu Provinciali Pragae (p. 24) in Regia Ecclesia Strahoviensi Anno Salutis 1727. Die 14 Maii. In quorum fidem consueta Capitularis subscriptio et consignatio.

[57]) Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., I, p. 575 s. Collegii Ordinis in Urbe praeses ac procurator Ordinis Romae inde ab anno 1726.

[58]) Capitulum hoc Pragae celebratum fuit anno 1727, eo quod primum anniversarium centenarium in memoriam revocabat celebris translationis sacri corporis S. Norberti in ecclesiam Strahoviensem. Cfr. prima sessio huius Capituli, pp. 305-309.

(L. S.) Marianus Abbas Sioneus, Vicarius Generalis [59]).

(L. S.) Daniel Abbas Siloensis [60]).

(L. S.) Vincentius Abbas Lucensis [62]) Visitator et Vicarius Generalis Hungariae.

(L. S.) Raymundus Abbas Teplensis [64]).

(L. S.) Michaël Abbas Gerusensis [66]).

(L. S.) Ambrosius Abbas Pernecensis [68]).

(L. S.) Dominicus Praelatus Cotieschoviensis [70]).

(L. S.) Eustachius Praelatus Czarnovancensis [72]).

(L. S.) Robertus Abbas Gradicensis [61]).

(L. S.) Ferdinandus Abbas Sancti Vincentii [63]).

(L. S.) Hugo Abbas Zabrdovicensis [65]).

(L. S.) Ioannes Abbas Plagensis [67]).

(L. S.) Iosephus Praelatus Doxanensis [69]).

(L. S.) Nepomucenus Praelatus Neo-reischensis [71]).

(L. S.) Ioannes Carolus Praelatus Iassoviensis [73]).

P. Candidus Lerch professus Sioneus et Vicariatus Provinciae Secretarius iuratus [74]).

P. Norbertus Prior Sioneus.

P. Wenceslaus Prior Siloënsis.

P. Georgius Sadeczky Prior Gradicensis.

P. Michaël Dresner Prior Lucensis.

P. Leo Clement Prior Vincentinus.

P. Ioachimus Prell Prior Teplensis.

P. Iacobus Tichan Prior Zabrdovicensis [75]).

[59]) Vide n. 1.
[60]) Vide n. 8.
[61]) Vide n. 5.
[62]) Vide n. 6.
[63]) Vide n. 10.
[64]) Vide n. 11.
[65]) Vide n. 17.
[66]) Vide n. 52.
[67]) Vide n. 12.
[68]) Vide n. 26.
[69]) I. Mika, praelatus annis 1709-1733. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 289.
[70]) Dominicus Peterka, praelatus annis 1707-1737. Cfr. N. Backmund, *Monasticon*, I, p. 287.
[71]) Vide n. 13.
[72]) Vide n. 14.
[73]) Vide n. 15.
[74]) Vide n. 19.
[75]) Cfr. L. Goovaerts, *Ecrivains*,..., II, p. 247.

P. Valerianus Fridrich Prior Milovicensis.
P. Maximilianus Kiechl Prior Plagensis.
(p. 25) P. Wolfgangus Troblisch Prior Neo-Reischensis.
P. Augustinus Gruber Prior Sacromontanus [76]).
P. Gregorius Kvasniczka Decanus Znoymensis.
P. Godefridus Kaleiczka pro Parochis Sioneis et Milovicensi.
P. Martinus Krzizek pro Parochis Siloënsibus.
P. Mattheus Planiczka Parochus Brezessoviensis.
P. Cosmas Karger Parochus Hundtsfeldensis, Can. Vincent.
P. Christophorus Schmidt Pro-Parochus Teplensis [77]).
P. Franciscus Mozni Pro-Parochus Zabrdovicensis.
P. Hyacinthus Schmalhofer Parochus Blumaviensis, Can. Gerusensis.
P. Wolffgangus Obermiller Pro-Parochus Plagensis.
P. Nicolaus Freisleben Pro-Parochus Doxanensis [78]).
P. Fridericus Kreisl professus Teplensis Pro-Parochus Cotieschoviensis.

Reverendissimi et Illustrissimi Domini Domini Generalis

CONFIRMATIO

Amplissime Domine, Fili et Charissime Confrater,

Legimus et perlegimus Recessum Capituli vestri Provincialis de 12 Maii et diebus sequentibus huius anni 1727. totumque et singula eius puncta laudavimus, probavimus, et confirmavimus, laudamus, probamus, et confirmamus, exceptis quae sequuntur.

E Sessione prima

(p. 26) Artic. 4. ubi agitur de extra-gremiali eligendo, tunc standum est Statutis, nec debet eligendus interesse electioni, ut electio sit perfecte libera.

E Sessione secunda

Artic. 6. Missa Conventualis extendi potest ad Familiares Capituli.

[76]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 332.
[77]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., II, p. 150 s.
[78]) Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains*,..., I, p. 271 s.

Artic. 7. Abbas actualis non comprehenditur inter sex sacerdotes cursum suum facientes.

Artic. 9. Probata sunt festa Ordinis nostri Beatorum propter rationes a Capitulo et a te Domino Strahoviensi in ultima tua ad nos epistola super hoc recensitas.

Artic. 10. Propter reverentiam Bullae Innocentii XII, et populi aedificationem festum Nominis Iesu poterit celebrari prima Dominica post Epiphaniam in terris haereditariis Caesareis tantum, non ultra.

E Sessione III

Artic. 1. Bulla Iulii II. observetur quantum ad abstinentias et Ordinis ieiunia sicut Praemonstrati observatur.

Artic. 7. In casibus circa species luxuriae propositis standum est Statutis.

Artic. 10. Scripsimus Romam pro confirmatione (p. 27) Privilegiorum Ordinis et communicatione privilegiorum nobis facienda specialiter, scribite et vos Procuratori Generali in eundem finem.

E Sessione quarta

Artic. 2. Exemptio Confessariorum Monialium fundatur in exemptione Ordinis et in usu perpetuo.

E Sessione Vta

Artic. 9. Negotium Dominos Strahoviensem et Osterhoviensem inter, cum non possit iuridice terminari inaudita parte altera, ad proximum Capitulum Generale brevi futurum remittimus.

F. Claudius Honoratus Lucas [79]),
Praemonstrati Abbas et Generalis.
Concordat cum originali.
Marianus (autogr.) [80]).

Praemonstrati 23 Junii.
Anno 1727.
(L. S.).

[79]) Vide n. 2.
[80]) Vide n. 1.

(p. 29) PUNCTA, quae a Reverendissimis Illustrissimis, Eximiis, ac Amplissimis Dominis Praelatis in Capitulo Provinciali Pragae in Monte Sion die 12 Maii Anno 1727. celebrato unanimi consensu resoluta, et ad observandum pro omnibus Circariae nostrae Canoniis decreta ac demandata sunt.

1. Quoad Symbolum Apostolorum in omni festo triplici dicendum occurrerat dubium, num ita dicendum, cum Capitulum Generale de Anno 1670. sess. 8. resolverit, non ita dicendum, nisi Missale vel Ordinarius ita praescribat, Missale quoque in festo S. Ioannis signate dicat non esse dicendum nisi in loco Patrocinii, quo non obstante Missale asserit indefinite in Triplici dicendum, qua in dubitatione resolvit Consessus Capitularis Symbolum Apostolorum in omni festo triplici dicendum.

2. Festum S. Adalberti in Archi-Dioecesi Pragensi infra octavam Paschae occurrens iuxta praxim immemorialem Archi-dioesanam celebrari valet, sed cum ritu in Breviario Ordinis praescripto sub Triplici nempe nocturno, consuetisque Capitulo et hymnis.

3. Conventus Sacro-Montanus patricinio Matris Visitantis gaudens, ut transferre valeat festum Beatorum Martyrum Gorcomiensium in diem proximo accommodum, uniforme est Breviario novissimo, quod ita transfert propter Epiphaniae octavam festum Beati Godefridi Confessoris non Pontificis.

(p. 30) 4. Quoad prohibitum iam in Capitulo Provinciali de Anno 1719 usum pulveris capillaris, addere voluit Amplissimum Capitulum transgressores poena arbitraria corrigendos et abusum eius omnimodis cohibendum.

5. Quoad mitrellas modestas gestandas eo quoque Statutum procedens venerat clarificandum, etiam a Conventuali usu omnes mitrae holosericae vel etiam sericae eliminentur.

6. Quoad cingula retiata frequentius interdicta, et ab Illustrissimo Domino Generali penitus reprobata, ut observentur constitutiones sacri Ordinis, impensissime commendatum est.

7. Similiter declarat Amplissimum Capitulum usum sericeorum tibialium esse interdictum.

8. Quoad titulos Religiosorum privatorum, qui se Dominos dicere prohibentur, a fortiori vetantur titulos sibi arrogare saecularis nobilitatis suae, si qua in saeculo potiebantur, neque deinceps a quopiam consimilis titulatura eis attribuenda.

9. Contra votum paupertatis graviter delinquit lusu foliorum

cum Confratre domestico ludens et perdens quantitatem alias reservatam et eius semissem. Quoad materiam paupertatis Patres Priores aequiparantur forensibus extra Conventum degentibus.

10. Confessarios extraneos semel vel bis concedere communitatibus (p. 31) Religiosis in Reverendissimi Domini Abbatis localis placitum reiicit Reverendissimum Capitulum.

11. Missa pro felici morte impetranda in colore violaceo sine gloria et credo persolvenda.

12. Clavis generalis in P. Prioris absentia P. Subpriori, et in P. Subprioris absentia P. Circatori consignanda, soli Conventus Praesidi competit.

13. Recreatio hebdomadalis exitus, quam Amplissimum lubens favet Capitulum. paternae Reverendissimorum Dominorum Praelatorum discretioni relicta manet.

14. In festo duplici praepedito vel absente P. Priore, Subpriore et Circatore, Senior Conventus festivat officium.

Acta sunt haec in Capitulari Consessu Provinciali Pragae in Regia Ecclesia Strahoviensi Anno Salutis 1727. Die 14 Maii.

Concordat cum suo originali (autogr.)
Marianus.

(L. S.).

1780

Anno 1780 celebratum fuit Capitulum provinciale in canonia Gradicensi, in quo iterum actum est de iure paternitatis abbatis Lucensis in canoniam Iasoviensem. Cfr. E. HERMANN, *Andreas Sauberer, erster Abt von Jaszo*, in *Anal. Praem.*, II, 1926, p. 377.

15

(p. 1) EXTRACTUS ALPHABETICUS CAPITULORUM GENERALIUM ET PROVINCIALIUM ad observandum compilatus, et a Reverendissimis Dominis Dominis Circariae Bohemiae Praelatis in Provinciali Dioeta Lucensi congregatis revisus, et pro observantia toti Inclytae Circariae commendatus [1]).

A.

Abbates omnes et singuli in Capitulo Generali comparere debent. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 12. Salvo eo, quod vi Statutorum Dist. 4. cap. 1°. Num. 1° remotioribus Circariis indulgetur, duorum Deputatorum ablegatio.

Abbates sub privatione iuris per electionem quaesiti ipso facto incurrenda prohibentur confirmationem petere a Dioecesanis, sed recurrere debent ad Instantiam Ordinis. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 15.

Abbatem Illustrissimus Dominus Generalis, vel eius Vicarii, non item Pater Abbas potest deponere. Cap. Gen. Anno 1657. Sess. 14.

Abbatis defuncti sigillum ad Patrem Abbatem vel eo mortuo aut longe dissito ad Vicarium mittendum, committendaque per Patrem Abbatem cum regiminis Priori, Subpriori, et Provisori, vel aliis duobus vel pluribus de Conventus auxilio, qui tamen in gravioribus causis, visitatione, professione Novitiorum, emissione ad Beneficia, etc. (p. 2) ad Patrem Abbatem recurrent, praesentatione tamen

[1]) Index iste non est index proprie dictus eorum quae in Capitulis in praesenti editione publicatis continentur. Potius praebet compendium eorum, quae ad mentem Patrum Capituli provincialis anni 1719, observari debebant in Ordine nostro, speciatim in Circariis quorum Capitula plura hic edidimus. Ideo et hoc compendium seu indicem edimus, sub ea forma qua in collectario praesentium Capitulorum legitur. Cumque praesens Index iussu Patrum Capitularium anno 1719 paratus et promulgatus fuerit, ac ab iisdem Patribus in fine subsignatus, merito ut documentum quoddam capitulare istius temporis censeri debet.

ad Beneficium per Patrem Priorem et duos assistentes subscripta. Anno 1663. Sess. 8.

Abbati praesertim ad loca longe dissita proficiscendo prohibetur absentatio per quindenam vel mensem sine licentia Patris Abbatis vel Vicarii. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 7.

Abbates in Capitulo Generali sedent secundum ordinem suae installationis, salva primorum Abbatum et Definitorum praecedentia. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 8.

Abbates et Praelati antevertere debent, ne in suis Praelaturis vel Residentiis per hospites excessus admittantur. Capit. Gener. Anno 1687. Sess. 2.

Abstinentiae et ieiunia expressa in Bulla Iulii II. exacte serventur tam intra quam extra claustrum, neque absque gravi necessitate tempore Adventus vel Septuagesimae Religiosi deforis carnes edere sinantur. Cap. Gener. 1685. Sess. 13. Et etiam ipsi Reverendissimi Domini Praelati vi coactiva ad has abstinentias adstringuntur. Cap. Provin. Anno 1687. Sess. 2. Dispensatio in similibus respectu totius Communitatis Vicario sibi competit. Cap. Gener. Anno 1660. et Anno 1666 relatum in Capitulo Provinciali Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 3. In ieiunio adventuali et abstinentia Septuagesimali benigne in extrema necessitate cum aliquibus potest ex gratia dispensari. Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinciale Anno 1719. Sess. 2. Num. 1°.

Actiones et lites in Tribunali ordinis vel amicabiliter componendae, vel dicendae iuxta Alexandrum III et alios Patres, ita habet resolutio Domini Generalis relata in Cap. Provin. Anno 1665. Sess. 8.

(p. 3) Accessus ad Praelatum distantem factus, petita licet sed non obtenta licentia, inducit poenam fugitivorum. Capit. Gener. Anno 1686. Sess. 12. Et talis accessus propter consequentias poena fugitivorum plectendus plus vel minus, habita personarum et rationum consideratione. Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinciale de Anno 1719. Sess. 2. Num. 2.

Accedere volens ad Praelatum praevie Patri Priori accessum insinuare debet, accedenti autem pro elidenda poenitentia poena augeatur. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 6. Conclus. 2.

Almutia gerenda in omnibus Dominicis et Festis in utrisque vesperis. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 6. Eorum usus manutentio refertur in Capitulo Provinciali Anno 1700. Sess. 4.

Appellatio a Vicario Generalis ad Illustrissimum Dominum Generalem potest interponi. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 11, uti a

Decretis Illustrissimi Domini Generalis ad Capitulum Generale, vel ad eos, qui a Capitulo Generali ad id sunt deputati. ibidem. Sess. 15.

Antiquitas Monasterii non sumitur a fundatione, sed ab accessu ad Ordinem. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 3.

Aspersio Dominicis diebus in choro et navi Ecclesiae facienda. Capit. Provinc. Anno 1691. puncto 27.

Assistentes Vicarius sibi optare potest. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 8. In visitatione vel electione assistentes non suspecti assumendi. Respons. Illustrissimi Domini Generalis ad Caput. Provinc. Anno 1677.

Archivum et aerarium Provinciae erectum. Capit. Provinc. A° 1691. Sess. 1ma. Conclus. 2. Item sessione 2. Item sessione 2. Conclus. 2. Continuatim (p. 4) per resolutionem Capitulorum Provincialium de Anno 1700. Sess. 3. Conclus. 4. et Sess. 6. Num. 7.

Archivium Provinciae continens erectionem, Privilegia Monasteriorum, Capitula Provincialia, et Generalia, Nomina Religiosorum, continuandum est, Submittenda Nomina Religiosorum sub festa Natilitia Secretario Vicariatus. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 2. Conclus. 1ma.

Archivii claves mortuo Vicario cum annulo Vicarii deferuntur Patri Abbati. Capi. Provinc. Anno 1691. Sess. 2. Conclus. 1ma. Quoad aerarium Provinciae classificatio innovata et solum bipartita est. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 3. Conclusione 4. Mortuo Vicario Archivii claves Domino Visitatori in officio succedenti; in casum vero mortis utriusque Seniori Abbati Provinciae deferendae sunt. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 2. Num. 3.

Ave Stella matutina post Matutinum canendum est. Capit. Provinciale Anno 1659. Sess. 2.

B.

Benedictio mensae oranda excepta benedictione lectoris ; Quae tamen etiam in Collatione orando percipitur. Cap. Provin. Anno 1691. puncto 25.

Beneficium impetrans, accipiens, possidens ante licentiam in scriptis obtentam fit inhabilis ad quaecunque Regularia Beneficia. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 6. Item Anno 1680. Sess. 14.

Bobardarum superfluitas Parochis interdicitur ; Conventualibus ex integro interdicuntur. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5 (p. 5)

Conclus. 10. Arma intus et foris omnino prohibentur. Respons. Domini Generalis ad Capit. Provinc. Anno 1719. Sessione 2. Num. 4.

Brevia defunctorum per Patres Priores forensibus intimanda. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 2 ex Pragensi Anno 1641. Brevia uniformi stylo concinnanda, et pro acceleratione Suffragiorum imprimenda. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 8.

Byreta toto processionis tempore apponenda extra Stationem et introitum : Capit. Provinc. Anno 1691 puncto 29. Nunquam adhibentur Conventu in cappis existente, ibidem puncto 33. Nigra Byreta a nullo gestanda : Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 19. Caerulea tamen a Doctoribus gestari possunt in suggestu, in actibus academicis vel Comitiis Generalibus, vel Provincialibus Capitulis. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 16. Deponendum Byretum, dum transitur Sacrarium. Capit. Prov. Anno 1691. puncto 9.

C.

Capillitium ad ostium auris duntaxat descendere debet. Capit. Gener. Anno 1656. Sess. 11ma et Capit. Prov. Anno 1681. Sess. 3. Num. 13 et Anno 1691, puncto 34, Fratres conversi capillos ad modum clericalis coronae gestare prohibentur. Capit. Prov. Anno 1710. Sessione ultima. Num. 12.

Capitulum Generale quatuor tantum diebus celebrandum. Capit. Gener. Anno 1686. Sess. 15. Ad illud dubia praemittenda a semestri. Capit. Gener. Anno 1660. Sessione 16. Decreta Capituli Generalis omnibus communicanda. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 26. In eo omnes Praelati (p. 6) habent vocem deliberativam. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 19.

Capitula Provincialia celebrentur in quatuor Monasteriis, Sioneo, Gradicensi, Lucensi, Zabrdovicensi, reservato tamen honore hoc etiam aliis Monasteriis. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 5. Num. 2. Eorum observantia in virtute Sanctae obedientiae praecipi solet. Cap. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Ut in aliis Monasteriis Capitula Provincialia valeant celebrari, de novo est haec praerogativa reservata et in Capitulo Provinciali Anno 1719. Sess. 2. Num. 5.

Capituli Provincialis Decreta potest immutare Illustrissimus Dominus Generalis, etsi illi praesedisset, et subscripsisset. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 16. Tenetur autem ipsius Conclusa observare Praelatus, qui subscripsit, quamvis ad Illustrissimum Dominum Ge-

neralem referre possit incommoda emergentia. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 8 ad 11mum.

Capitulare conclusum subscribi debet etiam ab iis, qui Capitulo non asseruerunt, si maior pars Capituli consensit. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 6.

Caputium in Conventu semper gerendum. Capit. Gener. 1660. Sess. 6 et Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 22. etiam a forensibus. Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 4.

Caput tegere licet in choro sub psalmis, Lectionibus, Epistola, offertorio. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 2.

Carceris poena dictari potest etiam iis ad dies aliquot, qui iudicio Superiorum Domus aliter a quotidianis excessibus nequeunt revocari. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 11ma.

Carcere tanquam conspiratores puniuntur et ii, qui malitiose in Praelatos insurgunt, Conventuales Superiores vel Confratres graviter turbant et gravant, vel a diversis excessibus committendis Sibi (p. 7) non temperant. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 4. Num. 4.

Carceres duo vel unus in singulis Circariis habeantur, ubi sumptibus propriorum Monasteriorum criminosi, praecipue incorrigibiles concludantur. Cap. Gener. Anno 1717. Sess. 4. Super carceribus erigendis provisorie tantum usque ad Capitulum Generale dispensatur. Respons. Domini Generalis ad Capit. Prov. An. 1717. Sess. 2. Num. 6.

Carnis lapsus punitur insuper privatione stalli et inhabilitate ad curam animarum, e contra tempus carceris moderatur. Cap. Provinc. Anno 1681. Sess. 4. Num. 2 et 3. Nomine lapsus carnis iuxta Clementinam de reservatis intelligendum esse consummatam cum complice mollitiem. Cap. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 3.

Catechizandi munus cuilibet Praelatus iniungere potest. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 15.

Cellae Religiosorum seris claudendae, ita tamen, ut Patri Priori mediante clavi generali aditus pateat. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 15. Neque licet pessulum opponere, vel seras mutare. Capit. Provinc. Anno 1644. Sess. 6. Conclus. 47. In cella nemo pluteos, cistas occludere debet. Capit. Provinc. Anno 1644. Conclus. 49. Cellas post refectionem omnes adeant, innibi signum a Praeside pro colloquio praestolaturi. Capit. Prov. Anno 1677. Sess. 2. Conclus. 42 ex Plagensi Anni 1644.

Censura non infligenda in Ordinis Praelatum nisi causa discussa

a Vicario cum quorundam Praelatorum consilio. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 8. Num. 3.

Caeremonialis Episcoporum observatio remittitur ad Capit. Gener. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinciale Anno 1700. Sess. 6. Num. 5.

(p. 8) Circator Provincialis praesidens Capitulo vel mensae capessit locum Prioris vel Subprioris. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 9. Iuxta Provinciae praxim autem stallum Subprioris tantum. Capit. Provinc. Anno 1691. puncto 37. Circator cubicula intrare nequit, nisi sit Conventus Praeses. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 15.

Claustrum de die exiens sine licentia punitur duplicata poena Statutorum. Dist. 3. cap. 7. Num. 19. Nocte vero exiens ad tempus modicum arbitrariae subiacet poenae. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 4. Num. 6.

Clausura si nequit servari propter aedificium ex toto, servanda est pro parte. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 5.

Coadiutorem cum futura Successione dare potest Illustrissimus Dominus Generalis. Capit. Anno 1660. Sess. 11ma.

Colloquium sit modestum, neque in recreationes mutetur, una hora duret, et eo finito in Oratorio psalmus De profundis persolvatur. Cap. Provin. Anno 1677. Sess. 2. Conclusione 52 ex Plagensi Anno 1644. In eo vel etiam alibi sermocinantibus Sermonem murmur sapientem, mox a Praeside vel Seniore silentium imponatur, nisi complex haberi velit. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 60.

Concioni omnes fratres Clerici et Conversi interesse debent. Cap. Provinc. Anno 1677. Sess. 2. Conclusione 43. Nemo concionari audeat sine Superioris licentia. Capit. Anno 1657. Sess. 17.

Concionatores ordinarii fruuntur privilegio, quod biduo a choro, uti et a lectione mensae, nisi nimia paucitas obsit, immunes sint, exceptis tamen Matutinis in Triplicibus, et utriusque Vesperis Dominicae vel festi fori, aut etiam Triplicis, a Matutinis quoque pridie concionis, et insequente concionem sint liberi. Capit. Prov. (p. 9) Anno 1677. et Plagensi Anno 1644. Conclus. 28 et Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 2.

Confessarii Monialium undecunque intra ordinem assumi possunt a Praelatis earum (nisi aliud pacta habeant) non tamen Saeculares Ecclesiastici. Capit. Gen. Anno 1657. Sess. 9. Et ex Monasterio paterno assumi vult Capitulum Provinciale Anno 1665. Sess. 4. Confessarii Monialium Ordinis nostri non sunt ab Episcopo approbandi,

sed sufficit eos a Praelato dictarum Monialum esse approbatos. Capit. Provinc. Anno 1719. Sessione 2. Num. 8.

Nequit ullus Confessarius absolvere complicem in materia luxuriae. Cap. Gener. Anno 1670. Sess. 7. Estque casus complicis ubique et pro omnibus in Ordine reservatus. Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinciale. Anno 1719. Sess. 6. Num. 7.

Confessarii Mendicantium nequeunt absolvere a reservatis virtute suorum privilegiorum obstante Bulla Urbani VIII de Anno 1630, die 19 Junii. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 7.

Respectu Parochorum 10 milliaribus distantium surrogari potest Deputatus, cui Parochi vice Praelati confiteantur, Capitulum Generale Anno 1670. Sess. 7. Neque venientes ad Monasterium alteri nisi approbato a Praelato confiteri valeant. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 7. Qui renuit semel in anno confiteri Praelato non incurrit poenas Statutorum, Dist. 1ma, Cap. 6. Num. 16, nisi sit contumax. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 7.

Religiosi 10 milliaribus distantes, forisque tempore trimestre adaequante commorantes in defectu Confessarii a reservatis absolvendi authorizati extraneo confiteri, et una altera ternave vice a reservatis absolvi possunt. Capit. Provinc.. Anno. 1719. Sess. 3. Num. 1mo.

(p. 10) Itinerantes duo simul Confessario ab Ordine extraneo se sacramentaliter subiicere valent, similis autem Confessarius non potitur potestate a reservatis absolvendi. Si vero tres vel quatuor itinerantes aut commorentur simul, nequeunt extraneo confiteri, cessat enim distantiae ratio. Capit. Prov. Anno 1719. Sess. 3. Num. 1mo.

Confessarius unus alterve magis idoneus a Praelatis longiori tempore absentibus deputandus, qui a reservatis omnibus directe absolvere valet, et ut omnes Praelati etiam non absentes vi Statutorum. Dist. 1ma, cap. 6. Num. 14, uni vel duobus, vel etiam pluribus necessitate hoc postulante ex magis idoneis conferant a reservatis absolvendi facultatem, possunt tamen aliquos casus, si expedit particulariter sibi retinere. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 2.

Confraternitas pro Monasterio singulari tantum sine communi ratione ad Circariam datur a Praelato loci pro tota vero Circaria personis singularibus meritis, vel etiam pro Monasterio uno cum respectu ad Circariam, datur a Vicario Generali, qui etiam solus dat participationem generalem operum Circariae. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 11ma. Neque tamen necesse est pro Con-

fraternitate donato tantum persolvere, quantum pro fratre Domestico vel Ordinis Religioso. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 3. Num. 7. Pro Confratre ab Ordine extraneo in Monasterio, ad quod data est Confraternitas persolvendum unum officium Defunctorum, media commendatio, Requiem Conventuale, a singulis Sacerdotibus unum Sacrum, a fratribus clericis psalmi poenitentiales, et Conversis 50 Pater noster, in Monasteriis Circariae, a Sacerdotibus in Missa assumitur Collecta. Cap. Provinc. Anno 1769. Sess. 3, Num. 4.

(p. 11) Consanguinei primi vel secundi gradus duo suscipi non debent, ubi in Monasterio duntaxat octo personae profitentur. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 14. Neque tertius suscipi potest pro Communitate viginti personarum. Cap. Gener. Anno 1663. Sess. 10.

Consecratio calicum, Altarium, campanarum continuanda. Capitulum Provinciale Anno 1677. Sess. 8. Num. 7.

Conversis fratribus nunquam concedendus Capparum Canonicalium usus. Capit. Prov. Anno 1719. Sess. 3. Num 14. Fratres conversi neque Provisoris neque Cellarii officiis fungantur, possunt tamen in subsidium sub ipsis adhiberi. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Prov. Anno 1719. Sess. 3. Num. 14. in confirmatione.

Credo non est in Triplici dicendum, nisi Missale vel Ordinarius praescribat. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 8. Dicendum est infra Octavam primae classis occurrente festo, in quo coeteroquin hoc Symbolum non diceretur ibidem; Credo iuxta novissimi Missalis Rubricam in omni Triplici dicendum. Capit. Prov. Anno 1719. Sess. 3. Num. 9.

Crepidae non sunt gestandae a celebrante Sacerdote. Capit. Provinc. de Anno 1681. Sess. 2. Num. 25.

D.

Definitores non secundum Monasteriorum antiquitatem, sed qualitates deliguntur, neque in Concluso formando spectatur numerus votantium, sed pondus rationum. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 16.

Definitores in Capitulo Generali sunt Praelati, non vero Priores (p. 12) nisi Monasteriorum commendatorum, aut nisi sint Deputati Provinciae, neque tamen quartam partem Praelatorum in definitorio existentium excedere debent. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 4

et 24 ; Definitores nominantur a Domino Generali cum consilio aliquorum Praelatorum, quos ipse in consilium evocandos duxerit. Ibidem ses. 26, orta in definitorio votorum omnimoda aequalitate, pars praevalet, cui assistit definitorii Praeses, ibidem.

Definitores in Capitulo Provinciali agunt omnes Praelati. Capitulum Provinciale Anno 1681. Sess. 1ma. Num. 5. consonat Generale Capitulum. Anno 1657. Sess. 24.

Defunctorum Suffragia consistunt pro Ordinis Confratre in uno defunctorum officio, Missa de Requiem, et disciplina, Praelatis dies trigesimus additur, a Sacerdotibus Missa, Clericus psalmi poenitentiales, a fratribus Conversis 50 Pater et Ave persolvuntur, quae tamen pro Praelatis duplicantur. Possunt ad unum Defunctorum officium plures includi. Capit. Provinc. Anno 1644. Sess. 3. Conclus. 15. Suntque Brevia propediem per Patres Priores foris degentibus communicanda pro maturandis suffragiis. Cap. Provinc. Anno 1677. Sess. 2 ex Plagensi Conclus. 5 et Anno 1681. Sess. 7. Num. 4. Ad unicum officium defunctorum duo non plures assumi valent, in fundatorum anniversario et Solemnibus Ordinis anniversariis nullus accludendus est. Capitulum Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Pro Praelato loci conformiter ad ordinarium cap. ult. tria anniversaria celebranda. Capit. Prov. Anno 1719. Sess. 3. Num. 6.

Doctores habent vocem consultativam in Capitulo Generali. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 2 et 3 non tamen gaudent alio honoris privilegio, ibidem. Sess. 7.

(p. 13). Documenta ad alia monasteria spectantia sub excommunicatione extradenda. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 11ma.

Dominos se appellare privati Religiosi prohibentur sub privatione vini ad refectionem, quippe Abbas solus Dominus vocandus. Capit. Gener. Anno 1686. Sess. 11ma.

Dona notabilia pecuniaria nec Pastores nec ipsi Abbates parentibus dare possunt, neque aedificia notabilia extruere. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 7. Certe si 400 taleros attingant, donatio fieri nequit a Praelato. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 11ma.

E.

Emissiones delinquentium in Circaria Bohemiae censentur impracticabiles. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 4. Num. 9.

Episcopi cumulative non privative cum Ordinis Praelatis potes-

tatem habent de excessibus Religiosorum quoad curam animarum iudicandi. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 4.

Epistolae sine communi sigillo non sunt mittendae. Capit. Gener. Anno. 1660. Sess. 7. Easque sine licentia Superioris mittentes et recipientes puniantur poena ieiunii unius diei in pane et aqua, et recidentes poenae duplicatae subiiciendi. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 8.

Epistolas mordaces Sibi scribere prohibentur Praelati. Cap. Provinc. Anno 1665. Sess. 8. Num. 2. Correctorias Religiosorum manu propria Praelati exarent. Cap. Provinc. Anno 1651. Num. 7. Ne epistolae defectuum aliorum narativae a Conventualibus mittantur, Superiores intendere debent. Capit. Provinc. Anno 1670. Sess. 5.

(p. 14) Esculenta et poculenta surripientes puniendi sunt graviter ut proprietarii et disciplinae regularis perturbatores, si continuatim, et sine emendationis spe, et cum graviori iactura Monasterii id agant. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 8.

Examen domesticum ab ordinandis. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 6. Num. 4 et ab exponendis ad Parochias. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 3.

Exercitia annua Parochi per triduum facere iubentur in Monasterio. Cap. Provinc. Anno 1710. Sess. 4. Et quidem sub ieiunio unius diei in pane et aqua. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 7 et Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 8.

F.

Festa a Summis Pontificibus indicta celebranda non sunt, nisi accedat Generalis Capituli consensus, nisi talia sint, quae sine populi offensa nequeunt intermitti. Respons. Illustrissimi Domini Generalis ad Capitulum Provinc. Anno 1677. in confirmatione.

Festa occurrentia infra Octavam primae Classis vel differenda vel praevenienda. Capit. Prov. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 6. nisi sint alias congrue non differibilia. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 8.

Festa Ordinis statutis diebus queunt celebrari. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 3. Num. 4. et Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 23.

Festum Sanctae Annae in Monasterio Neoreischensi per modum Triplicis 2dae classis, et pro Hungariae Canoniis festum Sancti Stephani vero primae classis et festum Ioannis Nepomuceni cele-

brandum conceditur, ut petitum. Respons. Illustrissimi Domini Generalis ad Capitulum (p. 15) Provinc. Anno 1719. Sess. 6. Num. 1mo.

Formulare electionis ad proximum usque Capitulum Generale approbatur. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 7. Num. 6.

G.

Genuflexio facienda, dum Sacrarium transitur. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 9.

Graduale dum Organi lusus est, et per organum suppletur, iuxta Ordinarium cap. 4. non est canendum. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 9.

H.

Habitus plenus semper in Conventu gestandus. Capit. Gener. Anno 1686. Sess. 11ma ; etiam ab exeuntibus. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 6.

Herniae dispositio, quae tolli potest Medicorum iudicio, vel etiam actualis hernia non impediens ad ferenda onera Religionis, non est obex professionis. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 3.

Horae omnes cum cantu persolvendae, nisi una alteri immediate succedat. Cap. Provinc. Anno 1677. Sess. 4. Num. 1ma. Excepta Nona post prandium quae recitari valet. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 14. Hora canonica Nona propter uniformitatem Ordinis post prandium absolvenda. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinciale Anno 1719. Sess. 3. Num. 10.

Horas Canonicas extra chorum fratres, etsi in Sacris non constitu- (p. 16) ti, persolvere iubentur. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 3. Num. 4. Et quidem fratres studentes eas horas, a quibus liberi sunt, in communi persolvent. Num. 2.

Horae Canonicae choraliter canendae, si adsint Sex personae. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 2, nisi fors sint vesperae 3 lection. : eaeque non solemnizatae per Antiphonam solemniter canendum, quo casu, si officium defunctorum praecessit, dispensatur quoad cantum. Capit. Prov. Anno 1691. Puncto 2.

I.

Ieiunium in Statutis taxatum. Dist. 3. cap. 6. Num. 7. Conventui, dum admissus est circa Missae substantialia error, non est in pane et aqua persolvendum. Cap. Gener. Anno 1660. Sess. 8.

Incorrigibiles iudicantur, qui licet peragant poenas pro excessibus impositas, tamen proterve et impatienti animo tanquam eas non meriti persolvunt. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 5. Num. 2, uti et ii, qui correcti Se ex malitia non emendant, et simulata patientia poenas explent. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 3. Conclus. 9.

Indulgentiae festivitatis Sancti Patris Norberti sunt translatae in Dominicam infra Octavam etiam quoad personas Ordinis, non extenduntur ad Ecclesias Parochiales. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capit. Provinc. Anno 1670.

Infirmis cibi delicatiores non iuxta iudicium Magistri infirmorum, sed Abbatis sunt ministrandi. Infirmi simulati parsimonia cibi et potus curandi (p. 17). Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 11°.

Iniuriam faciens Superioribus vel Confratribus usque ad peccatum mortale, si est in Sacris, suspensionem ipso facto, si non est in Sacris, excommunicationem incurrit ipso facto. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 7. Generale Capitulum Anno 1686. Sess. 13 et Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 9. Et ut culpa congruat poenae, iniuria tam verbalis quam realis debet esse enormis. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Cap. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 12.

Instrumentum exteriorum dandum Neo-electo intelligitur traditio clavium. Respons. Illustrissimi Domini Generalis ad punctum 4. Capit. Provinc. Anno 1665.

Inventarium omnium rerum ad usum concessarum ; omniumque creditorum et debitorum Parochi sub poena proprietatis edere tenentur. Cap. Gener. Anno 1717. Sess. 8. et Cap. Provinc. Anno 1710. Sess. 4. Num. 9. Non sunt tamen Parochi ad hoc sub iuramento obligandi. Cap. Gener. Anno 1670. Sess. 7.

Iuramentum omnes et singuli Religiosi in visitatione Canonica praestare tenentur, et ab omnibus per visitantem exigi debet. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 12. Iuramentum demum qualecunque est in Ordinis instantia deponendum, idque etiam a Principe terrae Rescripto singulari firmatum. Capit. Provinc Anno 1700. Sess. 5. Num. 5.

L.

Lectores mensae agere debent quatuor iuniores Sacerdotes. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 14.

(p. 18) Litanias diebus Rogationum non tenentur extra chorum Canonici sub mortali recitare. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 4.

Lusus foliorum prohibetur in Capitulo Provinciali de Anno 1687. Et quidem sub poena proprietatis in Capitulo Generali Anno 1717. Sess. 10. Poena proprietatis lusoribus foliorum in Capitulo Generali decreta iuxta quantitatem in Statutis variatam taxanda et e Canoniis foliorum lusus plenissime eliminandus est. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 13.

Literae Pontificiae, ut careant Suspicione vitii non nisi per Procuratorem generalem atque de consensu Superioris impetrentur. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 4. Num. 5. et Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 17.

M.

Matutinae in Vigiliis Triplicium primae classis hora septima vespertina decantandae, pro festis secundae classis Laudes cum Invitatorio et Hymno, pro festis tertiae classis laudes tantum, nisi fors si Conventus tenuior numero duodecim personarum. Capit. Provinc. de Anno 1644. Conclus. 42. relatum in Capitulo Provinciali Anno 1677. Sess. 2. alias Matutinae semper media nocte recitandae. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 4. Num. 1°. Quamvis tempore hyemali a festo omnium Sanctorum usque ad Pascha Domini pridie vesperi, vel etiam hora quarta matutina persolvi valeant. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 6. Conclus. 2.

Matutinalis Missa est pro Fundatoribus fratribus ordinis. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 13. Missa matutinalis in Festis Triplicibus primae et Secundae classis figurari valet. Capit. Provinc. Anno 1700. Puncto 7. Satisfit Matutinae et Missae de Beata per Missas extra Conventum celebratas, applicatas tamen conformiter ad (p. 19) ordinarium. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 11ma.

Missa Conventualis pro ipso Conventu applicari debet. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 9.

Missa pro defunctis conventualiter cantanda est loco Missae Summae tunc privatim legendae. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 28.

Missas Ordinis tres celebrari debere, ubi sex Religiosi sunt in Conventu, duas si quatuor ; unam si duo, declaravit Capit. Westphalicum non improbatum a Capitulo Generali Anno 1666. Sess. 11ma. In numero Sex, quatuor vel minus comprehenduntur Abbas et Prior pro Missis Conventualibus celebrandis. Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 3.

Missa Summa extra Adventum et tempus Septuagesimae usque ad Pascha computandum, potest diebus Dominicis et festis figurari, Conventu tamen in Stallis permanente. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 2. in Respons. Illustrissimi Domini Generalis.

Missam a Praelato ex proventibus Monasterii fundatam non obligatur persolvere Monasterium. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 8. ; neque fundatam ex adventitiis Praelati, si se Conventus non obligavit. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 2. Conclus. 6.

Exigente paupertate Monasterii, ut ex Missis necessario vivere debeat, sufficiat Missam legere pro stipendio, et satis facere Missae Ordinis adiectione Collectae. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 15.

Monasterium suum deserere et ad aliud etsi eiusdem Ordinis transire volentes, et ob id Praelatos inquietantes severe corripiendi. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 4. Redeuntes a strictiore ordine ad suum Monasterium primum, etsi ad Ordinem strictiorem cum licentia (p. 20) Superioris transierit, nisi in fugitivos haberi velint, directe Superiori suo Se praesentare debent, et accipi interim ad Sequestrum quousque Illustrissimo Domino Generali casus exponatur. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 13. Ad Monasteria nostra ex alieno ordine non recipiantur nisi exhibitis scripto transitus titulis. Capit. Gener. Anno 1686. Sess. 6.

Mozetam Praelati Rochetis superponere debent, quando Conventus est in Superpelliceis. Capit. Gener. 1666. Sess. 6.

N.

Novitiatus biennium suspensum est, usque dum erigatur Novitiatus communis, qui melioratis temporibus in Bohemia instituendus. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 4. Quamvis in Provinciali Capitulo Anno 1644. Conclus. 4. debuerit esse biennalis in Circaria Bohemiae

ad sesquiannum reductus est, restante medio anno Neo-professis soli rei vacantibus. Cap. Provinc. Anno 1687. Sess. 3. § interim. Verum rursus totum hoc in arbitrium Dominorum Praelatorum remissum est. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 4.

Novitiatum communem erigere iubet Capitulum Generale Anno 1717. Sess. 3. Super Novitiatu communi dispensatur provisorie usque ad Capitulum Generale, Illustrissimus Dominus Generalis in Respons. ad Capitulum Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 14.

Novitii adferre debent literas Natalitias. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 6. Quoad Novitios selectus faciendus secundum Deum non vero secundum respectus humanos, vel intuitu pecuniae. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 6. Conclus. 4. Novitii tempore Novitiatus nullis studiis applicentur (p. 21). Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 6. Ad minus pridie suae professionis faciant Novitii renuntiationes rerum temporalium. Capit. Provinc. Anno 1703. Sess. 5. Novitium omittere potest solus Abbas consultis Priore, et Magistro Novitiorum. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 4. Pro Novitio mortuo tantum persolvitur de suffragiis quantum pro professo. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 8. Novitii deinceps pro signo distinctivo iubentur gestare cingulum coreaceum et cappas Canonicales. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 14.

Novitiorum Magister non est occupandus alia obedientia distractiva, quo officio suo et Novitiorum instructioni melius incumbere valeat, et eos, secundum sic dictam manuductionem instruere. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 3. Magister Novitiorum etiam de alieno Monasterio assumi, si domi idoneus non reperiatur. ibidem.

O.

Officium de secundario Patrono Ecclesiae instar Triplicis tertiae classis celebrandum. Capit. Gener. Anno 1707. Sess. 3.

Officium votivum de Beata Virgine et Sancto Patre Norberto die non impedita extra Quadragesimam et Adventum recitari valet. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 9. et quidem votivum de Beata Virgine etiam extra Sabbathum alias deputatum. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 5. Infra Septuagesimam occurrente votivo de Beata dicitur Hymnus Ambrosianus et Gloria. Capit. Provinc. Anno 1700. puncto 2. Tempore Septuagesimae occurrens officium

votivum celebrandum, in Missa utpote officio correspondente dicitur Gloria. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 9.

(p. 22) Officium votivum de Sancto Patre Norberto instar maioris duplicis recitatur 6 Iunii. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 9.

Officium defunctorum et psalmi poenitentiales absolvi possunt in Quadragesima a Sex Religiosis vel etiam quatuor. Cap. Provinc. Anno 1691, puncto 18 ; potissimum si studia vigent. Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 27.

Officium defunctorum extra chorum die animarum Canonici sub peccato mortali non tenentur persolvere. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 4.

Officium defunctorum accelerandum est non habito respectu ad duplicia minora. Capit. Provinc. 1681. Sess. 7. et Capit. Provinc. de Anno 1691, puncto 24.

Officium defunctorum choraliter in hebdomada sancta absolvendum. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 4, nisi occurrat festum Beatissimae Matris Annuntiatae, quo casu in domestico Sacello absolvendum. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 32.

Officium defunctorum etiam ad primas vesperas votivi officii dicendum. Responsum Domini Generalis quaerenti datum.

Officia defunctorum duo celebrantur pro Ordinis personis etiam post Capitulum Provinciale. Capit. Provinc. de Anno 1677. Sess. 2. Quemadmodum post Generale ita etiam post Provinciale Capitulum duo defunctorum officia celebranda, ea tamen neutiquam cum cantu persolvenda. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 3. Num. 5.

In officio defunctorum Solemni Cantores Rochetis et stolis utuntur. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 30.

(p. 23) Organi lusus non admittitur ad Symbolum Apostolorum. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 1ma.

P.

Parasceves die Conventualibus iusculum cum uno alterove cibo vespertino tempore sumendo admittitur conformiter ad Ordinarium. Cap. 63. Sine lectione ad mensam. Capit. Provinc. Anno 1700, puncto 10.

Parochi Parochias captaturi examinandi. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 3. Exponendi sunt magis idonei. Capit. Provinc. Anno

1700. Sess. 2. Num. 3. Et ii solum mittendi, qui secundum Tridentinum Sess. 7. Num. 3. de reform. pietate et doctrina sint conspicui, non autem mittendi ii, qui minus apti Sibi et Praelatis graves impudenter se nituntur ingerere. Cap. Provinc. Anno 1687. Sess. 3.

Parochi a Parochianis pro Missis Stipendiatis tota hebdomada requisiti non obligantur ad Sacrum Hebdomadale vi Ordinarii pro defunctis Ordinis celebrandum, quod tamen sequenti hebdomada supplendum, si commode fieri valet. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 5. Num. 1°.

Parochi visitandi sunt annue canonice a Praelatis suis, et iis distributio temporis aliaque observanda sunt praescribenda. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 4. Et Capitulum Generale Anno 1717. Sess. 8.

Parochi non revocantur ex Beneficio ad aliud Monasterium spectante de facili sine matura conventione inter Praelatum Beneficii (p. 24) et Praelatum beneficiati. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 8. Num. 7. Pensionem dependit annue Monasterio Professionis. Capit. Provinc. ibidem. In casum mortis dividitur substantia per Parochum relicta in utrumque Praelatum, in casu vero revocationis obveniunt omnia Praelato beneficiati, idem Capitulum Provinciale ibidem.

Parochi superflua resignare et rationem reddere expensarum sub excommunicatione ipso facto incurrenda tenentur. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 3. atque pecunias sibi restantes ad Conventus custodiam dare obligantur. Capit. Provinc. Anno 1703. Sess. 3. Non possunt sine licentia Praelati proprii notabilia aedificia minus utilia extruere. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 7.

Parochi tenentur se conformare Decretis Capitulorum Generalium et Provincialium, in quem finem ipsis communicandus Capitulorum extractus. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 3.

Parochi ad Conventum venientes a Praelatis, vel eo absente a Patre Priore benedictionem accipiant, nec sine scitu alterutrius eorum recedant aut exeant. Caput. Provinc. Anno 1700. Sess. 6. Num. 1°.

Parochi contrahentes debita notabilia (seu excedentia valorem mobilium et mediam partem proventuum annuorum beneficialium) et moniti non solventes puniuntur ad arbitrium Superioris accedente ad poenam Statutorum, exclusa tamen privatione sepulturae Ecclesiasticae. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 7.

Parochorum sigillo claudendae epistolae Capellanorum, et de eorum Licentia recipiendae, interdiu absque Parochorum licentia

non exeundum, (p. 25) et vesperi claves Parochiae Parocho resignandae. Capit. Provinc. Anno 1641. Conclusione 30.

Parochis fraternitatum cum Saecularibus contractiones, tuizationes, novalium indagationes et in Conventibus relationes sub triduano in pane et aqua ieiunio interdicuntur. Cap. Provinc. Anno 1644. Conclus. 3.

Parocho moriente non est expilanda Parochia, sed relinquendus fundus instructus, ne Neo-Parochus se debitis aggravare teneretur. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 3. Num. 5.

Parochiam Monasterio unitam Subprior administrare potest. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 16.

Pater Abbas visitat suo anno filialia Monasteria. Capit. Gener. Anno 1644. Sess. 4.

Paternitatis ius acquiritur per illum, qui suis expensis recuperat Monasterium, eousque tamen duntaxat quam diu recuperationis expensae non refunduntur eidem per Patrem Abbatem originative talem. Capit. Provinc. Anno 1657. Sess. 10. ut semper maneat resolutum. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 3. Num. 4. Et huius Capituli statutum renovatum est in Capitulo Provinciali. Anno 1719. Sess. 4. Num. 4. Illustrissimus Dominus Generalis quoque recuperantibus Monasteria ius Paternitatis perpetuum concedit expresse in Responso ad idem Capitulum Provinc. de Anno 1719. in confirmatione.

Paternitatis ius, quod habet aliqua Ecclesia, unitur illi Ecclesiae cui unitur Ecclesia tali iure Paternitatis. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 11ma.

Patre Abbate moriente ius Paternitatis pro tempore Sedis va- (p. 26) cantis devolvitur ad Vicarium. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 11ma.

Pater Abbas est prima Instantia, si filii Abbates litigent, alias vero Vicarius. Capit. Provinc. de Anno 1662. Sess. 6.

Pater Abbas non potest Vicarii ordinationes prohibere. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 5 ; et cedit Vicario quoad visitationem. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 4.

Pater Abbas non habet vocem activam in electione filii Abbatis. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 10. Neque potest exigere a filialibus Ecclesiis pecunias, vel aliud quod in recognitionem Superioritatis, idem Capitulum ibidem. Sess. 11ma. Neque iuramentum fidelitatis motivo altero. Capit. Provinc. Anno 1651.

Parentum magna victus inopia laborantium filii non sunt recipiendi. Cap. Provinc. Anno 1677. Sess. 6. Num. 2.

Poenae in Statutis taxatae non sunt arbitrariae, sed prout taxatae sunt, ordinarie imponi, neque sine gravi causa mutari vel ad arbitrium moderari debent. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 4.

Praepositi ii censentur esse Praelati perpetui, qui a Monialibus eliguntur, et a Patre Abbate confirmantur, et proinde cum filiis Abbatibus pari pulsu ambulant. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 23. Nunquam praecedunt Abbatem, licet non infulatum, Praepositi infulati. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 11ma. Praepositi titulati manuales computus suos reddere obstringuntur iuxta Statuta. Dominus Generalis in responso ad Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 2.

Praelati Monialibus praepositi tanquam vere electi et confirmati Ordinis imo et Regnorum Praelati computus suos reddunt eo modo, quo filii Abbates vi Statutorum computus suos dependere assolent. Cap. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 2. Praelatis Monialium decedentibus a Patre Abbate, si praesens est cum Priorissa Subpriorissa (p. 27) et Seniore Conventus, absente autem Patre Abbate, a memoratis de Conventu personis cum Seniore Confessariorum et Religioso oeconomiae curam habente cubicula defuncti obsignanda. Capit. Provinc. Anno 1719. Num. 15.

In Praeposituris et Parochiis, ubi numerosiores Capellani commune habent sigillum, ubi unus et alter, secluso excessu, particulari uti valent. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 1°.

Praefatio in festis infra octavam Beatissimae Matris assumptae occurrentibus est de Beata. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 2.

Preces non sunt Conventui imponendae, nisi quae in Statutis et Ordinario praescribuntur extra casum necessitatis. Caput. Gener. Anno 1657. Sess. 16. Neque Missae stabile onus sapientes. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 15.

Priores sunt omni tempore amovibiles. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 17. Priores vocandi sunt ad Capitulum Provinciale. Capit Gener. Anno 1660. Sess. 6. Priores non possunt habere curam Pastoralem etiam Monasterio unitam, nisi penuria religiosorum iudicio Visitatorum aliter exigat. Capit. Gener. Anno 1686. Sess. 12. Priores ad observantiam Capitulorum et Visitationis, praescriptorum procurandam gravantur in conscientia. Capit Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Num. 2. Priores monere debent Religiosos, ut in Visitationibus nihil revelatione dignum celent. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 7. Num. 5. Priores solum bis in hebdomada sine chori dispendio re-

creationes indulgere valent Conventui. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Num. 3. Patres Priores et Superiores Conventuales, ut vespertino tempore silentio aliisque observantiis diligenter intendant, a vigiliis nocturnis facto inter se ordine abesse valent, modo unus eorum intersit. Cap. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 5.

(p. 28) Privatio stalli et vocis dictari potest ad tempus iis, qui sunt violatores Regulae et Statutorum, chori, et exercitiorum Spiritualium contemptores, conspiratores, propriis sigillis utentes, Violatores pacis et silentii, si durius castigati Se non emendent. Capit. Provinc. Anno 1641. Sess. 4. Conclus. 40.

Privilegiis Mendicantium gaudere Professos Praemonstratenses resolvit doctrinaliter Capitulum Generale, Anno 1660. Sess. 15. Privilegiis Mendicantium uti non debent Religiosi sine scitu Superioris, ibidem. Quibus privilegiis Mendicantum Praemonstratenses cum scitu Superiorum tuto uti valeant, refert Capit. Provinc. de Anno 1719. Sess. 5. Num. 2. Et iis uti licet ad mentem Capitulorum Generalium, Dominus Generalis in Respons. ad idem Capitulum Provinciale de Anno 1719. Sess. 5. Num. 2.

Processio ordinaria in Ecclesiis Sanctimonialium non observatur, sed sola aspersio absolvitur. Capit. Provinc. Anno 1670. Sess. 3. In processione officians Conventum sequitur. Capit. Provinc. Anno 1700 ; puncto 8. Processio Theophorica facienda secundum ritum Dioecesanum. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 5°.

Professores in Monasterio alieno docentes gaudent voce activa et passiva, et emeritorum habenda est ratio specialis. Capit. Provinc. Anno 1641. Conclus. 24. excepta tamen electione Praelatorum. Capit. Gener. de Anno 1657. Sess. 6. Professores Theologiae sunt maiores de Domo. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 9, etiam finita professura. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 6. Conclus. 1ma. Non sunt ex alieno ordine assumendi, quando in Circaria reperiuntur. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 4. Conclus. 2. Ad arbitrium Superiorum Professores (p. 29) Theologiae et Philosophiae formali studio cum dictatione Scriptorum, aliisque in Scholis consuetis exercitiis vacantes a choro, Meditatione, examine conscientiae sunt liberi exceptis diebus Dominicis et festis et quibus Praelatus cum suis forensibus suis interesse solet ; mane vesperique haustello vini confortandi ; Iubilatis post professuram par favor conceditur, in promotione ad Beneficia singularis eorum habenda est coeteris paribus ratio, qui duodecim annis licet non completis professura commen-

dabiles se reddiderint, proportionatis favoribus non sunt destituendi. Capit. Provinc. Anno 1719, Sess. 4. Num. 3.

Professio Regularis in Ecclesia et Capitulo regulariter eadem die absolvenda. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 4. Num. 2. Eam non enervant debita modica v.g. 60 florenorum relicta. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 10.

Proprietatis determinatio relinquitur opinioni Doctorum probatissimorum. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 8. Quantitas 12 florenorum punitur carcere triennali, minoris quantitatis poena gravioris culpae per 40 dies, minimae vero poentitentia trium dierum. Capit. Provinc. Anno 1644. Sess. 6, Conclus. 49. Eius determinatio tandem relicta est arbitrio Praelatorum. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 1ma. Pro materia peccati mortalis respectu Conventualium statuti sunt quatuor floreni Rhenenses, eos etiam reservari posse, respectu vero forensium decem floreni constituunt materiam peccati mortalis et reservationis, si una vice sive physice sive moraliter talis erogatio fiat. Cap. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 8.

Provisores caeterique Officiales oeconomi voluntati Praelatorum se con-(p. 30) formare debent. Capit. Provinc. de Anno 1710. Sess. 4. Num. 10mo.

Psalmi poenitentiales in Quadragesima legi possunt a quatuor Canonicis. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 28 ; et Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 9. Recitari debent in exequiis fratrum, etsi ob Quadragesimae exigentiam praevie persoluti fuissent, pro peccatis. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 8. Psalmi poenitentiales sunt hebdomadatim a fratribus privatim persolvendi pro defunctis familiaribus. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 21.

Psalmus Laudate Dominum omnes gentes post prandium colloquiatum in refectorio orandus. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 26.

Psalmus Deus misereatur in officio de Domina conformiter ad Capitulum Generale de Anno 1717. Sess. 30. duntaxat ad Matutinum et vesperas dicendus. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 5. Num. 6.

Pulveris capillaris usus diurnus prohibitus, vespertinus ac mane depexus, ne observetur, conceditur. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 14.

R.

Recreationes Statui Religioso non congruentes, uti et concerta-

toriae cum Soecularibus iaculationes interdictae sunt. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Num. 3 et 10.

Reformanda sunt deformata quoad observantiam Monasteria per Vicarios et Visitatores, assumptis etiam alterius Monasterii religiosis, qui gaudebunt omni iure ut domestici, non obstante contradicentis. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 6 et 14. Reformationis autem nomine venit (p. 31) tum instructio Novitiatus tum studii. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 3.

Rochetis uti debent Praelati cum Mozetis. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 6. uti et alii Religiosi Rochetis ac Byreto uti debent. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 2, iis utendum in festis maioribus et in officio solemni, etsi inter festum omnium Sanctorum et Pascha intercurrant.

Rorate tempore adventuali, si pure legatur, omnes interesse tenentur. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 12. In Rorate cantato dicendus est Hymnus Angelicus. Capit. provinc. Anno 1691, puncto 13.

S.

Sacerdotes neo-ordinati onera fratrum professorum, stallumque habent usque ad primas vesperas diei Primitialis ; triduo primitiarum cum Superiore mensae Praeside maiori mensae assident, de reliquo autem nullo primatio potiuntur. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 5. Num. 11mo ordinati citius alio professione Seniore eo ordinato stallum rursus cedunt. Capit. Provinc. Anno 1641. Conclus. 29.

Senior de domo reputatur, qui in Conventu permanens pondus diei et aestus portat, etsi aliis extra Monasterium existentibus iunior sit. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 3. Num. 8, vel ad minus in Monasterio actu adest, licet ob merita a chori oneribus sit exemptus. Capit. Provinc. Anno 1710. Sess. 4. Num. 10.

Stalli restitutio fieri potest etiam per Praelatos consentiente Conventu. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 6. Num. 1°.

Statuta Ordinis observanda sunt ut iacent. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 15, uti et ordinarius ac Rituale. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 12, et eorum vilipensores triduano puniuntur ieiunio. Capit. (p. 32) Gener. Anno 1660. Sess. 15, et Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 2.

Studentes actualiter a recitatione officii Beatissimae Virginis et

psalmorum poenitentialium recitatione, nec non in minoribus constitutos ab oratione officii Canonici possunt Praelati absolvere. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 8. Studentium medietas una interest Matutino et vesperis, altera horis diurnis, Meditationi tamen, Summae Missae, Completorio, Examini conscientiae omnes interesse debent. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 3. Num. 1°. Variantur tamen haec privilegia pro qualitate studii et circumstantia Monasteriorum. ibidem. Num. 5.

Subprior ubi est copiosior Sacerdotum numerus a cursu eximitur. Cap. provinc. Anno 1691. Subprior semper est ad libitum amovibilis. Cap. Gener. Anno 1660. Sess. 14.

Secretarius Visitationis iuramentum fidelitatis et silentii coram quavis communitate deponit. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 2. ex Capitulo Provinciali de Anno 1662. in Sion celebrato.

T.

Renovata est constitutio Capituli Gradicensis de Anno 1691, ne iuniores absque Medici approbatione et Praelatorum licentia tabaco utantur, eiusque usus in publico, mensa, choro prohibitus, et abusus eliminandus. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 9.

Titulo epistolarum ad Religiosos exaratarum addendum est ly Exempti Ordinis. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Num. 5. Et titulatura in Brevibus defunctorum ad Sorores Sacri Ordinis sequenti forma : Venerabiles, Religiosae Virgines, Sorores nostrae (p. 33) in Christo et Sanctissimo Patre Norberto Dilectissimae. Capit. Provinc. Anno 1697. Sess. 7. Num. 4to.

V.

Vagabundi Religiosi Ordinis nostri etiam carcere mancipandi. Capit. Provinc. Anno 1657. Sess. 5. Num. 5. Et de aliena Provincia venientes compellendi, imo etiam carcere a abeundum constringendi regulariter non provisi debitis testimonialibus. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 4. Num. 10. Suntque notandi, ne tales beneficia in Dioecesi occupent. Capit. Provinc. Anno 1641. Conclus. 36. Praelati quoque suos Religiosos etiam praetextu obtinendorum beneficiorum divagari non debent sinere. Capit. Provinc. Anno 1677. Sess. 5. Num. 3.

Vestitus non debet sapere novitatem vel vanitatem. Cap. Provinc. Anno 1681. Sess. 3. Num. 6. Habitus cum fimbriis funeralibus medio pollice latis. Sine suturellis simpliciter factus, longus usque ad talos, aequale scapulare, Caputium proportionatum, cingulum ex eadem materia cuius est habitus, nempe ex panno vel quineto, nunquam e Camelina vel alia pretiosa materia. Cavendum a vanitate in tibialiis, calceis, ocreis, zonis, spiris pileorum, chirothecis ; collaria et strophia non sint fimbriis ornata, pallia in itinere grisea, alias alba oblonga ; tunica itinerantium protensa usque ad tibiam habitus semper clausa. Capit. Prov. de Anno 1644. Conclus. 10. Mitrellae in Conventu sericeae et muffulae pretiosae ex pellibus interdicuntur sub triduana poenitentia. Capit. Provinc. Anno 1681. Sess. 3. Num. 7. uti et grisei pilei etiam itinerantibus ibidem, num. 10, nisi longius iter sit. Capit. Provinc. Anno 1691, puncto 11, et curti habitus ultra genua non descendentes. Capit. Provinc. Anno 1681. Num. 11. Neque curti habitus passim exeuntibus indulgendi, ibidem. Num. 11. Pallia itinerantium debent esse grisei albicantis coloris, ibidem Num. 11. Pallia itinerantium debent esse grisei albicantis coloris, ibidem. Num. 12 in urbe (p. 34) oblonga. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 16. Mitrellas nigras simplices etiam in Conventu portare admisit. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Num. 12. Vestis deinceps itineralis grisei albicantis coloris sit. Capit. Prov. Anno 1719. Sess. 4. Num. 10. Religiosi in Conventu hyemali et aestivali tempore nigras mitrellas ex Quineto portare valent, pretiosae vanitatem sapientes sunt interdictae. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 12. In qualibet Circaria eadem sit vestium forma, materiae color etiam itinerantium albus. Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 7.

Vestimenta sufficientia et convenientia tribuantur Conventualibus. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Conclus. 1ma. Et quantum fieri valet, vestiarium commune instituatur, ibidem. Vestimenta aliis donare et vendere prohibentur Religiosi. Capit. Provinc. Anno 1700. Sess. 5. Num. 1mo. Conventualibus tam de hyemalibus ; quam aestivis tibialiis, chyrothecis, pileis prospiciatur, et petentibus habitus maxime iis, qui non sunt provisi aliquo peculiolo prompte largiantur. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 11mo.

Vicarius Generalis in visitatione concurrens cum Patre Abbate, praevalet Patri Abbati. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 4.

Vicariorum iurisdictio durat mortuo Generali. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 5ta.

Vicario moriente, sive vivat, sive mortuus sit Generalis, transit

Gl 5334

iurisdictio ad visitatorem. Cap. Gener. Anno 1657. Sess. 5, et Responsum Illustrissimi Domini Generalis ad Capitulum Provinciale Anno 1691. Sess. 2. Conclus. 3.

Vicarii cognoscunt de competente usu Pontificalium. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 6. Vicarius debet esse Praelatus agnoscens iurisdictionem Ordinis, ibidem. Sess. 8. Et trans Rhenani per Seniores Monasterii in Circaria Praelatum intra bimestre praesen- (p. 35) tent Illustrissimo Domino Generali tres Candidatos. ibidem. Sess. 8. ubi de praxi Senior Provinciae vota exigit pro tribus Candidatis a quolibet Domino Praelato, et in praesentia duorum de Provincia Praelatorum vota referat, et consueto Instrumento authentico Illustrissimo Domino Generali praesentat.

Vicarius licet praevie nunquam interfuerit Capitulo Provinciali non promittit Capitulo obedientiam. Responsum Domini Generalis ad Capit. Provinc. Anno 1677.

Vicarius cum consilio Sex Abbatum procedere potest contra incorrigibiles. Capit. Provinc. Anno 1687. Sess. 4.

Vicarius in Capitulo habet votum conclusivum. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 1ma. Conclus. 1ma.

Vicarius servata forma Statutorum facere potest reductionem Missarum. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 18. Potest ei Pater Abbas delegare, ut integros computus Sibi exhiberi faciat. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 4. Potestas Vicarii durat stante Capitulo Generali, quousque ei revocatio innotescat. Responsum Illustrissimi Domini Generalis ad Capit. Prov. de Anno 1691. Sess. 4. Conclus. 5.

Vicarius visitatur a Visitatore. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 4. est simpliciter maior Patre Abbate, neque potest a Patre Abbate sententia feriri. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 8. ad 7mum. Vicarius et Visitator possunt incarceratos relaxare. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 11. Vicarii et Visitatores sunt ad nutum amovibiles. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 8. Dum deputatur debet habere duas tertias Definitorii. Capit. Gener. Anno 1666. Sess. 3.

Visitatio dum fit, vocantur solum ii forenses, qui sunt in Beneficiis vel Residentiis loci visitati, idque pro arbitrio visitandis. Cap. Gener. Anno 1686. Sess. 3.

(p. 36) Visitatio durante bello potest esse triennalis, ita quod intra novennium Vicarius, Visitator, et Pater Abbas visitationem absolvant. Capit. Provinc. Anno 1691. Sess. 3. Conclus. 5. Extra tempora bellica annua esse debet. Responsum Illustrissimi Domini Generalis ad citatum locum ; si tempus suum Vicarius elabi sinat,

de eius assensu Visitator et Pater Abbas procedunt, citatum Capit. Provinc. Impedientis visitationem Praelati incurrunt poenas non minus ac simplices Religiosi. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 11ma. Visitatio tamen recusari potest, si visitaturus antecedenter depositionem vel similia comminatus sit, et comminatio probetur. Capit. Provinc. Anno 1665. Sess. 8.

Visitator non habet respectu aliorum Praelatorum praecedentiam nisi in actu visitationis. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 1ma. Puncta graviora visitato sunt praeostendenda, et is desuper audiendus. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 7. Si tamen irrationabiliter contradicat Praelatus, nihilominus statui possunt. Capit. Gener. Anno 1660 in Capitulo Provinciali Circariae Westpalicae. Num. 8. Visitator in functione praepeditus tenetur substituere. Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 1ma. Tenetur in Capitulo Generali referre suas ordinationes. Capit. Gener. Anno 1660. Sess. 2.

Visitator nequit immutare decreta Vicarii, sed eum consulere debet oborto circa illius relicta dubio, vel Capitulo Generali referre. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 1ma.

Virgines Religiosae Ordinis nostri bis in anno praehabitis cautionibus tectisque curribus ad vicinum praedium excurrere, inibique prandere valent. Dominus Generalis in Responso ad Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 6. Num. 2.

(p. 37) Vocem consultivam non deliberativam habent etiam iuniores, cum de rebus Monasterii maioris momenti agitur. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 26. In electione, alienatione bonorum soli Sacerdotes et in Sacris constituti. Capit. Gener. Anno 1670. Sess. 11ma. Qui etiam in vestitione ac Professione Novitiorum hac voce gaudent. Capit. Gener. Anno 1717. Sess. 2. Fratres conformiter ad Capit. Gener. de Anno 1657, in alienatione, vestitione, professione Novitiorum tantum voce consultiva, non vero deliberativa gaudent. Capit. Provinc. Anno 1719. Sess. 4. Num. 13.

Extractus hic autorizatus in Capitulo Provinciali Lucae Anno Millesimo Septingentesimo Decimo nono, vigesima secunda Aprilis. In cuius fidem consueta Capitularis subscriptio et consignatio.

(L. S.) Marianus, Abbas Sioneus, Vicarius Generalis [2]).

[2]) Cum personae quae nomen suum apposuerint praesenti indici confecto a et in Capitulo anni 1719 eaedem sint ac illae quae acta ipsius Capituli subsignaverint, pro identitate illarum personarum remittimus ad ea quae dicta sunt in notis pagg. 300-302.

Hieronymus Hlina, Abbas Siloensis.
Benedictus Abbas Gradicensis.
Vincentius Walner Abbas Lucensis, Vicarius Generalis Hungariae.
Hugo Abbas Zabrdovicensis.
Michael Abbas Gerusensis.
Ambrosius Abbas Pernecensis.
Iosephus Praelatus Doxanensis.
Dominicus Praelatus Cotieschoviensis.
Petrus Paulus Praelatus Neoreischensis.
(p. 38) Carolus Franciscus Praelatus Lelleziensis.
Robertus Sancius Praelatus Csornensis.
Felix Helcher Praelatus Grabensis.
P. Candidus Lerch Professus Sioneus. Notarius Apostolicus et iuratus, Vicariatus Secretarius.
P. Oswaldus Brusky, Prior Sioneus.
P. Wenceslaus Zahradnik, Prior Siloensis.
P. Norbertus Umlauff, Prior Gradicensis.
P. Gregorius Kwasnizka, Prior Lucensis.
P. Casparus Brandl, Prior Teplensis.
P. Norbertus Janke, Prior Zabrdovicensis.
P. Norbertus Tasman, Prior Milovicensis.
P. Benedictus Cischini, Prior Gerusensis.
P. Augustinus Koch, Prior Plagensis.
P. Ferdinandus Göpfert, Prior Pernecensis.
P. Norbertus Hruza, Prior Neoreischensis.
P. Augustinus Gruber, Prior Sacro-Montanus.
P. Andreas Cheno, Collegii Pragensis Rector.
P. Carolus Tesch, Pro-Parochus Lucensis, Vicarius foraneus Znoymensis.
P. Matthaeus Feith, Parochus Strahoviensis.
P. Daniel Schindler, Pro-Parochus Sac. Canonum Professor.
P. Gregorius Holasek, Professus Gradicensis, Parochus Noklensis.
P. Thomas Waijer, Professus et Curatus Teplensis, nomine Parochorum Teplensium et Cotienschoviensium.
(p. 39) P. Leopoldus Riefling, Pro-Parochus Zabrdovicensis.
P. Hyacinthus Schmalhofer, Professus Gerusensis, Parochus Runciniensis.
P. Dionysius Netolizkij, Sioneus, Parochus Mikulovicensis, Notarius Capituli, nomine Parochorum Doxanensium.

P. Adalbertus Landgraff, Professus Plagensis et Parochus Rorbacensis.

P. Engelbertus Lechner, Professus Lucensis, Pro-Parochus Jaszoviensis.

Concordat cum suo originali (autogr. abbatis Mariani).

(L. S.) Marianus (autogr.).

Ad mandatum Reverendissimi ac Amplissimi Domini Abbatis mei et Vicarii Generalis.

P. Candidus Lerch Sioneus, iuratus Notarius Apostolicus, et Vicariatus Provinciae Secretarius (cum parafo).

(p. 1) FORMULARE OBSERVANDORUM quoad Electionem Canonicam Praelatorum in Candidissimo Ordine Praemonstratensi in Circaria Bohemiae, Austriae, Moraviae, Silesiae conformiter ad Sacros Canones, Sacri Ordinis Statuta, Capitula Generalia et Provincialia, nec non praxim Provinciarum.

Caput I.

De tempore Sedis vacantis et praeliminaribus Electionis

Num. 1°. Defuncti Abbatis sigillum ad Patrem Abbatem, vel eo mortuo aut nimium dissito ad Vicarium Provinciae deferendum si non modo Pater Abbas sed et Vicarius ipse fatis cessisset, Visitatori. Si is quoque non foret superstes Provinciae Seniori secundum Monasterii antiquitatem consignandum, invitandusque est Pater Abbas ut ad filialem Ecclesiam accedat, directoriumque pro Sedis vacantis tempore constituat, illudque committendo Priori, Subpriori et Provisori, vel duobus aliis aut pluribus, qui de consilio Conventus magis idonei pro regimine spirituali et temporali reperiuntur, salvo eo, ut in causis gravioribus v.g. admissione Novitiorum, professione, emissione ad Pastoratus et beneficia, recursus ad Patrem Abbatem, vel in eius defectu ad Vicarium habeant, praesentationes tamen sub nomine Prioris et Assistentium sunt expediendae Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 9 [1]). Coeteroquin ad Patrem Abbatem spectat

[1]) Decretum illud haec statuit: *Capitulum praesens, discusso diligenter decreto et rationibus opinionibusque capitulantium, ad maturum examen evocatis, Deum, iustitiam, utilitatem et pacem Ecclesiarum prae oculis habens, intendit, et mandat decretum Capitulorum de quo est appellatio, omnino esse observandum, et uti hucusque solitum fieri in Ordine in modum qui sequitur, ut defuncti Abbatis sigillum ad patrem Abbatem aut, eo mortuo, vel nimium longe dissito, ad Vicarium provinciae statum deferatur, rogeturque pater abbas, ut sine mora ad conventum filialem accedat, ubi convocato Capitulo, dabit autoritatem et potestatem priori, suppriori, et provisori, aut duobus aliis, quos ex consilio conventus iudicarit magis idoneos, regendi monasterium in spiritualibus et temporalibus, exceptis quibus-*

omnimoda administratio Ecclesiae vacantis in spiritualibus et temporalibus. Capit. Gener. Anno 1657. Sess. 7 [2]).

Num. 2. Cum autem praesentes Patres Abbates distantiores esse soleant, ac personalis momentaneus accessus vix unquam commode practicabilis, iniungendum omnibus Conventibus ut si fors contra personam Patris Subprioris et Provisoris, ne ad directorium assumantur, quaepiam haberent exponenda (p. 2) obstacula, ea propediem Patri Abbati per Capitulum totum exponantur, ac demum ut Pater Abbas tanto facilius tum in casu si pluribus quam Priori, Subpriori et Provisori directorium committere vellet, vel loco Subprioris et Provisoris alios constituere oporteret, sese circa Subiecta pro directorio nominanda resolvere valeat, mox dicto Patri Abbati in casu primo tria, in secundo vero quinque Subiecta pro delectu praesententur.

Num. 3. Cum vi constitutionum Regiarum administratio temporalium ad Capitulum sede vacante, vel secundum Austriae praxim ad Deputatum a Gubernio Politico Religiosum et Oeconomum saecularem devolvatur, constitutio Capituli Generalis Num. 1° relata, et Patri Abbati administrationem quoque temporalium attribuens observetur studiose, ut quamvis expeditiones quoad temporalia per Priorem, Subpriorem, vel iuxta praxim Austriae per Deputationem a Gubernio Politico constitutam subscribantur, tamen neque Directores neque Deputati vel Conventus quidpiam agat inconsulto et non approbante Patre Abbate, vel eo deficiente, Vicario Patris Abbatis vices agente. De reliquo Capitulum solicite observet, ut ea, quae in sacris Canonibus titulo : *Ne sede vacante aliquid innovetur*, et in sacris Statutis Dist. 4. cap. 13. sunt constituti, exacte serventur.

Num. 4. Cum in Regnis Circariam nostram conflantibus ea sit

dam gravioribus casibus, ut in admissione novitiorum, professione, et emissione ad pastoratus et beneficia, in quorum eventibus recursus habeatur ad patrem abbatem, vel eius defectu ut supra, ad Vicarium generalem, qui, omnibus bene perpensis, et habita notitia qualificata personarum, consensum suum pro Ecclesiae utilitate et pace, non denegabit, litteras etiam praesentationum ad beneficia, fiant sub nomine prioris et duorum assistentium, cum appositione sigilli conventus, inque praedictum modum debuisse conventum Tongerloensem processisse, et procedere debere, declarat Capitulum. Ms. Nancy 1767, fol. 262 r°.

[2]) Quod decretum ita sese habet: *Capitulum generale examinatum decretum alterius Capituli Generalis anni 1523, in quo dicitur quod vacantibus Ecclesiis, Patres-Abbates earumdem, et non capitula seu Priores earumdem, habebunt administrationem tam in spiritualbus quam temporalibus, dempto Priore Praemonstratensi, sufficienti possessione et debito privilegio fundato...* Ms. Laon, 538, p. 712.

constitutio Regia, ut mors Abbatis per Capitulum orbatum propediem Sacrae Caesareae Regiae Maiestati insinuetur, ac ab eadem Commissarii Regii, iura temporalia suae Maiestatis observaturi petantur, ac demum cum nominatis Commissariis Pater Abbas super die Electionis conveniat. nec sit in absoluta potestate Patris Abbatis diem constituere vi Rescripti Caesarei de Anno 1709 neque statutum et concertatum cum Commissariis Regiis diem immutare, ac inde facile evenire valeat, quod longius distantibus dies certus electionis nequeat insinuari in tali tempore, quod absentibus longius ad comparendum die statuto sufficiat, atque exhinc facile (p. 3) emergere possit, quod evocandi aliqui die statuto non comparerent, quos autem porro expectari non suffert Commissio Regia, atque ita hoc casu periculum foret, ne actio de contemptu nascatur, Eapropter argumento eorum, quae docet Antonius de Butrio post alios Doctores ad caput 19 de Elect. statutum est ad hoc periculum amputandum, ut longius a Monasterio dissitis notificetur propediem mors Praelati, eos invitando ad lectionem absque ultimata determinatione diei (utpote quae ignota est) cum expressione diei, ante quem certo constat electionem non fore, ut nempe vel per se diem electionis in Ecclesia viduata praestolaturi, vel per Procuratorem idoneum compareant. Formula infra posita est ad cap. 3. Num. 1.

Num. 5. Cautum est in Capitulo Provinciali Anno 1700. Sess. 3. Conclus. 9. [3]) uti et Capitulo Provinciali Anno 1710. Sess. 4. [4]) ut poena conspiratorum expressa Statut. Dist. 3. cap. 9. puniantur ii, qui prava intentione mediisque indebitis congregant vota pro minus digno, potissimum si, ut ait citatum Capitulum de Anno 1710, id fiat cum infamatione dignioris, tamen pro maiori puritate electionis servanda, ulterius quoque Amplissimum Capitulum censuit a simili, quemadmodum Pius V. Anno 1571. 28 Maii edita Bulla Pastoralis Officii, quae est in Bullario Cherubini dicti Pontificis 128va sub excommunicatione ipso facto incurrenda et perpetua privatione utriusque vocis pro se vel alio subornationem omnem interdixit pro Ordine observantium ; ut ita quoque Pater Abbas subornationem omnem sub gravissimarum poenarum comminatione interdicat.

Num. 6. Statutum est in Capitulo Provinciali Anno 1601. Sess. 5. Conclus. 2 [5]) ut unicum duntaxat procuratorium unus idemque ha-

[3]) Cfr supra, p. 224.
[4]) Cfr supra, p. 257.
[5]) Acta huius Capituli nobis nota non sunt.

bere valeat votum, quia vera S. Concilium Tridentinum Sessione 25. cap. 6. idcirco noluit vota procuratoria admittere, ne per constitutionem collusoriam procuratorum puritas electionis infringatur iuxta declarationem Sacrae Congregationis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium de Anno 1570. Eapropter resolvit Amplissimum Capitulum ad talem collusionem antevertendam, ut omnino nulli (p. 4) nisi unicum votum procuratorium admittatur, cum ea tamen limitatione, ut ii, qui ob distantiam per Procuratorem comparere cogantur, unumque constituerunt iam alias etiam voto gaudentem, neque sufficit mora temporis, ut pro alio constituendo constituens requiratur, cum eo casu omne periculum collisionis absit, votum duplex procuratorium sustinendum, ne sine culpa constituens suffragio privetur.

Num. 7. Cum facile evenire queat, mandatum procuratorium minus caute concipi, ac exinde controversias oriri posse, hac de causa Amplissimum Capitulum statuit formulam universalis mandati Procuratorii per Patres Priores e vivis decedente Praelato mox communicandam esse absentibus, potissimum longius distantibus et diem determinatum futurae electionis non praevidentibus, videatur formula. Cap. 3. Num. 2.

Num. 8. Priusquam Pater Abbas adveniat, num Capitulum contra quempiam Capitularium ad excludendum eum a voce activa opponere habeat, disquiratur, quo adventurus Pater Abbas tanto facilius et e vestigio valeat causam diiudicare. Noscuntur autem voce activa vi Statutorum nostrorum praeter eos, quos ius commune a Suffragio ferendo excludit carere *Primo* de lapsu carnis convicti vel confessi, qui a die egressus e carcere triennio voce carent. Statut. Dist. 3. cap. 8. Num. 5. *Secundo*. Qui cum Sanctimoniali peccaverint, carent ea toto tempore vitae suae Statut. Dist. 3. cap 8. Num. 5. et 6. *Tertio*. Conspiratores, infamatores, rebelles, ad extraordinariam iurisdictionem confugientes, Praelatos super gravioribus et peremptoriis accusantes, nec tamen probantes, de solemni periurio convicti, perpetuo voce carent conformiter ad Statuta. Dist. 3. cap. 9. *Quarto*. Similiter Apostatae et fugitivi Statut. Dist. 3. cap. 11. Num. 11. *Quinto*. Cedens stallum indebite iis, qui stallum amisere, caret tam diu voce, quam diu in hoc facto persistit. Statut. ibidem. Num. 16. *Sexto*. Obtinens per se vel alios literas commendatitias (p. 5) pro sui electione, vel implorans opem Magnatum, vel aliorum quorumcumque, atque in eo usque excommunicationis incursum persistens ceu excommunicatus ab electione repellitur. Stat. Dist. 4. cap. 14. Num. 3. *Septimo*. Qui conspirant vel coniurant,

quod solum de gremio velint eligere, pro ea vice carent potestate eligendi. Stat. Dist. 4. cap. 12. Num. 23. *Octavo.* Qui Sede vacante vetitas faciunt innovationes. Stat. Dist. 4. cap. 13. Num. 2. *Nono.* Omnes, qui iure communi arcentur. *Decimo.* Religiosi proprietarii primo biennio carent voce activa. Trident. Sess. 25. de Regular. Cap. 2. *Undecimo.* Transeuntes (nisi sint specialiter ad hunc effectum dispensati) ab ordine mendicante ad non mendicantem, etsi cum licentia Pontificia transeant, Clementina la de Regularibus, quo nomine etiam Patres Societatis veniunt, qui e Societate ea formalitate abeunt, ut directe in Religione non mendicante recipiantur, et demum ii, quos consuetudo legitima ab electione activa repellit.

Num. 9. Cum vero, ut mox dictum, conspiratores de alio quam gremiali non eligendo voce activa careant, sitque proinde eligentibus liberum de alieno gremio Praelatum sibi deligere, quia tamen in Provinciis Inclytae huius Circariae Rescripta Regia expetunt, ut Electus Commissariis Regiis praesentetur, proinde Eligendus in loco Electionis adsit, ne usque ad Electi adventum Commissarii Regii et Pater Abbas cum Assistentibus moram in Monasterio electionis trahere compellantur cum gravamine mox fati Monasterii, eapropter statutum est, ut Pater Abbas Ecclesiae viduatae mature ex Capitulo viduato exquirat, num in gremialem vel extragremialem personam colliment, per singulares Secretas epistolas quivis Capitularium in extragremialem tendentium ; in gremialem collimantes generice suam exponent propensionem, indilate exponat, quo Pater Abbas cum Praelato Eligendi, et ipso eligendo super eius annutu tempestive correspondere, et Candidatum extragremialem advocari facere valeat, quatenus sub Electionis diem adesse, et scrutinii exitum queat Candidatus personaliter praestolari.

(p. 6) Num. 10. Appropinquante electionis die praemittitur scrutinium praevium de qualitate eligendorum conformiter ad Capitulum Generale de Anno 1663. Sess. 11. ad secundum [6]), cui quidem

[6]) De hac re, in Capitulo generali anni 1663, iuxta textum Actorum Capituli ms. Nancy 1767, fol. 264 v°, in sess. 12, his verbis: *Utrum scrutinium ante electionem si statum Ecclesiae et qualitatem personarum ignoraverint* (Patres-abbates, aut Vicarii generales), *instituendum, debeat tamquam suspectum, inutile, et contra Ordinis praxim, et in Ecclesiam iniuriam vergens, omitti, aut ex toto damnari ? Respondit Capitulum, patres-abbates debere sumere recognitionem rerum agendarum, status monasterii et qualitatis personarum, quibus positis, scrutinium patrum-abbatum non potest esse nisi utile et proficuum.*

Scrutinio, cum optarit Capitulum Provinciale Anno 1665. Sess. 4. [7]) unum et alterum Provinciae Dominum Praelatum Conventui acceptabilem adesse, eapropter praevie Capitula orbata circa Assistentes cum Patre Abbate conveniant, eique tria vel quatuor subiecta sibi accepta praesentent, quo Pater Abbas sibi ex iisdem subiectis deligere queat. Adventuro autem Patri Abbati Pater Prior desiderium Conventus exponat, num Scrutinium per ipsum Patrem Abbatem solum vel in praesentia Assistentium celebrari exoptet, quo omnis metus de liberae lectionis impedimento excutiatur. In hoc scrutinio qualitates Candidatorum exquirendae, de quibus in genere duntaxat inquirendum, et num contra Candidatorum quempiam legale quid opponendum habeant, Capitulares interrogandi, ne ad eorum cathalogum reponatur indignus vel etiam minus dignus contra Decretum Innocentii XI. Anno 1679. die 2. Martii, vel excommunicatus cap. 7. de Cleric. excommunicat. Suspensus. cap. ult. eodem et Glossa ad cap. cupientes de electione. interdictus vel irregularis iuxta Doctores. Illegitimus cap. 7. de elect. Schismaticus cap. 5. eodem. Nati ex Iudaeis vel Saracenis. usque ad quartum gradum iuxta Bullas Pii IV. et Gregorii XIII. apud Navarrum. Tit. de Iudaeis, Consil. I. Infames sive infamia iuris sive facti, habens beneficia incompatibilia, extravag. execrabilis de praebendis. Criminosi uti ambitiosi seu consentientes electioni de se factae ante publicatum scrutinium, sacrilegi, falsarii Literarum Apostolicarum, Usurarii manifesti, periuri, publici aleatores ; Simoniaci, quae omnia ex Doctoribus patent abundantius. Item Religiosi proprietarii iuxta Tridentinum supra citatum. Qui Ordinem Regularem eiusdem Ecclesiae professi non sunt ; cap. 49. de election. Demum ii, quos consuetudo, vel loci Statutorum, aut gravi ex causa Capitularium conventio excludit. Fagnanus ad cap. cum dilectus de consuetudine. Demum qui Ordine requisito ad Praelaturam carent, ac ii, quos supra vi Statutorum a voce activa excludi relatum est, eosdem enim a voce passiva (p. 7) quoque sive in perpetuum sive ad tempus sacra arcent Statuta.

Num. 11. Quia vero quandoque ii, qui vocem activam et passivam amiserunt, vocis restitutionem allegant, ea iis neutiquam suffragetur, nisi de gratia sibi facta habeant Domini Praemonstratensis vel proprii Abbatis literas testimoniales. Statut. Dist. 4. cap. 12. Num. 26. in causa tamen vocis activae potest Electionis Praeses ad intercessionem totius vel maioris partis Conventus exigentibus ita meritis

[7]) Acta huius Capituli nobis nota non sunt.

pro vice occurrente misericorditer dispensare. Statut. citato loco. Num. 5.

Caput II.

De ipso Electionis actu, et Electi Confirmatione, ac Installatione

Num. 1. Orta electionis die, si eligentes sint copiosi, mane celebrato Capitulo coram Electionis Praeside iuramentum de eligendo digniore conformiter ad Clementis VIII. decretum in decreto Urbani VIII. de apostatis et eiectis renovatum emittent, forma iuramenti infra in fine cap. 3. Num. 3 concepta, quod iuramentum tamen, si paucitas sit eligentium, congruentius in ipso conclavi emittendum. In eodem Capitulo praevio, num per compromissum vel viam divinae inspirationis eligere, aut in Circaria receptum Scrutinii viam retinere velit, sese declaret Conventus, et si hoc ultimum selegerit, scrutatores tres conformiter ad Cap. quapropter 42. de election. deligentur, qui iuramentum secundum formam Cap. 3. Num. 4. positam specialiter deponent.

Num. 2. Exceptis conformiter ad Caesareum Regiumque rescriptum de Anno 1695. 10 Septembris per Patrem Abbatem et Conventum palliis vestitum, vel palliis apud Conventum deficientibus, rochetis amictum apud portam Monasterii Commissariis Regiis, et in loco speciali commissione sua per Regios eo Conventualiter deductos Commissarios exposita, iidem eodem Ordine ad (p. 8) Ecclesiam deducuntur, Sacrificio de Spiritu Sancto interfuturi, quo finito Domini Commissarii Regii rursus ad locum praecedentem (vel in Austria ad ipsum conclavis locum inibi iuxta praxim per totam electionis tempus perstituri, mensa et sedibus eis *a dextra parte paratis* (N. B. In Austria sedentes commissarii a dextris P. Abbatum, Assistentes in medio : mensis utrique parti dispositis) *Praeside et Assistentibus sinistram tenentibus*) deducuntur, Pater Abbas vero cum Assistentibus et Capitulo electuro ad Conclave sese recipiunt, actum Electionis prosecuturi, in quo conclavi flexis genibus hymnus Veni Creator Spiritus cum versiculo et collecta persolvendus ; demum Electoribus super fungendo rite suo munere facienda exhortatio, ac praelegendum caput Statutorum 12. Dist. 4. cap. 4. et cap. 3. Dist. 2 : *quibus virtutibus Praelatus ornari debeat*, quae duo Capitula etiam praevie in refectorio mature ad mensam pro Iuniorum directione

praelegantur, ut tanto vivacius eligendi virtutes, quam ponderare Electores habent, mente teneant, quo finito Pater Abbas exquirit Capitulares sequentibus verbis : *Estisne igitur omnes parati celebrare Canonicam novi Pastoris electionem* ? Quibus annuentibus exquirit Pater Abbas. *Num omnes, qui vocem in electione habent, sint vocati et praesentes ? et an nullus inter eos sit excommunicatus, suspensus, interdictus, vel alias iure prohibitus ? An omnes sint professi et in Sacris constituti* ? ad quod Prior vice omnium respondet, subiungente demum Patre Abbate sequentia : *Credo ita esse, verumtamen si quis adsit excommunicatus, suspensus, interdictus, in Sacris non constitutus, criminibus vel alias inhabilis, qui de iure vel consuetudine electioni interesse prohibetur, districte praecipio, ut talis exeat de Capitulo, et electioni se nullatenus ingerat, professor enim, non esse mentis meae, aut huius Venerabilis Capituli huiusmodi ad electionem admittere, imo ratum firmumque declaro talia suffragia, si quae compertum fuerit, pro nullis omnino habenda.* Praecipiat deinde Pater Abbas authoritate Capituli Generalis omnibus Electoribus in virtute Sanctae obedientiae, quatenus omnibus affectibus sepositis eum eligant, quem secundum Deum et conscientiam suam, quantum humana fragilitas patitur, vita, scientia, aetate ad officium abbatiale maxime dignum et idoneum censent, prouti quoque ad id vi iuramenti praestiti praevie vel tunc praestandi obligantur, respicitur autem dignior de ipso Capitulo, neque ob id reiiciendus dignus est, quod alibi dignior reperiatur, Capit. Gener. Anno 1663. Sess. 11 ad secundum [8]).

(p. 9) Num. 3. Quod si discordia inter Electores oriatur sub electionis initium, et discordia sedari nequeat, sed unus vel aliqui Capitularium appellationem interponant, nisi appellatio manifeste sit frivola, electio differenda est iuxta cap. 11. de electione, observanda tamen forent ab appellante ea, quae de appellationibus dictant Statuta distinc. 4. cap. 29. Quod si vero appellatio non interponatur, sed solum aliqui Capitularium proinde pauci seu minor pars exirent de Conclavi, prosequenda foret electio iuxta Glossam ad cap. 21. hoc titulo, secus si maior pars exiret, quia Capitulum dissolutum censeretur.

Num. 4. Discordia nulla subversante ad dationem suffragiorum proceditur, quae suffragia, ne in cap. Unicum de postulatione in 6° impingatur, non modo nomen Electi, sed et ipsum modum vocandi,

[8]) Vide n. 6.

num scilicet eligat vel postulet dans suffragium, continere debent. eaque in electione Regularium, cum sub poena nullitatis secreta esse debeant iuxta Tridentinum Sess. 25. cap. 6. de Regularibus, scripta concipiuntur, vel typis mandata, nomina omnium Capitularium distribuuntur, ut Eligendi nomen quivis pro placito sibi ex hinc depromere valeat, ipsaque suffragia de praxi in calicem super mensa Praesidis et Assistentium stantem per Electores ordinate reponuntur, a Scrutatoribus levantur, ac primum, priusquam referentur, numerantur, demum ita, ut ab omnibus tribus Scrutatoribus conspici queant, reserantur, annotantur, calculantur, an quispiam Candidatorum maioritatem votorum obtineat, atque ita annotationibus trium Scrutatorum Praesidi et Assistentibus ad revisionem extraduntur. Quod si fraude Electorum emergat, dum per Scrutatores vota reserata numerantur, non adesse suffragia omnia, nesciaturque cuius Suffragium desit, vel etiam emergat, quempiam duo iniecisse suffragia, cum discernabilia non sint, argumento Bullae a Gregorio XV. emanatae pro electione Pontificia, quae incipit : Aeterni Patris filius. § insuper, suffragia omnia aboleantur, atque ad novum scrutinium procedatur.

Num. 5. Quod si numerus suffragiorum sit iustus, atque schedis omnibus apertis et evolutis calculis votantium una (p. 10) persona maioritatem Canonicam, sufficit enim maioritas numeri, etsi non fiat collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum, Generale Capitulum Anno 1663. Sess. 11. ad Sextum [9]), Pater Abbas cum Assistentibus personam videat qualificatam. ac ipsum electionis processum nullo vitio carentem, palam ex Scrutatoribus exquirit Pater Abbas : *Electane est persona pro huius Ecclesiae regimine idonea in Praelatum vestrum* ? quibus annuentibus et respondentibus electa est, quantum pro fragilitate humana discernere possumus et novimus. Praeses Electionis exquirit ab Electoribus, *Num omnes consentiant in electionem factam*, quibus adstipulantibus iubeat Pater Abbas scrutatores propius accedere, tunc Scrutatorum Senior, vel ad id specialiter deputatus electionem novi Praesulis clare et distincte legendo publicet in forma illa, quae Cap. 3. Num. 5. posita est.

Num. 6. Quod si scrutinio secundo absoluto suffragia per multi-

[9]) In Actis dicti Capituli, sess. 12a, haec referuntur, num. 6°: *Qua ratione, vota, post renovatum scrutinium, possint vel debeant reconciliari ? Dictum fuit quod in electionibus vota numerantur, non ponderantur, et sic, quod vota conciliari debent per eorumdem numerationem.* Ms. Nancy 1767, fol. 264 v°.

tudinem Candidatorum dispersa esse reperiantur, Pater Abbas infelicitatem scrutinii exponat Electoribus, pro curanda autem unitate Praeses Electoribus, Candidatis iis, qui pauciora obtinuere suffragia reiectis, tres Candidatos fortissimos iuxta senioritatis ordinem, quem ipsi tenent, nominabit, ut deinceps in tres personas illas suffragiis reflectant. Et quod si etiam tertium scrutinium inane foret, tertius quoque pauciora habens suffragia reiiciendus, duoque nominandi, in quos suffragia conferenda, cum enim absque hoc congruat, ut Praeses electoribus discordantibus provisurus Ecclesiae viduatae in eum reflectat, qui potiora habuit a Capitularibus vota, adeoque debiliores quoad suffragia Candidati absque hoc reiicerentur. Amplissimum Capitulum nullum neque Candidatis neque Capitularibus praeiudicium generari censuit. Quod sine quidem hoc casu maioritas Canonica obtineri valet, vel quod fors Electores numero pares sint, vel non obstante Praesidis exhortatione Candidatis reiectis, vota adiecerint, atque ita electionem frustraverint, exhortari satagat Electionis Praeses Electores, quo conscientiam observantes suam, electionis frustrationem antevertant, quod si (p. 11) adhuc bis incassum suffragia tulerint electores, ne Commissariis Regiis in Monasterio persistentibus scandalum nascatur, et per longiorem eorum in Monasterio diebus pluribus protractam commorationem Monasteria Circariae nostrae expensis aggraventur, Pater Abbas cum Co-Abbatum Assistentium consilio providebit Ecclesiae, attamen Patri Abbati consulitur, qui eum deputet, qui ultimo praevio scrutinio potioribus votis fuit potitus.

Num. 7. Electione vel Provisione sic terminata Scrutatores cum Neo-Electo, vel Provisus in genua provolvitur, quem Pater Abbas sic alloquitur : *Cum potior votorum numerus in vestram Reverentiam vestram devoluta ad me providendi potestate cum requisito consilio in Praelatum deputaverim, consentisne denominationi Tuae personae in Praelatum.* cuius consensum Pater Abbas acceptat, vel si Praelaturae oneri ferendo impares humeros subdere formidat, divini consoletur ope auxilii, et demum Capitulum exquiratur, num contra confirmationem Electo vel proviso impendendam quis Capitularium habeat, quod opponat, et quidem non sunt audiendi excipientes contra Electum tanquam indignum, qui in praevio scrutinio reticuerunt vitium eligendi iuxta Capitulum Provinciale Anno 1700. Sess. 3. Cap. 7 [10]) de cuius dignitate si mota quaepiam est quaestio

[10]) Vide supra, p. 224.

antehac causa pro debito diiudicata supponitur, ut proinde nihil regulariter obstet, quin ad confirmationem procedatur iuxta formulam confirmationis cap. 3. Num. 6. compilatam.

Num. 8. Confirmato quantum ex parte Ordinis Electo, Pater Abbas eundem Caesareis Regiisque Commissariis praesentat, commendatque, atque eo facto hymnum intonat Ambrosianum sub omnium campanarum compulsu, et praecedente Capitulo (Neo-electum duobus Assistentibus ad sui medium assumentibus) coram maiori Altari consistentibus Praeside, Assistentibus et Neo-Electo, (p. 12) Praeses versum : *Salvum fac servum tuum*, cum Collecta *Praetende* subiungit, et Neo-Electus cum Praeside et Assistentibus altare ascendit, et eo osculato residet ante altare dicente Patre Abbate : *Fratres dilectissimi, Deo conatibus nostris adspirante habetis electum et ex parte Ordinis confirmatum Abbatem vestrum, cui hodie coram altari Divinae Maiestatis sedenti eam, quam omnibus Ecclesiae huius in Praelatum successoribus canonice intrantibus vos praestituros in professione vestra Deo pridem vovistis, promittitis obedientiam.* Deinde Pater Abbas exhortatur Neo-Electum, ut gregem sibi commissum sollicitus custodiat, paterna eis impendat viscera, bonumque Ecclesiae Sibi credita satagat promovere. Quibus peractis Neo-Electus in Ecclesia introductione ad stallum, impositione crucis, mozzetta, annuli, ac clavium Ecclesiae extratraditione, uti et in Abbatia clavium forensium traditione installatur, et instrumentum Electionis in duplici formato Neo-Electo extraditur, formam instrumenti exhibet. cap. 3. num. 7.

Num. 9. Quod si autem Electus ab Ecclesia una ad alteram transferendus est, cum Sacra Statuta distinc. 4. cap. 12. Num. 33, sequent. talem translationem absque expresso Illustrissimi Domini Generalis consensu fieri vetent, eapropter tali eventu neque confirmatio Electo impenditur neque obedientia promittitur (et si hymnus Ambrosianus et exhortatio quaepiam fiat) quousque Illustrissimi Domini Generalis annutus obveniat, obedientia adspondetur, et installatio peragitur. Licet vero absque tali Illustrissimi Domini Generalis annutu translatio talis fieri non valeat, neque tamen ob id solemniter ad postulationem requisitum sunt necessariae, sed requisitus in communi electione suffragiorum numerus pro Canonica maioritate sufficit in tali electionis eventu, in qua electione tamen Praelatus e Capitulo electuro ad aliam Praelaturam assumptus, et nunc ad Capitulum gremiale retransferendus per cap. 47. de election. voce activa

(p. 13) neutiquam potitur ; quod tamen de Praelatis realibus, non vero pure titularibus intelligendum.

Num. 10. Quia in Electionibus Praelatorum Sanctimonialium Ordinis nostri praesidentium vi specialium Provinciae constitutionem de Anno 1691, in punctis finalibus [11]), uti et vi compactatorum inter Monasteria paterna et filialia erectorum, quaepiam singularius observanda, eapropter ea etiam in praesentiarum referuntur, nempe etiam ad electiones has evocandos esse duos Candidi Ordinis Praelatos scrutinio praevio praeliminari interfuturos, atque in ipso conclavi vota Sanctimonialium recepturos et Praesidi exhibituros, quae electio celebratur per monasterium paternum tribus personis idoneis a Maioribus de Domo praestito de digniorum Candidatorum selectu iuramento, adhibito in suffragio verbo : *Nomino*. N. selectis, ad Praelaturam praevie Parthenoni praesentatis, ut ex iis deligere valeant, praestito Sanctimonialibus de digniore eligendo iuramento iuxta Illustrissimi Domini Generalis Praemonstratensis Anno 1713. Die 9. Aprilis resolutionem. Ratio primi est, cum in conscientias horum Seniorum potiori ex parte se referant Moniales electurae digniorem.

Caput III.

Num. I.

Formula invitatoria ad actum Electionis

Cum inscrutabili divinae libuerit voluntati Reverendissimum (p. 14) ac Amplissimum Dominum Dominum N. N. Ecclesiae N. Abbatum ex hac evocare mortalitate, ac necesse proinde sit viduatae de novo sponso prospicere Ecclesiae, et in hunc finem omnes de iure vel consuetudine evocandos legaliter evocare, eapropter Reverendae Paternitati Suae non modo fatalem hunc Reverendissimi Domini Abbatis obitum notificandum, animamque eius Sacrificiis precibusque Reverendae Paternitatis Suae commendandam duximus, sed et praesentibus Reverendam Paternitatem Suam, optimo prout de iure fieri oportet ac valet modo, ad novae electionis actum pro die Mensis x Anno xx et insequente proxima Regiae Commissioni placitum die Ecclesia nostra celebrandum ac ad comparendum

[11]) Vide supra, p. 208.

in mox fato termino ... (quo labente et sua Reverenda Paternitate sive personaliter sive per Procuratorem idoneum non comparente nihilominus ad actum electionis processuri sumus) in eoque ad ferendum sive per se, sive exposcentibus absentiam legitimis causis nobis exprimendis per Procuratorem idoneum pro electione novi Abbatis suffragium fraterne invitamus, confidentes plenissime, hisce nostris invitatoriis legalibus Reverendam Paternitatem suam, prout de iure oportet, delaturam, et praesentiam Suam sive corporalem, sive per Procuratorem idoneum moralem nobis impensuram, in qua spe nos fraternis commendamus favoribus et manemus.

Datum e pleno consessu Capitulari N. die x Mense xx Anno.

Num. II.

Formula mandati Generalis pro Procuratore

Viduata per tristem obitum Reverendissimi ac Amplissimi Domini Domini Abbatis Ecclesia N. per legales invitatorias a Capitulo mox fatae viduatae Ecclesiae ad interessendum novae electionis canonicae actui in dicta Ecclesia (p. 15) celebrando, inibi suffragium, eaque omnia, quae ad hunc actum pertinent, peragenda pro die x. Anno xx. proximoque insequenti die pro electione per Inclytam Commissionem Regiam deputando fraterne evocatus, cum praesentiam corporalem legitimis iureque coeteroquin probatis de causis — hic causae exprimantur — nequeam impendere. Sacrique Canones sic mihi praepedito Procuratoris constitutionem indulgeant, eapropter praesentibus in Procuratorem meum cum mandato generali et clausula rati gratique constituto R. P. N. si Procuratorem meum aut agere nollet aut non posset, R. P. N. huic rursus R. P. N. illi pariter R. P. N. nec non demum R. P. N. substituto, facultatemque huic meo Procuratori cum clausula rati et grati praesenter constituto vel substituto impertior ad omnes actus sive praeparatorios ad electionem, sive electionem ipsam, ferendumque inibi suffragium, vel etiam consummatorios electionis, acsi ipsemet coram essem, consummando, utque hoc procuratorium meum mandatum in se excipere sive constitutus sive substitutis non gravetur, omnigeno fraterne interpello officio. In cuius mandati procuratorii fidem consueti sigilli appressio et manus propriae subscriptio. Datum x die x Anno X.

Num. III.

Formula iuramenti a singulis Electoribus coram Crucifixo flexis genibus super Missale praestandi

Ego N. N. promitto et iuro Deo omnipotenti, Beatissimae Virgini Mariae sine labe originali conceptae, et Sancto N. Patrono huius Ecclesiae, quod illum in Abbatem eligam, quem iuxta meam conscientiam seposito omni affectu aut passione vel (p. 16) proprio commodo credidero munere Abbatiali esse digniorem, et huic nostrae Ecclesiae in spiritualibus ac temporalibus fore utiliorem, ita me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Num. IV.

Formula iuramenti a Scrutatoribus praestandi

Ego N. N. in scrutatorem pro Electionis hodiernae actu designatus iuro, me omnia, quae officii mei fuerint, fideliter executurum, et nemini quidquam eorum, quae in votorum scrutatione cognovero, manifestaturum.

Num. V.

Formula publicationis Electionis

In Nomine Sanctissimae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Haec est electio novi Abbatis Ecclesiae N. quae secundum formam scrutinii canonice fuit celebrata per canonicos dictae Ecclesiae Regulares sacri Ordinis Praemonstratensis legitime et Capitulariter congregatos, et absque ulla iuris inhabilitate existentes in Conventu N. Anno xx Die xx mense xx praesidente Reverendissimo et Amplissimo Domino N. N. Assistentibus et ex parte Praesidis in consilium assumptis Reverendissimis et Amplissimis Dominis N. N. in qua Admodum Reverendus Electus, in quem maior votorum pars convenit xx vota habuit et ego N. N. Ecclesiae N. canonicus ex Scrutatoribus singulariter ad hoc assumptus nomine meo et nomine omnium aliorum, qui in (p. 17) dictam Electionem convenerunt et consenserunt, nomino et eligo Religiosum virum Admodum Reverendum Patrem N. N. Ecclesiae N. professum, in

quem potior votorum numerus convenit, in Ecclesiae N. Praelatum et Pastorem, quem electionem Reverendissime et Amplissime Domine huius Ecclesiae Pater et Abbas tanquam rite et canonice factam ego meo et nomine totius Conventus nostri N a vobis benigne confirmari.

Num. VI.

Forma Confirmationis Neo-Electi

Quod felix faustum fortunatumque sit, et in Dei Omnipotentis, ac Deiparae Virginis sine originali labe conceptae, nec non Sanctorum Patriarcharum Augustini et Norberti gloriam, in candidissimi Ordinuis nostri honorem, et celeberrimae huius Ecclesiae utilitatem cedat, Ego N. N. Ecclesiae huius Pater Abbas electionem tui hodiernam rite et canonice factam, authoritate paterna confirmo, Teque Monasterio huic N. in Abbatem praeficio, tibique curam, regimen, et Administrationem eiusdem tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committo, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti Amen.

Num. VII.

Instrumentum Electionis Neo-Electi
in sequenti duplici extradendum formato

(p. 18) Primum
In nomine Domini. Amen

Notum sit omnibus quorum interest, vel interesse potest, in Monasterio N. Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis, sede Abbatiali post obitum Reverendissimi N. vacante Anno xx Mense xx die xx celebratum esse actum electionis per viam Scrutinii in Circaria nostra hactenus usitatam, in quo praesidente N. Assistentibus Reverendissimis ac Amplissimis Dominis N. N. professis omnibus canonice non impeditis comparentibus et votantibus per vota secreta electus est Reverendissimus Dominus N. N. votis in eum concurrentibus, et Sacrae Caesareae Regiae Maiestatis Commissariis ad praefatum actum electionis deputatis praesentatus, et ab omnibus Ecclesiae N. professis pro canonice electo Abbate acceptatus, cui

etiam singuli coram Summo altari obedientiam de more Ordinis praestiterunt. In quorum fidem nos infra scripti, qui Electioni celebratae interfuimus, praesens instrumentum ereximus et subsignavimus in Monasterio N. die x mense x Anno xx.

Secundum

Nos N. N. Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Ecclesiae N. Abbas et Ecclesiae N. Pater Abbas et Viduatae per mortem Domini N. Ecclesiae de novo Abbate ex Statutorum nostrorum praescripto provisuri, diem pro nova electione praefiximus, quae — legitime celebrata et ad finem feliciter perducta (p. 19) — instrumento desuper a me erecto Conventu N. ac Reverendissimis Dominis Assistentibus subscripto et subsignato locupletius attestante — Reverendissimum Dominum N. Ecclesiae N. professum — (huc ponatur nomen officii quod gessit) in Abbatem eiusdem electum capitulariter dicto actui electionis praesidentes e vestigio confirmavimus. Quibus omnibus Canonice ac legitime gestis denuo eundem Reverendissimum Dominum Praelatum unanimi ac libero Professorum N. consensu electum modo forma solemniori, qua possumus authoritate paterna confirmamus, concessa eidem facultate Ecclesiam N. regendi et administrandi aliaque omnia et singula agendi seu exercendi, quae electo ibidem et confirmato Praelato de iure permitti et competere dignoscuntur. Simul in virtute Sanctae obedientiae omnibus Ecclesiae N. professis praecipientes, ut dictum Reverendissimum Dominum N. pro vero ac legitimo suo Abbate agnoscere, eidemque venerationem ac obedientiam debitam semper deferre perseverent. Datum N. die x Mense x Anno x.

(L. S.) Concordat cum originali (autogr.)

Marianus (autogr.) [12]).

[12]) Marianus Herman, abbas Strahoviensis et Vicarius generalis.

INDEX LOCORUM ET PERSONARUM

Cum in praesenti hac editione habeatur extractus alphabeticus, in quo ea omnia et singula quae in Actis horum Capitulorum tractata et determinata fuerunt contineantur, indicem systematicum contentorum in his Capituli non necessarium esse censuimus. Extractus ille alphabeticus habetur, supra, pp. 330-355.

N. ab Alemunssen: 15, 30, 33, 35, 47, 56, 62.
E. ab Harrach, card.: 12, 89, 166.
N. ab Horrichem: 88.
M. Abordyn: 218, 219.
S. Adelbertus: 328.
Adam Pernecensis: 291.
a Dietrichem: 141, 160.
a Dietrichstein, card.: 22, 168, 169.
Albani, card.: 324.
T. Alberspach: 265, 270.
Fr. Albrecht: 262, 275, 319, 320.
Alexander III: 331.
Alexander VII: 100, 293.
Alexius Milovicensis: 170.
C. Altringa: 21.
N. Amelecza: 62.
Ambrosius Kludubiensis: 56.
S. Anna: 339.
Anselmus Taboriensis: 56.
Austria: 5, 7, 11, 13, 15, 46, 56, 75, 81, 98, 106, 151, 171, 172, 189, 194, 245, 246, 248, 282, 287, 306, 307, 358.

Ph. Babeur: 6, 289.
N. Backmund: 11, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 23, 25, 32, 33, 34, 35, 37, 39, 45, 47, 49, 54, 56, 57, 62, 65, 72, 78, 80, 81, 82, 83, 86, 98, 99, 102, 104, 106, 108, 110, 111, 112, 121, 122, 123, 124, 129, 131, 136, 140, 141, 144, 146, 151, 152, 153, 154, 168, 170, 174, 175, 176, 177, 195, 199, 200, 212, 213, 215, 216, 225, 226, 227, 228, 229, 245, 250, 264, 275, 277, 278, 279, 294, 295, 297, 306, 308, 309, 310, 319, 320, 321, 322, 323, 325.
Chr. Ballard: 7.
N. Bandheuer: 32, 33, 45, 48, 54, 55, 56, 62, 63, 72.
H. Bartlitius: 277, 279, 293, 294, 300, 319, 321, 325, 356.
Bartholomaeus Neoricensis: 56.
Bavaria: 65, 114, 210, 225.
Bavari: 64.
Belgium: 4, 66.
Bellus Reditus: 169, 295.
E. Benatko: 62, 80, 85.
F. J. Benoist: 173, 205, 211.
S. Bernardus: 162.
Bernardus Plagensis: 97.
S. Bernbach: 213, 215, 229, 233, 240, 243.
Blumau: 326.
Bohemia: 3, 6, 7, 11, 12, 13, 14, 15, 18, 19, 20, 22, 35, 58, 67, 70, 72, 73, 74, 77, 81, 82, 85, 86, 90, 91, 92, 93, 96, 98, 104, 108, 109, 124, 128, 129, 149, 151, 171, 172, 174, 189, 186, 199, 200, 201, 203, 204, 205, 214, 217, 225, 235, 238, 245, 246, 249, 256, 262, 263, 266, 274, 277, 296, 306, 307, 308, 311, 319, 330, 338, 343, 358.
Bonifacius VIII: 174.
B. Bonisch: 270, 276, 279, 297, 300, 350.
M. Bösmert: 93, 103, 106.

Brabantia: 3, 5.
C. Brandl: 356.
C. Brandt: 279.
N. Bratitz: 45, 46, 53, 56, 62.
H. Breuer: 175, 245.
Brezessovia: 326.
A. Brückner: 240, 248, 249, 253, 263.
Bruna: 109.
O. Brusky: 279, 300, 356.
Bruxellae: 6, 11, 14.
Butz: 34.
Fr. Buyrette: 107.

N. Cailleux: 100.
S. Candidus: 193, 194.
Capua: 221.
Capitulum Generale 1523: 359.
Cap. Gen. 1574: 3.
Cap. Gen. 1605: 4.
Cap. Gen. 1625: 67.
Cap. Gen. 1633: 10, 11.
Cap. Gen. 1656: 333.
Cap. Gen. 1657: 5, 6, 71, 73, 92, 114, 124, 165, 182, 188, 189, 201, 202, 256, 289, 290, 292, 330, 331, 332, 333, 334, 335, 336, 337, 338, 342, 343, 347, 348, 349, 350, 351, 352, 353, 354, 355, 359.
Cap. Gen. 1660: 6, 94, 100, 183, 185, 206, 290, 330, 331, 332, 333, 334, 335, 336, 337, 338, 339, 341, 342, 343, 344, 346, 347, 348, 350, 351, 352, 354, 355, 359.
Cap. Gen. 1663: 6, 100, 187, 220, 223, 331, 334, 347, 350, 355, 356, 358, 362, 365.
Cap. Gen. 1666: 6, 100, 187, 220, 289, 316, 331, 342, 343, 344, 345, 348, 354.
Cap. Gen. 1670: 100, 115, 124, 185, 186, 188, 328, 331, 334, 336, 337, 339, 340, 344, 346, 349, 350, 351, 355.
Cap. Gen. 1683: 188.
Cap. Gen. 1686: 6, 169, 222.
Cap. Gen. 1717: 289, 292, 295, 296.
Cap. Gen. 1721: 7, 343.
Cap. Prov. Bohemiae, etc. 1630: 20.
Cap. Prov. Boh., 1641: 7, 9-34, 39, 42, 58, 79, 113-114, 154.
Cap. Prov. Boh., 1644: 7, 8, 35-52, 58, 59, 60, 61, 115, 334, 335, 338, 342, 343, 347, 353.
Cap. Prov. Boh., 1651: 58-69, 91, 339.
Cap. Prov. Boh., 1656: 7, 70-80, 113.
Cap. Prov. Boh., 1659: 7, 81-97, 102, 103, 125, 140, 143, 166, 168, 183, 332.
Cap. Prov. Boh., 1665: 103, 160, 331, 333, 338, 340, 341, 348, 350, 354.
Cap. Prov. Boh., 1667: 115, 337.
Cap. Prov. Boh., 1670: 7, 98-107, 113, 124, 142, 185-186, 188.
Cap. Prov. Boh., 1677: 7, 108-127, 130, 131, 153, 154, 155, 163, 174, 176, 178, 189, 191, 228, 230, 332, 333, 334, 335, 336, 337, 338, 339, 340, 341, 353, 345, 346, 348, 352.
Cap. Prov. Boh., 1681: 7, 128, 150, 153, 155, 158, 160, 229, 297, 333, 334, 336, 337, 338, 352, 353.
Cap. Gen. Boh., 1686: 331, 333, 338, 340, 341, 348, 354.
Cap. Prov. Boh., 1687: 7, 151-173, 175, 187, 188, 191, 195, 218.
Cap. Prov. Boh., 1691: 7, 174-211, 228, 242, 290, 291, 331, 332, 333, 334, 335, 336, 339, 340, 342, 343, 344, 345, 349, 350, 351, 352, 354, 369.
Cap. Prov. Boh., 1700: 7, 163-166, 175, 187, 216-244, 331, 332, 333, 335, 339, 341, 342, 344, 345, 346, 347, 348.
Cap. Prov. Boh., 1703: 246, 253, 344.
Cap. Prov. Boh., 1710: 7, 245-274, 330, 334, 335, 339, 342, 344, 347, 350, 351.
Cap. Prov. Boh., 1717: 289, 292, 295, 296, 334, 339, 341, 342, 344, 345, 346, 355.
Cap. Prov. Boh., 1719: 7, 275-305, 311, 314, 317, 318, 328, 330, 331, 332, 333, 334, 336, 337, 338, 340, 341, 342, 343, 344, 345, 346, 347, 348, 349, 350, 352, 353, 355, 360.

Cap. Prov. Boh., 1727: 7, 306-329.
Cap. Prov. Boh., 1780: 329.
Cap. Prov. Brabantiae, 1719: 328, 330, 331, 332, 333.
Cap. Prov. Westphaliae, 1660: 355.
S. Carolus Borromaeus: 296.
A. Cheno: 280, 301, 356.
Cholinum: 200, 209.
Choteschovium: 32, 33, 34, 45, 47, 54, 56, 58, 62, 65, 71, 72, 80, 81, 82, 83, 89, 96, 99, 104, 106, 110, 127, 130, 146, 148, 153, 155, 161, 170, 178, 181, 199, 209, 215, 223, 234, 241, 250, 252, 253, 269, 270, 278, 279, 300, 323, 325, 326, 356.
B. Cischini: 270, 280, 301, 356.
Clemens V: 105.
Clemens VIII: 221, 293, 322, 368.
Clemens IX: 100.
Clemens X: 272, 293, 294, 295.
Clemens XI: 263, 296.
Clemens a Bavaria: 291.
L. Clement: 325.
M. Colbert: 99, 100, 106, 107, 110, 113, 115, 116, 148, 150, 156, 171, 173, 175, 204, 210, 213, 235, 237, 257, 264.
Collegium S. Norberti Coloniense: 104, 116.
Collegium S. Norberti Pragense: 25, 27, 33, 39, 41, 54, 86, 89, 104, 123, 127, 142, 148, 153, 177, 214, 234, 241, 243, 298, 301, 356.
Collegium S. Norberti Romanum: 14, 18, 117, 324.
Collmiz, card.: 167.
Colonia: 229.
Concilium Tridentinum: 109, 129, 151, 162, 163, 164, 165, 175, 361, 363, 366.
J. Coomans: 14, 18.
P. Cotveninus: 11.
P. Credis: 249, 269, 278, 301, 356.
Csorna: 252, 254, 255, 277, 280, 301, 310, 356.
Cuissiacum: 18.
Czarnivicium: 73, 74, 75, 78, 80, 82, 89, 96, 111, 123, 124, 127, 131, 142, 143, 155, 161, 166, 170, 181, 192, 200, 209, 215, 223, 234, 239, 240, 241, 243, 244, 250, 252, 278, 283, 309, 310, 325.
C. Czelekowski: 39, 106, 156, 170, 177, 199, 208.

Daniel Pernecensis: 56.
A. de Butrio: 360.
B. de Gerbert: 89, 111, 127, 131, 155, 166, 170, 199, 201.
S. de Ginnich: 310.
L. de Haselberg: 65.
Fr. de Hohberg: 309, 316, 325.
S. de Lairuelz: 66, 67.
Fr. de la Motte: 295.
B. L. Löwenthal: 234, 240, 241.
J. de Neve: 87.
L. de Quast: 278.
G. de Questenberg: 39, 41, 121, 123, 129, 154, 190.
de Richelieu, card.: 9, 19.
P. Desbans: 9.
J. Despruets: 3.
d'Este, card.: 3.
C. Fr. de Tahy: 356.
N. Dirig: 177, 202, 209, 216, 234, 238, 241, 243.
Domnus Martinus: 6, 116.
Doxan: 12, 13, 15, 23, 30, 31, 33, 35, 37, 46, 47, 56, 62, 72, 80, 83, 85, 87, 106, 110, 111, 112, 127, 131, 148, 161. 170, 171, 177, 181, 189, 193, 194, 199, 193, 194, 199, 200, 209, 215, 221, 222, 223, 234, 235, 238, 239, 243, 244, 249, 251, 253, 269, 270, 279, 300, 325, 356.
Drosendorf: 34, 156.
M. Drosner: 310, 325.
A. du Bos: 156.
G. du Crocq: 5, 6.
I. Dumesnil: 237.

S. Emericus: 296.
Engelbertus Geracensis: 70.
Engelbertus Selaviensis: 56.
Engelbertus Teplensis: 148.
Erasmus Strahoviensis: 148.

Pr. Esterhasy: 254.
Eugenius IV: 295.
Europa: 4.

Chr. Faber: 21.
M. A. Fabritius: 215, 234, 240.
S. Falco: 99, 102, 103, 104, 106, 111, 112, 120, 126.
M. Feitell: 200, 209.
M. Feith: 300, 356.
M. Felder: 127, 198, 199.
Ferdinandus II: 19, 20, 104, 121.
Ferdinandus III: 20, 21, 86.
H. Flade: 148, 171, 200, 209.
Flandria: 3, 87.
Foreffia: 3, 18.
Frading: 97.
Franciscus Pernhartensis: 33.
Franciscus Siloensis: 148.
Franciscus Zatacensis: 33.
V. Frank: 81, 86, 90, 92, 93, 96, 105.
Fredericus Neoricensis: 97.
Fredericus Teplensis: 33.
Fr. Freisleben: 63, 72, 79, 80, 82, 94, 97, 118, 125, 126, 127, 326.
Fridericus Gradicensis: 56.
V. Fridrich: 326.
A. Friedenfels: 129, 130.
E. Fritsch: 303, 325.
N. Fromholtz: 171, 200, 247, 248, 269.
C. Fromm: 214.
F. Frisch: 270.
Chr. Fuck: 11, 12, 13, 14, 15, 16, 19, 21, 23, 25, 27, 30, 31, 32, 41, 45, 54, 62, 64, 93.
Fr. Füssl: 33, 62.

Gallia: 3, 73, 220, 319.
A. Gebel: 111, 113, 129, 132, 147, 166.
J. Gedinus: 16, 32, 54, 56.
B. Gerlacus Milovicensis: 18, 19, 20.
Gerusium: 8, 12, 17, 22, 32, 33, 34, 46, 56, 62, 69, 78, 80, 96, 97, 103, 104, 106, 111, 118, 122, 123, 124, 126, 127, 130, 148, 149, 153, 155, 161, 170, 200, 203, 215, 219, 234, 239, 240, 241, 243, 251, 252, 270, 277, 278, 280, 294, 301, 306, 310, 321, 355, 356.
D. Girnth: 170.
Glesselius, card.: 22.
B. Godefridus: 328.
Godefridus Kyritanensis: 148, 200.
F. Gofnert: 278.
G. Göhl: 270.
L. Goovaerts: 6, 11, 14, 16, 19, 30, 39, 63, 72, 73, 74, 81, 82, 88, 99, 100, 101, 108, 112, 115, 116, 117, 118, 121, 128, 150, 151, 153, 154, 156, 175, 177, 200, 213, 214, 215, 216, 219, 234, 247, 249, 250, 270, 270, 274, 277, 278, 279, 280, 301, 308, 309, 310, 320, 324, 325, 326.
F. Göpfert: 301, 356.
P. Gosset: 9, 10, 289.
Graben: 277, 280, 301, 310, 356.
Gradicium: 7, 12, 16, 32, 33, 34, 54, 56, 62, 73, 82, 84, 87, 88, 94, 98, 99, 102, 103, 105, 106, 111, 113, 126, 127, 129, 131, 138, 141, 142, 143, 152, 153, 155, 161, 169, 171, 174, 175, 176, 177, 178, 182, 198, 199, 200, 201, 205, 208, 210, 212, 213, 215, 216, 223, 233, 234, 235, 238, 240, 241, 243, 244, 245, 246, 247, 249, 250, 251, 252, 253, 254, 255, 256, 262, 264, 265, 267, 269, 270, 276, 277, 279, 283, 297, 301, 308, 309, 310, 325, 333, 355.
B. Grassl: 9.
I. Grecher: 270.
Gregorius XIII: 293, 363.
Gregorius XIV: 293.
Gregorius XV: 284, 366.
Gregorius Zabrdovicensis: 170.
M. Greysing: 15, 16, 17, 33, 45, 53, 56, 62, 75, 77, 80, 82, 96.
M. Grolich: 37.
M. Gruber: 247, 301, 326, 356.
D. Gürnth: 131, 148.

L. Hackenschmidt: 99, 105, 106.
L. Hajek: 215, 234, 240, 243, 249, 257, 265, 269.
Harpatz: 254.

Hebdovicium: 112.
S. Hedwigis: 189, 296.
G. Heil: 148.
Fr. Helger: 277, 280, 301, 310, 356.
Henricus Lucensis: 56.
Henricus Neoricensis: 170.
P. Herkardt: 17, 32, 33, 41, 56.
M. Hermann: 275, 276, 278, 294, 300, 306, 307, 329.
Hispania: 3, 73.
H. Hlina: 247, 269, 275, 276, 277, 278, 300, 351.
E. Hoffmeijer: 215.
C. Hofman: 72, 73, 83.
H. Hohmann: 111, 127, 129, 140, 147, 151, 169, 170, 173, 182.
Gr. Holasek: 308, 356.
C. Holczbauer: 234, 241, 243.
E. Höller: 171.
E. Hormayr: 234, 240, 243.
Horpach: 310, 319, 322.
N. Hruza: 301, 356.
C. L. Hugo: 6, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 21, 23, 25, 31, 32, 33, 35, 37, 39, 45, 46, 47, 48, 49, 54, 61, 62, 63, 65, 70, 72, 78, 80, 81, 82, 83, 98, 99, 100, 101, 102, 104, 108, 110, 111, 112, 118, 121, 123, 124, 127, 128, 129, 131, 132, 135, 142, 151, 152, 154, 163, 174, 175, 176, 177, 195, 199, 200, 212, 213, 217, 219, 225, 245, 247, 248, 249, 250, 264, 271, 275, 276, 277, 278, 295, 297, 306, 310, 319, 320.
Hugo Lucensis: 33.
Hundsfeld: 326.
Hungaria: 6, 8, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 19, 20, 21, 22, 23, 25, 32, 35, 70, 84, 124, 128, 137, 139, 142, 143, 145, 146, 147, 148, 149, 154, 162, 163, 167, 172, 173, 176, 195, 196, 203, 210, 217, 228, 232, 238, 240, 245, 246, 249, 249, 252, 254, 262, 271, 277, 278, 294, 308, 319, 325, 339.

Iglavia: 7, 12, 20, 33, 151.
Ignatius Plagensis: 82.
G. Ilgner: 270.
A. Ilner: 278, 279.
Innocentius IV: 128.
Innocentius X: 9, 318, 363.
Innocentius XI: 297.
Italia: 220.
A. Iwerzagh: 270.

A. Janausseck: 270.
N. Jancke: 216, 234, 240, 243, 279, 301, 356.
N. Janschi: 106.
Jaszo: 144, 238, 247, 249, 252, 256, 269, 302, 309, 310, 325, 329, 357.
Jastoricum: 71.
N. Javornicius: 112, 127, 131, 148.
Joachim Strahoviensis: 229.
S. Joannes de Deo: 296.
Joannes Drosendorfiensis: 34, 56.
Joannes Neclensis: 341.
S. Joannes Nepomucenus: 296, 339.
Joannes Strahoviensis: 33.
Josephus Ulrichbergensis: 57.
Julius II: 158, 173, 241, 244, 316.
H. Jullin: 295.
M. Jurzina: 234, 241, 244.

B. Kaer: 86.
C. Karger: 326.
M. Kastl: 99, 106, 127, 148, 153, 155, 170, 178.
Kaunitium: 21, 22, 99, 112, 121, 122, 126, 141, 160, 169, 179, 181, 205, 323.
A. Keindl: 148.
C. Keller: 200, 209, 215, 218, 221, 233, 240.
H. Kichler: 249, 270, 272, 274, 326.
St. Kielmann: 111, 127.
I. Kirchberger: 277.
G. Kisselius: 200, 209.
N. Kleibel: 104, 106, 127.
C. Klein: 131, 136, 142, 147.
Klesel, card.: 22.
Fr. Knodt: 225.
A. Koblitz: 153.
A. Koch: 148, 270, 280, 301, 356.
M. Köller: 153.

A. Korb: 171.
Kostomploc: 21.
L. Kotzak: 234, 240, 243.
Gr. Kratsnicka: 234, 240, 243, 301, 326, 356.
C. Kratschvile: 182, 170, 199, 209, 221, 234, 240, 243, 247, 252, 269.
Fr. Kreisl: 326.
E. Krenniger: 196.
M. Krzizek: 326.
Krzyzanovicium: 73, 74, 80.
H. Kröchner: 234, 240, 243.
D. Kuminski (Kremoresky): 213, 221.
D. Kurck: 106.
B. Kunowski: 234, 240, 243.
Gr. Kvaszizka: 279.
Kyretinensis: 102, 106, 126, 127, 209, 264.
G. Kysselius: 127.

B. Lachen: 12, 15, 17, 21, 22, 23, 33, 39, 45, 46, 54, 55, 58, 62, 63, 64, 69, 79, 88.
A. Landgraff: 200, 209, 280, 301, 357.
Lanek: 112, 127.
Th. Lang: 106.
Langheim: 323.
P. Langhoffer: 200, 209.
Laudunum: 3, 4, 6, 18.
E. Lechner: 279, 302, 357.
B. le Comte: 156.
Pl. Lefèvre: 23, 35, 58, 156.
B. Leipold: 215.
Leizovia: 196.
Lelesz: 238, 252, 253, 256, 277, 280, 298, 301, 310, 356.
Leodium: 169.
L. Leonard: 173, 203, 222, 236.
S. Leonardus: 296.
S. Leopoldus: 135, 189.
L. Lerch: 234, 240, 243, 278, 304, 305, 310, 325, 356, 357.
A. le Scellier: 9, 59, 61, 69, 78, 100, 109, 132, 289.
N. Liebental: 21, 62, 109, 132, 165, 177.
Limovicium: 22.
L. Locher: 65.
C. Loiseau: 156.
Lotharingia: 196.
Louis XIV: 100.
Lovanium: 23, 35.
Loverval: 295.
Luca: 6, 12, 15, 17, 21, 22, 24, 32, 33, 37, 39, 54, 55, 56, 58, 62, 63, 64, 68, 70, 71, 72, 75, 77, 79, 80, 81, 82, 83, 91, 94, 95, 96, 98, 102, 103, 106, 113, 118, 123, 126, 127, 131, 136, 143, 146, 147, 148, 151, 152, 153, 154, 161, 166, 167, 169, 170, 175, 181, (183, 195, 199, 208, 209, 213, 218, 221, 222, 223, 233, 234, 238, 239, 240, 243, 247, 250, 251, 252, 253, 255, 256, 257, 269, 270, 276, 277, 278, 279, 280, 383, 300, 301, 302, 308, 309, 310, 311. 325, 329, 330, 333, 355, 356.
Cl. H. Lucas de Muin: 271, 273, 276, 303, 307, 327.
Ludovicus Praemonstratensis: 150.

G. Madelaine: 135.
Magdeburgum: 307.
St. Magni: 49, 56.
W. Maii: 171, 200, 209.
H. Manary: 303.
M. A. Maraldus: 11.
S. Marcellinus: 220.
Marcellus: 220.
Marchtallum: 116.
B. V. Maria: 344.
S. Martinus: 296.
Martinus V.: 294.
SS. Martyris Gorcomienses: 328.
B. Masius: 23.
S. Maternus: 193, 194.
Mathias Choteschoviensis: 34.
N. Mattens: 324.
Matthaeus Plagensis: 56.
A. Mayr: 65.
Mechlinia: 297.
C. Meiner: 196.
N. Meister: 82, 90, 104, 111.
Michael Plagensis: 112, 118.
Michael Teplensis: 83, 86, 97.
I. Mika: 249, 269, 279, 300, 325, 356.

Milovicium: 18, 19, 20, 21, 32, 55, 86, 91, 92, 96, 101, 121, 122, 140, 141, 146, 153, 154, 168, 170, 200, 201, 229, 230, 234, 240, 241, 243, 244, 245, 278, 280, 284, 297, 301, 306, 307, 323, 326, 351.
F. Miller: 270.
C. Mitis: 112, 127, 153, 199, 201.
C. Moizhoniusty: 152.
Sta Monica: 296.
Mons Praemonstrati: 142, 171, 200, 234, 241, 244, 264, 265, 270, 297, 300.
Mons Oliveti: 22.
Mons Sion: 11, 13, 20.
Moravia: 5, 7, 11, 13, 15, 21, 35, 45, 46, 58, 64, 67, 72, 73, 74, 75, 77, 78, 80, 82, 85, 86, 87, 90, 91, 92, 93, 96, 98, 100, 105, 106, 109, 110, 111, 113, 123, 124, 127, 151, 160, 171, 172, 179, 189, 210, 212, 235, 245, 246, 262, 268, 278, 306, 307, 358.
Fr. Mozni: 326.
A. Müller: 177, 200, 209.
V. Mundelaers: 117.
Mussipontum: 9.

Nancy: 6, 9, 11, 13.
Neoricium: 17, 20, 30, 33, 54, 56, 62, 80, 85, 91, 93, 106, 112, 120, 127, 144, 148, 152, 155, 161, 170, 181, 183, 199, 200, 209, 215, 223, 234, 240, 241, 249, 252, 269, 270, 278, 295, 300, 301, 309, 325, 339, 356.
J. Nerlich: 171, 200, 209.
D. Netolizky: 278, 301, 351.
Neumann: 127.
Neuschlon: 21, 22.
Nicolaus IV: 174.
Nicolaus Gerusenus: 33.
Nicolaus Strahoviensis: 33.
G. Neidhardt: 152, 170.
Ninovia: 87, 310.
Nokla: 356.
S. Norbertus: 5, 11, 12, 13, 14, 18, 24, 37, 46, 52, 59, 60, 63, 65, 68, 78, 83, 93, 95, 101, 102, 104, 121, 123, 129, 135, 145, 151, 163, 189, 190, 192, 213, 214, 233, 242, 253, 263, 292, 296, 307, 321, 324, 341, 344, 345.
Norbertus Lucensis: 170.
Norbertus Sinoneus: 325.
E. Nova: 106.

Oberamb: 41.
W. Obermiller: 326.
G. Olenius: 56, 62, 80, 82, 84, 85, 88, 89, 90, 96, 102, 103, 106, 124, 126, 147.
Olomucium: 11, 12, 22, 72, 88, 98, 174, 205, 264, 268, 272.
Th. Olschansky: 82, 84, 87, 93, 96.
A. Orticzky: 250, 270.
B. Oss: 127.
Osterhovium: 323.

T. Paas: 5.
Parcum: 116, 206.
Parisiae: 7, 9, 116, 172, 173, 222, 236, 282, 283.
M. Paucker: 106.
M. Paul: 5, 6, 7, 70, 73, 75, 76, 77, 80, 81.
Paulus III: 294.
Paulus Czarnovicensis: 89.
Paulus Plagensis: 170.
J. Pecker: 15, 17, 32, 45, 55, 56.
A. Peletz: 82, 89, 96.
A. Perlerius: 33, 39, 54, 55. 56.
Pernecium: 16, 32, 33, 37, 41, 43, 45, 46, 48, 53, 56, 62, 80, 82, 96, 104, 106, 110, 111, 112, 123, 127, 130, 135, 153, 161, 168, 169, 170, 181, 199, 200, 209, 217, 221, 222, 223, 232, 233, 234, 238, 239, 240, 241, 243, 249, 251, 254, 255, 269, 270, 278, 279, 294, 299, 301, 310, 321, 325, 356.
Pernhart: 34.
D. Peterka: 249, 269, 278, 279, 300, 325, 356.
Petrus Pernecensis: 170.

Petrus Zabrdovicensis: 33.
M. Pfendler: 148, 151, 155, 161, 167, 170, 199, 209, 213, 216, 226, 231.
I. Piazza: 248.
A. Pinter: 310.
Pisani, card.: 3.
Pius IV: 363.
Pius V: 319, 360.
Plaga: 9, 11, 12, 13, 15, 16, 17, 25, 31, 33, 35, 45, 53, 55, 56, 57, 61, 62, 63, 64, 68, 72, 75, 77, 80, 81, 82, 84, 90, 97, 103, 112, 114, 118, 125, 126, 127, 131, 148, 149, 170, 177, 183, 189, 194, 195, 198, 200, 203, 209, 213, 223, 229, 230, 239, 250, 258, 260, 301, 309, 310, 323, 325, 326, 334, 335, 338, 356, 357.
M. Planiczka: 326.
M. Pleyer: 96, 102, 124, 126, 143, 144, 167, 170.
L. Plocar: 17.
N. Plutzar: 62.
Polonia: 5, 6, 11, 13, 14, 18, 35, 64, 70, 106, 112, 121, 124, 210.
A. Ponner: 127.
Porta Coeli: 22.
C. Post: 241, 243.
Praemonstratum: 3, 4, 12, 15, 18, 20, 22, 23, 25, 61, 69, 79, 100, 106, 107, 110, 113, 165, 169, 170, 171, 172, 173, 174, 175, 189, 200, 210, 219, 235, 236, 237, 268, 271, 272, 280, 303, 327.
Praga: 9, 11, 12, 13, 15, 25, 31, 45, 55, 61, 108, 113, 123, 128, 129, 155, 166, 168, 175, 183, 190, 213, 214, 216, 235, 237, 240, 245, 260, 261, 267, 271, 272, 280, 298, 320, 324, 328.
I. Prell: 325.
S. Procopius: 168.
L. Pröll: 118.
Promontorium S. Stephani: 252, 298.
R. Prossex: 200.

S. Raguet: 9.
Rancinium: 279.
Fr. Redman: 200, 209.
Rekem: 295.
F. Reynal: 273.
L. Rieffling: 300, 356.
M. Riesenhuber: 37.
A. Rochen: 213, 216.
C. Roczar: 17, 33, 54, 56.
Roma: 5, 9, 11, 14, 18, 19, 64, 117, 165, 248.
Rorbach: 280, 357.
W. Roscher: 156.
V. Rössler: 73, 74, 76, 80, 81, 82, 92, 94, 96.
Rotha: 65.
Rudolphus II: 121.
Rudolphus Wratislaviensis: 148.
A. Ruckmüller: 148.
Runcinen: 356.
Fr. Rupertus: 106.

A. Sadonius: 234, 241, 244.
R. Sancius: 277, 280, 301, 308, 309, 325, 356.
S. Michael Antverpiensis: 116.
S. Nicolaus Furnensis: 218, 219.
S. Vincentuis Wratislaviensis: 6, 21, 62, 63, 64, 70, 74, 75, 78, 82, 84, 88, 97, 99, 102, 105, 106, 109, 110, 111, 112, 113, 123, 124, 127, 130, 131, 132, 142, 143, 145, 147, 154, 155, 157, 161, 165, 166, 170, 171, 177, 179, 181, 199, 200, 208, 209, 215, 221, 222, 223, 233, 238, 239, 241, 243, 244, 247, 248, 249, 252, 253, 257, 269, 270, 278, 273, 303, 325.
L. Santifaller: 21, 62, 81, 98, 99, 109, 110, 132, 165, 177.
A. Sauberer: 329.
Saxonia: 11.
Sayna: 116.
Th. Schaffarazek: 215, 234, 240, 243, 250.
Schäftlarn: 65.
Fr. Schällinger: 106.
Fr. Schiel: 106.
R. Schimonivsky: 325.
D. Schindler: 279, 325.
Fr. Schindler: 12.

Fr. Schinelius: 62, 73.
H. Schleiber: 176.
H. Schmalhofer: 279, 326, 356.
A. Schmidt: 126, 131, 134, 148.
Chr. Schmidt: 326.
H. Schmidt: 148.
B. Schunnen: 171.
L. Schuster: 15, 45, 62, 75, 82.
Fr. Schwendinger: 82.
G. Sedeczky: 325.
M. Sebastansky: 106, 144.
Fr. Sedlecius: 99, 102, 106.
V. Seipel: 170, 175, 177, 198, 208, 213, 229, 233, 240, 243, 245, 249, 269, 271, 274.
Siardus Gerusenus: 97.
Silesia: 5, 7, 11, 19, 21, 35, 58, 70, 78, 81, 98, 106, 108, 109, 128, 130, 151, 171, 172, 189, 225, 246, 262, 275, 358.
Siloe: 5, 7, 11, 12, 13, 20, 21, 49, 56, 64, 73, 80, 81, 82, 83, 90, 92, 94, 96, 98, 99, 101, 102, 103, 106, 111, 112, 120, 127. 129, 131, 132, 142, 146, 147, 148, 152, 153, 157, 160, 170, 173, 175, 176, 177, 178, 180, 183, 190, 194, 199, 200, 208, 209, 213, 214, 215, 223, 229, 230, 234, 240, 247, 250, 252, 269, 270, 276, 278, 279, 284, 325, 326, 356.
L. Skurba: 234, 241, 244.
W. Slapel: 131.
Societas Iesu: 21.
W. Springel: 16, 33, 39.
Stanislaus Krzyzanovicensis: 73.
G. Stehr: 234, 241, 243.
Steinfeldia: 88, 102, 164.
L. Steixner: 148.
S. Stephanus: 296.
Stephanus Siloensis: 20, 21.
J. Steynen: 5.
Stivagium: 116.
E. Stoffmeier: 200, 209.
Strahovia: 5, 7, 11, 12, 13, 15, 16, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 25, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 39, 41, 45, 51, 54, 62, 64, 67, 73, 74, 75, 77, 80, 81, 82, 83, 86, 87, 90, 91, 93, 99, 101, 103, 104, 105, 106, 109, 111, 112, 115, 120, 121, 122, 126, 127, 128, 129, 131, 135, 137, 140, 141, 146, 147, 148, 149, 150, 153, 154, 155, 168, 170, 173, 175, 177, 179, 181, 183, 189, 190, 194, 195, 196, 198, 199, 200, 208, 209, 212, 213, 214, 223, 229, 230, 234, 235, 238, 240, 241, 243, 244, 245, 249, 251, 252, 253, 268, 270, 271, 272, 275, 278, 283, 294, 298, 300, 301, 304, 305, 306, 307, 308, 309, 310, 324, 325, 329, 333, 356, 357.
M. Strobl: 106, 129, 131, 141, 146, 147, 152, 157, 170, 175, 178, 179, 208.
Suevia: 5, 64, 65, 114, 210.
B. Sutor: 72, 74, 77, 80.
A. Swelicky: 216.
L. Swerski: 112.
A. Swetelosky: 234, 241, 244.
Synodus Sinuessana: 220.

Ch. Taiée: 9, 61, 78, 100, 271, 276, 320.
A. Tap: 127.
N. Tasman: 280, 301.
Tassovia: 200.
Tchecho-Slovakia: 14, 19, 20, 22, 32, 35, 37, 46, 48, 49, 54, 86, 102, 110, 122, 129, 131, 140, 152, 174, 175, 193, 212, 213, 264, 275, 297.
Tepla: 15, 17, 32, 33, 45, 55, 56, 62, 66, 68, 72, 83, 86, 89, 99, 104, 105, 110, 111, 112, 113, 116, 117, 135, 144, 147, 148, 152, 161, 170, 177, 178, 179, 181, 199, 200, 203, 209, 223, 225, 226, 231, 234, 238, 240, 243, 250, 252, 253, 270, 278, 279, 301, 309, 325, 326, 356.
C. Tesch: 278, 280, 325, 356.
C. Fr. Tahy: 277, 280, 301, 310.
S. Theresia: 296.
Thomas Wratislaviensis: 170.
I. Tichon: 325.
L. Ticzek: 199, 209.
Tobias Iglaviensis: 33.
Tongerloa: 14, 117.

M. Treboer: 208.
N. Treisleben: 270.
W. Troblisch: 326.
N. Tromholt: 203, 234, 241, 244.
Fr. Trost: 82.
Am. Trötscher: 72.
Turci: 167.
Türje: 294, 310, 322.

Fr. Uhl: 110, 111, 126, 147.
N. Umlauff: 279, 301, 356.
A. Unferzak: 250.
Urbanus VIII: 9, 12, 104, 119, 121, 221, 257, 272, 294, 364.
Fr. Urtica: 111, 124, 126, 148, 153, 170, 178.

E. Valvekens: 34, 35.
J. B. Valvekens: 41.
D. Van den Bosch: 156.
V. Van Genechten: 5.
C. Van Liempd: 13.
R. Van Waefelghem: 73.
I. Vick: 270.
M. Vigsius: 109, 117.
Vindobonae: 22, 103, 223, 248.
J. Vitte: 189.
S. Vitus: 189.
G. Vollauff: 209.
von Cepinsky: 37.
H. von Hirnheim: 101, 103, 105, 108, 109, 112, 118, 126.
A. von Schöllingen: 249, 252, 269, 279, 294, 299, 300, 310, 325, 356.
Fr. von Schöllingen: 127, 131, 137, 141, 144, 148, 168, 170, 189, 209, 217, 221, 232, 234, 238, 239, 240, 243.

I. Wahl: 270.
Fr. Waldhauser: 131 134, 138, 153, 170, 177, 199, 203.
V. Walner: 300, 308, 309, 311, 325, 352.
M. Wallner: 270, 300, 310, 325, 356.
B. Waltenberger: 12, 14, 17, 31, 33, 48, 56.
B. Wancke: 148, 171, 177, 199, 210, 211, 216, 234, 237, 240, 241, 243, 244, 247, 249, 254, 264, 268, 269
Th. Waijer: 278, 301, 356.
L. Weigel: 80.
S. Wenceslaus: 193.
J. Wessely: 177, 200, 201, 234, 240, 243.
I. Westhaus: 62, 78, 80, 94, 104.
Westphalia: 5, 124, 210, 287.
R. Widerlechter: 200, 201.
R. Wilfert: 83, 89, 104, 170, 171, 178, 199, 200, 203, 209, 215, 219, 223, 225, 231, 234, 239, 240, 243, 246, 239, 257, 278.
Wilhelmus Doxanensis: 148.
Windbergia: 225.
E. Winter: 90, 101, 108, 112.
S. Worath: 250, 278.
A. Worstius: 111, 126, 278.
I. Wöss: 309, 310, 325.
R. Wraclowskij: 310.
Al. Wust: 98.

Zabrdovicium: 12, 14, 31, 33, 48, 56, 62, 80, 82, 84, 85, 88, 89, 90, 96, 99, 102, 103, 106, 108, 109, 112, 117, 124, 126, 131, 147, 148, 152, 155, 161, 164, 166, 167, 168, 171, 181, 189, 191, 195, 214, 218, 231, 234, 239, 240, 243, 244, 246, 257, 265, 266, 269, 270, 272, 277, 279, 283, 294, 300, 301, 319, 321, 325, 326, 333, 356.
A. Zabrzesky: 200, 201.
H. Zahorinsky: 234, 241, 244.
W. Zahradnik: 278, 301, 356.
A. Zak: 175, 320.
Zaranesk: 325.
Zatec: 15, 16, 17, 33.
N. Zelicky (Zieletzky): 6, 129, 131, 138, 141, 147, 152, 161, 163, 169, 174, 175, 199, 200, 208, 210, 212, 213, 216, 233, 235, 237, 240, 243, 244, 246, 267.
Cr. Zetlizer: 240, 243.
B. Zimlach: 270.
Znoym: 234, 241, 244, 278, 280, 326, 351.
W. Zoronesk: 310, 326, 351.

1960 g 1866 6

28. NOV. 1969

12. Juni 1972

11. SEP. 1972

20. DEZ. 1976

12,25